


BIBLIOTHECA  
VM GRAECORVM ET ROMANORVM  
VVBNERIANA



3 1761 05335210 0

SENECA  
TRAGOEDIAE


EDIDERVNT

K. PEIPER ET G. RICHTER



UNIVERSITY  
OF  
TORONTO  
LIBRARY

LIPSIAE  
AEDIBVS B.G. TEUBNERI



~~Handwritten scribbles~~

# ANNAEI SENECAE TRAGOEDIAE

RECENSERVNT

DOLFVS PEIPER ET GVSTAVVS RICHTER

PEIPERI SVBSIDIIS INSTRVCTVS  
DENVO EDENDAS CVRAVIT

GVSTAVVS RICHTER

EXEMPLAR ANASTATICE ITERATVM

Æ

189652  
6. 9. 23

PSIAE IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI MCMXXI

Germany

20  
1921

2453115  
TL

PA  
66614  
A2  
1921

1921  
P. A. W.



RVDOLFI PEIPERI MANIBVS

SACRVM



# PRAEFATIO

## CAPUT I

### *De novae editionis ratione et consilio.*

Nova editio dudum ab editoribus praeparata, sed aequo diutius retenta quomodo factum sit, ut RUDOLFO demum PEIPERO vitae et litteris erepto absolvi et foras dari posset, quaestionibus criticis Jenae nuper editis indicavi.\*) Alia

---

\*) Kritische Untersuchungen zu Senecas Tragödien. Von Gustav Richter. Jena 1899. S. 28: 'Das Ergebnis unserer mühevollen Untersuchungen ist ein bescheidenes und kann nur einen textgeschichtlichen Wert beanspruchen. Aber selbst die textgeschichtlichen Probleme sind keineswegs zur vollen Lösung gelangt. Dazu würde es noch weiterer, ausgedehnter handschriftlicher Forschungen bedürfen. Für den Zweck der neuen Ausgabe sind sie entbehrlich, denn für die Kritik des Textes und seine Emendation ist von dieser Seite nichts mehr zu hoffen. Die neue Bearbeitung der Tragödien hat die Aufgabe, unter Fernhaltung früherer Uebereilungen und unter Verwertung des reichen Ertrages der inzwischen geleisteten Forschungsarbeit einen gereinigten und nach wissenschaftlichen Grundsätzen gestalteten Text zu bieten. Zugleich sollen dem Leser die zur Beurteilung der Textgestaltung erforderlichen Angaben über die Lesarten der Handschriften und die Emendationsversuche der Forscher in knapper und übersichtlicher Form an die Hand gegeben werden. Was aber PEIPER wollte, war mehr als dies. Nach seiner Absicht sollte der textgeschichtliche Prozess in den verschiedenen Stufen um seiner selbst willen zur Anschauung gebracht werden. Das schien mir über den Zweck unserer Ausgabe weit hinaus zu gehen. Auch ich habe den Wert textgeschichtlicher Forschung nicht bestritten und eine schärfere Bestimmung der interpolierten Rezension nach ihren älteren und jüngeren Bestandteilen gefordert. Aber die

accedunt, quae ad indolem et formam operis recte intelligendam commemorare oportet. Tragoediarum igitur textum cum ita communi opera et labore conformandum duxissemus, ut alter alterius inventa vel placita socio examinanda proponeret et diiudicanda singulisque quaestionibus invicem tractatis et retractatis id demum consequeremur, ut quantum fieri posset, idem ab utroque statueretur, hanc spem ad irritum nobis cecidisse invitus profiteor. Nam multis in rebus tametsi iudicia primum differentia in consensum denique abiere, de non paucis tamen iisque gravissimis quaestionibus tantus mansit dissensus, ut qua tandem ratione communi editioni prospiciendum foret, ego quidem expedire et dispicere non possem. Velut in ipsis poetae verbis constituendis cum eam laboris socio normam proposuissem, ut nulla scriptura in textum reciperetur nisi ab utroque comprobata, indicata tamen sententiarum diversitate in adnotatione critica, ille servitutum hanc exprobrans consensum respuit, non tamen quomodo aequo iure controversia posset componi designavit. Nam ut erat vir simplex et probus et animo candidissimus, sic etiam opinionis semel conceptae haut raro, ut mihi quidem videbatur, iusto tenacior. Quam ob rem adiutoris officium et laborem praestare paratus editoris nomen et periculum illi demandare, quam ipse servitium quoddam subire malui. Ingravescenti posthac amici valetudine cum de negotio

Veröffentlichung der neuen Bearbeitung des Textes, dessen Gestaltung durch die Ergebnisse neuer Vergleichen nicht wesentlich beeinflusst werden kann, immer wieder aufgeschoben und nach meinem Gefühl ad kalendas graecas vertagt sehen zu müssen, das habe ich doch immer peinlich empfunden. Um so mehr fühle ich mich nach dem Tode des trefflichen, seiner Art getreuen Mannes verpflichtet, den Ertrag seiner redlichen Arbeit aufzunehmen und weiterführend zu verwerten, zugleich aber auch sie endlich einmal zu einem, wenn auch nur relativen Abschluss zu bringen. Das war ich dem Andenken des Freundes wie der Wissenschaft in gleichem Masse schuldig. Die neue Bearbeitung der Tragödien aber möchte ich um ferner liegender Zwecke willen den gelehrten Kreisen, die sie erwarten dürfen, nicht länger als nötig schuldig bleiben.'

conficiendo desperaret, enixe per litteras me rogavit, ne communium laborum perire fructum sinerem. Moribundi precibus ut satisfacerem, nuntio de eius obitu allato muneri editionis novae absolvendae atque in lucem emittendae totum me dedi.\*) In quo negotio ut veritatem et iudicii libertatem debita erga amicum pietate temperarem, ita mihi versandum esse duxi, ut in poetae verbis et recensendis et emendandis solum id sequerer quod verum esse vel veri simile religiosa deliberatione ipse mihi persuasissem, amici tamen iudicium et sententiam, ubi a meo discederet vel in ipsa adnotatione critica vel peculiari Peiperianae lectionis conspectu huic praefationi addito diserte significarem. Quo autem consilio et ratione opibus et subsidiis ab illo relictis ad opus conficiendum usus sim, commentatione supra memorata docui, ipsius laboris magna parte lectoris proposita.

Atque in ipsis tragoediis recensendis et emendandis quid etiam post egregias FRIDERICI LEONIS curas,\*\*) quo post GRONOVIVM neminem de hoc litterarum monumento melius meritum esse constat, praestari posse videretur hoc loco exponendum est. Qui cum Etruscum illum, praestantissimum bibliothecae Laurentianae tragoediarum codicem, et 'unicum genuinae tragoediarum corporis exemplum' maxima subtilitate ipse denuo excussisset, et multa vel aliter se legisse quam a nobis ex H. PETERI collatione tradita erant vel ab hoc silentio oppressa disertis verbis indicaret, hanc dubitationem a JOH. TSCHIEDELIO meo rogatu ita esse expeditam, ut eis locis ubi de scriptura dubitari posset, denuo inspectis, a LEONE vera relata esse praeter paucissima constaret, in commentatione critica Symbolae Jenensi

---

\*) Quod nova editio annuo spatio diutius quam oportebat a prelo prohibita est, id non mea culpa sed officinae et Sossiorum nostrorum necessitatibus factum esse monendum duxi.

\*\*\*) L. Annaei Senecae tragoediae, recensuit et emendavit Fridericus Leo. Berolini apud Weidmannos 1879. Vol. primo De Sen. trag. observationes criticae, Vol. altero Sen. tragoediae et Octavia continentur.

inserta p. 5 sq. docui. \*) Gravissima vero Leoni auctoritas postea accessit OTTONIS RIBBECKII integra codicis collatio, ante multos annos ab eo confecta, \*\*) non tamen unquam publici iuris facta, post egregii viri mortem GEORGIO GOETZ amico intercedente liberalitate et benevolentia uxoris superstitis mihi credita. Qua diligenter examinata omnibus paene locis idem legisse utrumque, perpauca ab uno vel altero neglecta esse affirmari potest. Spicilegium lectionum dedi loco supra (n. 1) memorato p. 29 sqq. Ceterum in enotandis optimi libri scripturis non anxie curavi, ut post LEONEM omnem lectionis discrepantiam religiose cum legentibus communicarem. Quod cum praetermitti nequeat, si id agitur, ut de codicis indole et natura certiores fiant legentes, tamen iuste omittitur ubi huic desiderio abunde satisfactum est (Leo I, 1 sqq.). Eas igitur scripturas satis habui attulisse, quibus quid inter utramque recensionem interesset, luculenter perspicere posset, ceteras omisi.

Minus feliciter cessit LEONI negotium in restituenda recensionis interpolatae forma antiquissima. Nam cum

\*) De corruptis quibusdam Senecae tragoediarum locis disputavit G. Richter in *Symbola doctorum Jenensis gymnasii in honorem gymn. Isenacensis collecta*. Jenae 1894. p. 1—28 (caput I. Quantum auctoritatis vulgari recensionem (A) tribuendum sit. cap. II. Varia corruptelae genera illustrantur. A. De lacunis. cap. III. B. De versuum ordine turbato. cap. IV. C. Verborum corruptelae quaedam emendantur).

\*\*) Aestate anni MDCCCLIII, cf. 'Otto Ribbeck, ein Bild seines Lebens, aus seinen Briefen 1846—1898. Stuttgart 1901'. In epistola ad parentes Florentiae XXV<sup>o</sup> die mensis Junii data haec scribit: In meinen häuslichen Mußestunden, deren nicht allzuwenige sind, lese ich jetzt des alten Sacchetti 300 Novellen, viele mit großem Genuß verspeisend. — Außerdem langweilen mich Senecae tragoediae bisweilen mehr, als die schöne lateinische Sprache dulden sollte, es ist alles eitel Klopff- und Spiegelfechtereien der Hölle; der Text wird aber in sehr verbesserter Gestalt aus meinen Mühsalen hervorgehen. Trotzdem aber oder eben weil ich genug habe, lass' ich mich nicht verführen nach Ivrea zu gehen. Der Mensch ist keine variantenfressende Bestie e. q. s.

ipse rectissime statuisset, non ubique in librorum turba veteris interpolatoris lectionem integram apparere, illorum enim magnam partem aut novicias passim Italorum correcturas aut singulas Etrusci scripturas quacumque via derivatas in se recepisse, cum interea vetusta interpolatio subinde temporum iniuria in peius abierit (Leo I, p. 1): non tamen in enotandis huius librorum generis lectionibus id consecutus est, ut antiqua et integra a corruptis vel consulto postmodum interpolatis discerni et separari satis accurate possent. Quae cum ita essent, PEIPER recte iudicavit, iterum edituris Senecae tragoedias, quantum fieri posset, lectionibus A rectius constituendis operam dandam fore.\*) Ad id negotium recte conficiendum qua via progrediendum esset in dissertatione infra commemorata fusius exposuit. Eligendos esse nimirum inter libros iam collatos, qui essent purissimi vulgaris recensionis testes — vulgarem pro interpolata parum recte appellat — quaerendasque eius generis novas copias. Ac reprobato LEONIS iudicio de libris in Octavia constituenda adhibitibus edito, ipse palmam inter omnes quorum lectiones proposuit, debere libro Malatestiano (D. cf. Leo II 339 sq.) nimia opinor fiducia statuit. Cum hoc artissimo cognationis vinculo cohaerere dicit Rehdigeranum 10 (nunc lat. 118), id quod certis quibusdam indiciis et argumentis confirmare studet. Mentionem eo loco facit NICOLAI TREVETH Angli, quem Senecae tragoedias amplis commentariis illustravisse uno libro adiutum constat. (Cf. Peiper p. 5 sq., et crit. quaestiones meas p. 11 sq.) Hoc quidem exemplar Gallicae fuisse originis eisque libris eadem Gallia oriundis, unde florilegia quaedam et eclogae tragoediarum sententias excerptas praebent, cognatum. Iam igitur hoc statui posse censet: 'multo ante s. XIII. med. tragoediarum codicem aliquem ex Italia in Galliam translatum esse ibique arche-

---

\*) R. Peiper, De Senecae tragoediarum vulgari lectione (A) constituenda. Sonderabdruck aus der Festschrift zur 250jährigen Jubelfeier des Gymnasiums zu St. Maria Magdalena zu Breslau. Breslau 1893. p. 3.

typum extitisse alterius cuiusdam ordinis, qui licet sua progenuerit vitia, ubi consentit cum Italis libris, verae lectionis vulgaris gravissimus erit testis; ubi differt, nonnumquam Itolorum mendis medelam afferre poterit'. Cuius ordinis cum praeter Trevethi librum nullum exemplar servatum sit, meliores codices Trevethianos circumspiciendos fore et comparandos. Hac de causa cum codicis Urbinatis 355 signa quaedam Trevethianae originis prae se ferentis ad Octaviam lectiones per TSCHIEDELIUM cum Weidmanniano textu conferri iussisset, quod olim expertus erat, confirmatum vidit, commentarios quidem Trevethianos iterum iterumque aut plene exaratos fuisse aut in brevius redactos et verbis poetae adscriptos, sed ita ut Italo textui attexerentur non interpolato Gallici textus lectionibus: ipsum textum Trevethiani libri rarissime inveniri neque ab ullo umquam homine accuratius ad hoc usque tempus esse indagatum. Nam Urbinatem illum affinem Rehdigerano 12 (nunc 120) ordini  $\Phi$  potius, quem Leo constituit, adnumerandum esse neque Trevethi librum repraesentare. Unum Rehdigeranum 14 (nunc 122) quamquam satis recentem et in Medea subsistentem textum praebere et commentarios inter se respondententes. Cuius lectiones in Hercule furente cum 'Itolorum optimo' contulit, collatae quid differrent cum inter se tum a contextu quem Leo constituit exploravit, tum quotquot elicere potuit Trevethianas lectiones ( $\tau$ ) ex commentariorum latebris apposuit mirumque ut consensum textus cum Trevethi verbis, ita dissensum utriusque ab Itala lectioneprehendit. Sic communem et codicis D, i. e. librorum ad II classem pertinentium, et Trevethiani exemplaris fontem sibi visus est aperuisse neque alium vulgatae lectionis fontem fuisse statuit. Specimen recensiois A qualem animo sibi finxit Herclis fabulae, in appendicis parte altera proposuit (ibid. p. 9--14).

Hanc PEIPERI argumentationem quibus rationibus adductus non possim pro satis certo et solido disquisitionis fundamento habere Quaestionibus criticis p. 13 et 26 sq.



demonstravi. Quare aliam ipse viam ingressus novum quoddam initium et caput, unde investigatio proficisci posset, invenisse mihi videor. Atque primum primae traegodiae canticum quoniam in E integrum est traditum, in plerisque recensiois A libris priore parte caret, duo facile distingui. possunt interpolatorum librorum genera. Primum igitur quaerendum duxi, ad utrum genus singuli huius recensiois libri pertinerent, tum quo tempore illa, cuius mentionem feci, iactura facta esse videretur. Quod si factum esset, etiam de Trevethiani textus auctoritate certius iudicari posse mihi persuasi. Hac autem disquisitione in Quaestionibus criticis p. 1—13 proposita id consecutus sum, ut luculenter demonstrarem, compluribus saeculis ante renatas in Italia litteras codices recensiois interpolatae extitisse, qui ista cantici parte carerent in eoque numero etiam Trevethiani codicis exemplar fuisse; hinc sequitur longe ante illud aevum lacunam memoratam esse ortam, ut veri simile sit, quotquot extant codices lacunae participes, eos omnes ad auctoritatem descendere multo vetustiore, quam libros a recentioribus Italis interpolatos. Quare si contigisset, ut huius ordinis codices aliquot invenirentur, quos diligenter exploratos ab isto fonte repetendos esse probari posset, eorum lectiones pro certo et stabili fundamento recensiois A constituendae haberi posse. Id vero ut consequeremur, indefessa ac laboriosa PEIPERI industria factum est. Is enim non tantum codicis Rehdigerani n. 14 lectionibus, quem unicum diximus libri Trevethiani apographum vel apographi similem adhuc repertum esse, quotquot e commentariis Trevethianis elici poterant veteris exemplaris lectiones adiecit, verum etiam novos codices, in quibus lectio Trevethiana cum vetere Italicorum lectione quodammodo coaluisse videtur, felici eventu exploravit duo, exploratos summa cum diligentia excussit et Weidmannianae editionis exemplari adscripsit. Sunt autem Augustanus liber saeculi XIV, bibliothecae civitatis et pagi (Kreis- und Stadtbibliothek) n. XXIII (Ag.), et Sangallensis, bibliothecae

Vadianae n. 303 (V), anno 1393 exaratus. Quorum ille cum codice Rehdigerano 10 eadem vetustioris prae se fert originis indicia (Peiper p. 4 sq.), hic quamquam in nonnullis differt, tamen et lacuna saepius memorata aliisque lacunis ita cum altero conspirat, ut artiore eos cognationis vinculo et inter se et cum  $\tau$  et R 10 coniunctos esse pateat. Hae opes a Peipero collectae et novis codicum Rhedig. 10 et 12 collationibus auctae quomodo a me examinatae sint et in usum conversae, Quaestionibus criticis p. 14—28 exposui. Nam a specimine in Peiperianae commentationis appendice altero, quo lectio A ex R 10 et  $\tau$  constituitur in Hercule furente, profectus primum lectiones codicis R 10 cum Augustani et Vadiani lectionibus composui, scripturas codicis Trevethiani e commentariis excerptas examinaui, deinde ut amplior materia iudicio ferendo suppeteret, varias lectiones quattuor librorum de quibus res agitur ( $\tau$  V Ag. R 10) in Troadibus fabula conspicuas congressi et lacunas quasdam in reliquis fabulis occurrentes his libris communes indicavi\*), denique quid ex tota hac examinatione effectum esse videretur, explicavi. Summa autem omnis argumentationis breviter comprehensa haec est. Quattuor illos codices quos examinaui tam communi primi carminis detrimento quam aliarum lacunarum multarumque lectionum propriarum consensu et conspiratione cognationis necessitudine contineri certum est nec ulli dubitationi obnoxium. Et quoniam omnes ad originem multo vetustioremodis modernis Italorum libris recedunt, prae ceteris idonei sunt, qui recensiois interpolatae qualis erat ante renatas in Italia litteras imaginem satis accurate depingant. Redeunt autem omnes ad vetustum aliquod archetypon Italiae originis, unde variae propagines manavere. Harum una ad Trevethi exemplar, Gallicarum quarundam lectionum non prorsus immune, ducit eiusque subolem, alia ad Rehdigeranum n. 10; ex libris utriusque generis Augustani

---

\*) Lacunae p. 23 l. 23—26 notatae non Phaedrae, sed Oedipi sunt.

et Vadiani lectiones conflatae sunt, ut multis locis, ubi ceteri libri a  $\tau$  discedunt, in dubio sit relinquendum, sitne communis eorum lectio ab archetypo repetenda, an alteram ab altera fluxisse statuendum. Hoc tamen certum, Trevethi librum nullo loco a ceterorum aliquo pendere, sed suum et proprium tenere locum. Neque rursus R 10 a  $\tau$  deduci potest, quorum consensus ad commune archetypum redit eoque plus valet, ubi ceteri huius ordinis libri discedunt. In Augustano duo quae indicavi germina in unum quasi confluisse videntur. Librarius scilicet exemplaribus ex utroque fonte natis ita usus est, ut modo hunc modo illum sequeretur et quae descriperat posthac cum altero libro conferret ex eoque corrigeret. Similis est indoles Vadiani, libri tamen et negligentius scripti et qui ex iunioribus fontibus non pauca desumpsit.

His novis subsidiis quemadmodum ad constituendam interpolatae recensiois lectionem (A) usus sim, nunc explicabo.

Et quoniam hoc quidem constat, vetustiore huius recensiois formam non posse inveniri ea quae omnium generis supra descripti librorum consensu appareat, talibus lectionibus, ubi ab E differunt, signum A recte apponitur. Quamquam ne lectio quidem unanimi librorum consensu tradita omni mendo post veteris interpolatoris operam contracto vacat, ut archetypum nostris libris subiectum non illius exemplar ipsum, sed aliquod ab hoc antiquitus derivatum fuisse statuendum sit. Quare littera A lectio significatur librorum consensu tradita vel integra vel antiquitus corrupta. Ab ea separandam duxi lectionem saeculorum decursu a pristina forma plus minusve depravatam, sed a noviciorum conaminibus intactam, qualis apparet in eis libris, qui ad vetus illud archetypum Italum redeunt, e quorum numero libri supra descripti tamquam totius generis specimina extant. Eorum lectio ubi cum libris a F. LEONE adhibitis consentit, littera A recte signatur, ubi ab eis discedit, pro vetustiore habenda est. Eam A<sup>r</sup> litteris signandam duxi —  $\tau$  uncinis inclusa [A<sup>(r)</sup>], ubi de textu

Trevethiano nihil constat vel ceteri contra  $\tau$  conspirant. Restant lectiones quaedam incertae originis, quibus quidem vitia priore aevo contracta vel sublata vel probabili coniectura tentata videantur. Eas  $\psi$  littera notavi. Hac ratione adhibita non paucae lectiones in codicibus traditae rectius hac editione quam antea potuit fieri designatae sunt.

Quantum utrique recensio*n*i pretii et auctoritatis tribuendum sit, ne hodie quidem inter viros doctos satis constat. Nam hoc etsi nemo dubitat, quin codex Etruscus pro primario textus constituendi fundamento habendus sit, diversae tamen de alterius auctoritate sententiae hodie quoque feruntur. Ac nos quidem cum in praefatione veteris editionis (p. XVII) sic statuiss<sup>et</sup>emus, 'quamvis summa esset libri Etrusci auctoritas, tamen eos vehementer erraturos esse, si qui careri posse interpolati generis libris auderent affirmare', F. LEO (I, 4) 'ne in eis quidem quae corrupte Etruscus praebet, ullam esse vulgaris lectionis auctoritatem' contendit. Sed ipse secum pugnat in tragoediarum editione mendis Laurentiani libri sescentis locis interpolatorum librorum ope sublatis. Nec defuere, qui parem utrique recensio*n*i auctoritatem vindicandam esse censerent. Cui sententiae Peiperum favisse eius verbis in exordio disputationis memoratae apparet. Verum in medio esse positum ego quidem in Symbola Jenensi demonstravi. Nempe cum interpolata recensio tot locis pro corrupta Etrusci lectione incorruptam praebet et ab ipso Leone receptam, non nulla veterem interpolatorem quae in archetypo erant et legisse et descripsisse rectius in propatulo est.

Huic rei documento sunt folia illa rescripta codicis Ambrosiani (R), de quorum auctoritate ut omnino recte iudicari posset GUILIELMI STUEMUNDI labore et cura contigit.\*) Et quod ipse statuit, codicem rescriptum ex eodem archetypo derivatum esse unde E fluxerit, id verum esse loco allato

---

\*) De Senecae tragoediarum fragmentis rescriptis Ambrosianis scripsit Guilelmus Studemund. Leo II, p. XIII sqq.

p. 8 sqq. comprobavi. Ceterum ea sententia, quam veteri editione expressimus (p. V 1 ff.), chirographum poetae non praeuisse textum omnibus numeris perpoliturum, sed varia lectione vel dittographia plenam, quamquam nimium ei olim tribuimus, tamen ne hodie quidem prorsus abicienda est. Velut Medae versus 516—520 ipsi Leoni dittographia videntur, in Hercule Oetaeo totas scaenas diversa forma consilioque compositas extare summa cum probabilitatis specie MELZERUS argumentatus est.\*)

Qua vero ratione et moderationis lege adhibenda sit interpolata lectio, hisce verbis loco allato p. 11 sq. ipse circumscripsi: 'Consensu inter A et R conspicuo (cf. p. 9 sq.) magnum sane paratur praesidium auctoritati veteris interpolatoris. Cuius interpolationes ut simpliciter sunt expellendae, sic ceterae eius lectiones, ubicumque ab E discedunt, ad textum constituendum diligenter sunt adhibendae. Nam quod eis locis de quibus disputavimus factum esse evincitur rescripti codicis testimonio, rectius scilicet haud pauca interpolatorem legisse et in suum librum transscripsisse, quam eum qui codicem E vel eius archetypon aliquod exaravit, idem aliis locis, ubi tali testimonio destituti sumus, fieri potuisse cur prae fracte negemus? Quamquam fateor, et in hoc Leoni assentior, in vulgari lectione adhibenda summa cautione opus esse, ne interpolatoris artificio et sollertia decipiaris. Multa scilicet nitent et primo obtutu Etruscae lectioni praestare videntur, quae accuratius rem examinanti damnanda sunt. Nam interpolatae recensiois differentia quamquam hodie quoque dubito an eis etiam locis, ubi totae sententiae aliter leguntur neque tamen ulla mutatae consulto lectionis ratio perspicui possit, non ad dittographiam potius antiquitus traditam quam ad meram interpolatoris libidinem revocanda sit, tamen hoc in nulla versatur controversia, quin totum tragoediarum corpus eo consilio ab auctore recen-

---

\*) De Hercule Oetaeo Annaeana. Abhandlung zum Jahresbericht des Realgymnasiums von P. Melzer. Chemnitz 1890.

sionis A pertractatum sit et perpolitum, ut legentibus textum proponeret non tam genuinum et verum, quam facilem intellectu et rotundum. Neque adduci possum, ut eorum sententiae assentiar, si qui noviciorum criticorum parem utrique recensio*n*i auctoritatem vindicandam esse censeant. Nam interpolatoris lectiones quisquis paulo accuratius examinaverit, quanta ille in immutanda ad ludibrium lectione audacia et libidine versatus sit, non sine admiratione quadam intelleget.

Nec sane difficile est in eis quae singularia sunt et conspicua, correctoris audaciam cognoscere, sed saepe est, ubi occultior eius sedulitas lectorem parum vigilantem fugiat. Sed diligentius eius industriam observantes et quasi custodientes non fallet, dedita opera hoc eum secutum esse, ut elocutionis et structurae difficultates et exquisitiores elegantias removeret, id prae ceteris agens, ut facile et commode tragoedias lecturi intellegerent. Sic, ut pauca commemorem, tmesin sustulit Med. 605 sq. conspicuam (rumpe nec sacro violente sancta foedera mundi, *pro qua scripsit*: r. n. sancti violente mundi foedera sacra), item constructionem vel collocationem verborum elegantio*r*em (hypallagen Hf. 475. 1270 M. 570. Tro. 159. 251 etc., chiasmum Hf. 470. 1270, hyperbaton Hf. 769, geminationem Hf. 523 M. 266 Tro. 739); exquisitas loquendi vel construendi formulas facilioribus compensavit, velut Hf. 24 scripsit: in cuius ortu mundus impendit diem *pro*: ortus, 213 nec ulla requies tempus aut ullum datur *pro*: vacat; 370 sociemur animos *pro*: sociemur animis, 438 caelitum penetrat domos *pro*: sperat, 916 nobiles Dirces aquas *pro*: nobilis Dircen aquae, 1157 exurge, victor *pro*: virtus, O. 538 amara baccis *pro*: a. bacas, 544 (arbor) diffusa ramis *pro*: ramos, Tr. 547 post annos decem *pro*: p. hiemes decem, alia eiusdem generis innumera, quae si quis accuratius persequi volet, fructu non carebit.

Quae cum ita sint, multo sane simplicius cederet opera tragoediarum recensio*n*is et emendationis, si prorsus abici

et nihili pendi fas esset interpolatoris lectiones. Sed quoniam certum est, non pauca verius ab eo esse ex communi fonte reddita quam in altera recensione extant, eundemque constat, etsi nonnumquam veterem lectionem tanta violentia immutaverit, ut ne volam quidem ac vestigium eius relinqueret, alia mutasse quidem, sed ita mutasse, ut quid in archetypo legerit, cognosci etiam possit, multa denique intacta reliquisse: de adhibenda vulgari lectione sic equidem statuo, ut unoquoque loco, ubi non certa ratione de interpolatione constiterit, archetypi imaginem ex utriusque recensione lectione collata reficiendam esse, eis autem locis, ubi levis extet lectionis differentia et ita comparata, ut utraque et metro et sententiae convenire videatur, eam censeam esse praeferendam, quae subtili examinatione verior et ipso poeta dignior existimanda sit.' Id quod exemplis illo loco propositis illustravi. —

In adornanda adnotatione critica legem tenui a Leone observatam, quam sic expressit (II praef. p. VII): 'quaecumque in verborum contextu adnotatione non subiecta leguntur codicum consensu tradita sunt; quibus tantum aut Etrusci aut interpolatoris scriptura addita est, altero teste nituntur'. Orthographiam codicis Etrusci in textu constituendo servandam duxi, ubi eam cum aevi Annaeani more consentire vel certum vel probabile videbatur. Ceterum constantiae cuiusdam et aequabilitatis speciem a cuiusvis aevi consuetudine alienam anxie quaerere nolui. Ne ea, quidem quae in Hercule II singularia occurrunt scriptionis exempla removenda duxi. Numeros versuum restitui Gronovianos.

Restat in OCTAVIA denuo edenda quomodo versatus sim ut paucis exponam. Atque in praetextae verbis constituendis omne eo redit recensoris officium, ut eius exemplaris non ita vetusti, unde totam quos quidem novimus librorum copiam profluxisse certissimum est (Leo II 340), ita restituatur scriptura, ut inde emendatio eorum quae vitiose in archetypo illo tradita erant, tamquam a solido fundamento proficisci possit. Id F LEO ut via et

ratione assequeretur, ex omnibus libris quos ipse inspexerat, novem elegit aetate ceteris superiores, quorum lectiones diligenter enotaret eisque inter se collatis et subtiliter perpensis classes quasdam et familias constitueret, quibus singuli quo necessitudinis gradu propius vel longius ab archetypo abessent, facile posset dignosci. Sunt autem novem illi altero saeculi XIV dimidio exarati omnes praeter unum (O) saeculo XV conscriptum. Ac duos primo loco positos (M et N) ex uno eodemque libro eoque omnibus ceteris vetustiore ( $\Sigma$ ) descriptos esse luculentissime comprobavit (I 6 sqq.). His aetate propemodum affinis altera est librorum biga (Q et R), quos gemellos esse et librum repraesentare codicis  $\Sigma$  aequalem, quamquam in multis differunt (cf. 412. 173), vix quisquam accuratius rem pendens negaverit. Proprium locum tenet codex Laurentianus plut. 37, 6 a. 1368 (L) quo nullus interpolatae recensiois antiquiore originis anno innotuit (Leo I 42 sqq. \*) Is liber in multis cum  $\Phi$  consentit. Quarto loco quattuor libri recensentur, quorum consensus potius quam communis archetypus littera  $\Pi$  notatur. Eos satis puram et incolumem vulgaris lectionis imaginem reddere suo iure LEO statuit.

Et hoc quidem certissimum est, quod LEO dicit, archetypi communis lectionem novem illorum codicum consensu repraesentari: non ita certum quod addit, ubi dissentiant, ad illam  $\Sigma\Phi L$  propius accedere; et proxime quidem  $\Sigma$ , in quo quae depravata et obruta sint, ea  $\Phi$  vel L codicibus suppeditari. Quod si contra  $\Sigma\Phi L$  in  $\Pi$  vel singulis libris praeter novem istos verum extet, id ubique Itolorum conjecturis deberi.

Verum enimvero cavendum est, ne in librorum qui trium vel quattuor decenniorum eiusdem saeculi spatio

---

\*) Fallere potuit improvidos subscriptio codicis Lugdunensis (Bat.) XVIII, 16 E, qualis a Geelio in catalogo mss. Lugd. Bat. n. 370 redditur, ubi a. 1340 codicem legitur scriptum esse. Sed in anni numero post litteras CCC unam litteram cultro penitus erasam et supra foramen litterulam o scriptam esse H. Klapp olim nos docuit (v. praef. prioris editionis p. XXXVIII sq.).



continentur, auctoritate diiudicanda soli aetatis differentiae nimium tribuatur. Sic enim res se habet, ut codex  $\Sigma$  quamquam multis vestigiis antiquiorem ceteris originem prodit, ex vitiosissimo exemplari a scriba incurioso ac ne a novandi quidem libidine prorsus alieno transscriptus sit, ut communibus omnium erroribus propriorum vitiorum haud exigua moles adderetur. Quare ad genuinam communis archetypi lectionem investigandam aliena ope non potest careri. Haec autem num a  $\Phi$  et L potissimum petenda sit libris, valde dubito, nam hi quoque, quamquam paulo ceteris vetustiores, correctoris vel etiam interpolatoris manum haud raro passi sunt. Velut v. 86 quod L praebet cum altero exemplaris  $\Phi$  apographo (Q) *fulvos* pro *saevos*, mera est interpolatio ad vitandam eiusdem vocabuli repetitionem excogitata; cf. v. 392 *adsit*  $\Phi$ L 399 *terram*  $\Phi$ , 489 *sapientia* sacra  $\Phi$ L, 583 *permittat*  $\Phi$ L alia, cum ordinis II codices haud semel cum  $\Sigma$  contra  $\Phi$  vel L conspirent (cf. e. g. v. 207, 291, 392 alia). Quid quod LEO ipse, cum codicem L cum Hercule Oetaeo conferret, illum quoque 'ut in Italia plerosque' tam infectum invenit interpolationibus (et correcturis ex Etrusco oriundis)\*), ut totum excutere operae pretium non duceret (I, 42).

Quare cum adeo suspecta sit codicum  $\Phi$  et L fides et auctoritas, vitiosis exemplaris  $\Sigma$  scripturis validior medela aliunde erit circumspectienda. Tale autem subsidium ab eis libris suppeditari videtur, quos a vetusto illo exemplari, unde et Trevethianus codex et vetustiores Italiae lectionis libri originem ducunt, repetendos esse supra demonstravi (p. 11 sq.), dico codices Rhedigeranum 10\*\*), unum ex prae-

\*) Haec verba, ut a superioribus segregarem, uncinis inclusi, quoniam nihil ad hanc quae nunc agitur rem faciunt.

\*\*) Ex ceteris Rhedigeranis solus R 12 dignus est cuius mentionem faciam. Eius scripturae denuo a Peipero enotatae in multis cum Leonis  $\Phi$  consentiunt. Idem cadit in codicem Urbinatem n. 355 (Peiper L. V. p. 6) a Tschiedelio Peiperi rogatu diligentissime cum editione Weidmanniana collatum. Quare uterque (R 12 U) iis libris adnumerandus est, qui ad

stantissimis veteris Italiae testibus, Augustanum, Vadianum (R 10 Ag. V = A<sup>(r)</sup>). Qui quoniam in veris et indubitatis plerumque cum  $\Sigma$  consentiunt, in dubiis locis emendatiora haud raro illo exemplari praebent, quin ex alio quodam communis omnium archetypi apographo minus vitiose descripto manaverint non dubito. Quare ubi ordinis II libri vel omnes vel aliquot cum A<sup>(r)</sup> conspirant, eorum quoque lectiones non tam Itolorum correcturis quam puriori cuidam antiquitatis fonti deberi recte statuatur. Quamquam quoniam ordinis A<sup>(r)</sup> libri non ubique clauso agmine incedunt, sicut in Leonis classibus singuli non raro dissident inter se atque discordant, fieri non potuit quin de archetypi scriptura recte constituenda non numquam dubitatio relinqueretur. Atque hoc etiam fatendum est, non tantum valere istorum codicum auctoritatem, ut eorum ope novum quoddam ac firmiter Octaviae recensendae et emendandae fundamentum possit substrui. Nullo enim praetextae loco contigit, ut novis subsidiis vetus archetypi lectio aut rectius constitui aut emendari facilius videretur posse. Quae cum ita essent, a me impetrare non potui, ut repetitis Weidmannianae editionis lectionibus differentes nostrorum librorum scripturas apponerem inutiliumque lectionum caeca mole adnotationem criticam onerarem potius quam adiuvarem. Itaque vitata infructuosi laboris ostentatione hoc tantum egi, ut omni lectionum turba subtiliter examinata et perpensa quid in communi archetypo re vera fuisse consentaneum esset, id aut in textu ponerem aut in adnotatione A littera addita significarem, differentes ab archetypi lectione codicum scripturas, ubi eas enotare haud inutile videretur, littera  $\psi$  signarem, quotiescunque dubitatio incideret, haec vel illa scriptura propius a ve-

---

$\Phi$  archetypon qualicumque via redeunt. Ordini II adsignandus videtur codex Laurentianus plut. XXXVII, 7 (L<sup>1</sup>) saeculi ut videtur XIV, de cuius scripturis H. Peter nos certiores fecit, qui olim eum inspexerat. Lectionem praebet paulo puriorem quam Leonis L, nullo tamen artiore cognationis vinculo cum eo cohaeret.

tere fonte abesset, id diserte indicarem (e. g. mittit *vel* mutat A), singulis librorum scripturis nusquam additis. Qua autem ratione in hoc negotio versatus sim ut illustrarem nonnulla hoc loco exempla proponenda iudicavi:

- v. 20 lux A nox  $\psi$ ] lux  $\Sigma A^{(\tau)}LDHT^2$  nox QR12T<sup>1</sup>  
 v. 36 sub uno A *corr.*  $\psi$ ] sub uno  $A^{(\tau)}\Pi\Phi$  uno (*om.*  
 sub)  $\Sigma$  subito LR12  
 v. 108 poena nunc  $\psi$ ] p. nam  $A^{(\tau)}MIR12$  p. non N  
 p. nunc  $\Phi LD$   
 v. 152 nefandi A *corr.*  $\psi$ ] nefandi  $\Sigma\Phi IIVAg.U$  in-  
 fandi LDR10R12  
 v. 181 expectes *vel* expectas A *corr.*  $\psi$ ] expectes  
 R10Ag.U expectas  $\Sigma T^2$  (*i. r.*) V expectat  $\Phi R12LDH^b$   
 expectet O  
 v. 198 destituit A *corr.*  $\psi$ ] destituit  $\Sigma\Phi LII$  desti-  
 tuet  $A^{(\tau)}O$   
 v. 237 quae A *corr.*  $\psi$ ] quae  $\Sigma A^{(\tau)}LII$  quas  $\Phi$   
 quae *ex* quas *ut vid.* R12  
 v. 249 nisi divo *vel* insidivo A] nisi diuo LT<sup>1</sup>ODH<sup>2</sup>R10  
 insidivo  $MH^1T^2Ag.VR12$  insidioso M *v. l.* N (=  $\Sigma$ )  
 v. 254 violenta  $\Sigma HR10$  violentam *ut vid.* T<sup>1</sup> vio-  
 lenti *corr. ex* violenta  $\check{V}Ag.$   
 v. 354 audent  $\Sigma A^{(\tau)}IIL\Phi$  ardent LR12  
 v. 379 grauis  $\Sigma A^{(\tau)}THR12$  grauius  $\Phi LOD$   
 v. 392 adest  $\Sigma A^{(\tau)}\Pi$  adsit  $L\Phi R12$   
 v. 416 interior alte  $\Sigma A^{(\tau)}LQ\Pi$  interius alto  $\Phi$  (= R  
 et Q *v. l.*) R12 (*corr. ex* interior)  
 v. 489 orbem specie sacra  $\Sigma IIR10Ag.$  o. spe sacra V  
 o. sapientia sacra  $\Phi LR12U$  (*entia del. 1 m., add. 2 m.*)  
 v. 500 dom. gentium  $A^{(\tau)}\Phi R12\Pi$  gent. dom.  $\Sigma L$   
 v. 503 R. non  $\Sigma A^{(\tau)}\Pi R12$  R. tunc  $\Phi L$   
 v. 576 fractus  $\Sigma R10DH$  fractis  $\Phi LTOUVAg.R12$   
 v. 583 remittat  $\Sigma A^{(\tau)}\Pi U$  (*corr. ex* tem.) permittat  
 $\Phi LR12$  (*v. l. U*)  
 v. 602 nox *solus* D

- v. 661 socerum  $\Sigma A^{(\tau)} \Phi U$  (2. m. socerorum) soror LTH  
 soror o R v. l. scelerum OD, L v. l.  
 v. 686 affligat solus O  
 v. 691 quidve solus Q v. l.  
 v. 692 madent  $\Sigma \Phi A^{(\tau)}$  (Ag. — dent i. r. ut vid.)  
 manant QTODR12U  
 v. 824 funera NIRR10A<sup>(\tau)</sup> funerea MOU (*sed e del.*  
*m. 1 vel 2*), R10 v. l. funesta  $\Phi LR12$   
 v. 853 caram A<sup>(\tau)</sup> IIQLR12U tantam M $\Phi$  fata N  
 v. 895 possunt  $\Sigma QLTDO$  possis R10 Ag. (*m. 2*)  
 H<sup>2</sup>L<sup>1</sup>V (*m. 1*) possit Ag. (*m. 1*) VRH<sup>1</sup> ut vid.

## CAPUT II

*De tragoediis veterum testimonia studiorumque Annaeanae  
 tragoediae per medium aevum propagatorum indicia.*

In schedis a Peipero relictis cum alia ad hanc editionem pertinentia extant, tum 'recensus testium', quem ipsis tragoediis praemitti voluit neque tamen ita dispositus, ut quibus locis disertum aliquod de tragoediis vel tragoediarum auctore testimonium ederetur, quibus imitatio quaedam vel imitationis simulacrum, dubium haud raro et fallax, appareret, satis clare discerni posset. Totum autem hunc locum, qui est de imitatione, quoniam neque ille expedivit neque mihi in animo est pertractare, hoc loco certa veterum de Seneca tragoediarum auctore testimonia componere eisque quae adhuc investigata sunt studiorum in hac litterarum parte per medii aevi tempora usque ad renatas per Italiam litteras propagatorum indicia addere satis habui.\*)

\*) De Lucani studiis Annaeanis cf. copiosam et subtilem A. Hosii disputationem, Fleckeiseni Annalibus 145 (1892) p. 350 sqq. insertam, qua omnes tragoedias philosophi nomine traditas praeter Octaviam Pharsaliae auctorem in manibus habuisse comprobatum esse videtur. Accedit is qui haud ita multo post Senecae obitum Octaviam composuit, quem omnes tragoedias

Atque Annaeus ipse tragoedias se condidisse nullo operum loco disertis verbis testatur. Neque ad Helviam matrem consolandam quae scribit (cons. c. 20 H.) quicquam habent, quod ad istas necessario referatur: 'Qualem me cogites, accipe: laetum et alacrem, velut optimis locis. Sunt enim optimae, quoniam animus omnis occupationis expers operibus suis vacat et modo se levioribus studiis oblectat, modo ad considerandam suam universique naturam veri animus insurgit.' Quamquam leviora illa studia ab eo qui philosophiae et rerum naturae considerationem eis opponit, de tragoediarum compositione intellegi aliquo modo posse non negaverim. Neque in satira menippea quae apocolocyntosis vocatur,\*) vel in versibus aliis operum

respexisse certum est (Hosius l. c. p. 354). Perpauca extant apud Iuvenalem imitationis vestigia. Locis in Friedlaenderi editione adnotatis (sat. X, 25 = Sen. Thy. 453 [cf. H. II 653. 657], sat. I, 73 = Oed. 879) addas licet XV, 85 = Med. 821 sqq. De imitatione Statiana disputavere Peiper, Praef. in Sen. trag. nuper editas suppl. (Breslau 1870) p. 4 sq., Helm, de Pap. Statii Thebaide (Berol. 1892), Gaheis, de troporum in L. A. S. trag. generibus potioribus (Vindob. 1896), de Silio nonnulla composuit Leo I 37 sq. n. 14. Petronius, sermonis usu philosopho proximus (Studer, Über das Zeitalter des Petronius Arbiter. Mus. Rhen. II [1843]), num tragoedias noverit, incertum; sunt tamen quae comparari possint, velut Petr. 119, 13 (Bücheler ed. 1882) cum Sen. H. II 815; 120, 101 cum Med. 352; 122, 175 cum Thy. 539 H. II 1025; 122, 148 cum H. II 1289, ubi 'adulti' [EA adusti] scribendum; 134, 16 sqq. cum Med. 752 sqq., H. II 454 sqq. De Ausonio cf. indices editionis Schenklianae (Ausonii opuscula M. G. H. Auct. antiquiss. T. V p. post. 1883) De Prudentio C. Weymann in Comment. Wölfflinianis (1891) p. 281 sqq. coll. Nordmeyer de Octavia p. 264 n. 1, G. Sixt Philol. 51 (1892) p. 501 sqq.; de Claudiano Birt Mon. Germ. hist. Auct. antiquiss. T. X p. CCI n. 1, Gaheis p. 64; de Dracontio eodemque Orestis tragoediae auctore Peiper Mus. Rh. 32 (1877) 532 sqq. et Barwinski Quaestiones ad Dracontium et Orestis tragoediam pertinentes (Göttingae 1887) p. 98 sqq.; de Alcimo Eedicio Avito episc. Viennensi Peiper Mus. Rh. 32, 535.

\*) cf. apocol. IV v. 25 sq. et Sen. Phaed. v. 749 sqq.; VII v. 2 et Herc. I 1296; XII, v. 1 et Tro. 130. 79. Quis ex horum locorum similitudine eundem fuisse qui haec et illa scripserit necessario consequi affirmabit?

locis passim comparentibus quicquam est, quo tragoedias philosophum composuisse verborum vel rerum certo indicio coarguatur. Nam eis quoque carminibus quae in codice illo Vossiano Q 86 servata et a viris doctis vel omnia vel non nulla ad ipsum philosophum auctorem redire creduntur (M. Schanz Hist. litt. Rom. II<sup>2</sup> 58) praeter fallacia quaedam vestigia — velut argumentorum similitudo in rhetorum scholis conclamatorum\*) — nihil deprehenditur, quod pro vero scaenicae poesis studii documento recte habeatur. Locos enotavit Peiper Mus. Rh. 32, 534.

Disertum de Seneca tragoediarum auctore testimonium primus edidit

1. Quintilianus Inst. or. IX 2, 8: interrogamus etiam — invidiae gratia, ut Medea apud Senecam: quas peti terras iubes? [Sen. Med. v. 453]. — Id. VIII 3, 31: nostri in iungendo aut in derivando paulum aliquid ausi vix in hoc satis recipiantur, nam memini iuvenis admodum inter Pomponium et Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an 'gradus eliminat' in tragoedia dici oportuisset, at veteres ne 'expectorat' quidem timuerunt, et sane eiusdem notae est 'exanimat'.\*\*)

2. Terentianus Maurus, quem exeunte saeculo p. Ch. n. secundo fuisse Gerh. Schultzius evicisse videtur (Hermes 22, 275), v. 2135 sqq. L:

in tragicis iunxere choris hunc saepe diserti  
Annaeus Seneca et Pomponius ante Secundus.

---

\*) In epigrammate ad Cordubam scripto (Haase I, 263) v. 3 vatem se auctor compellat: 'Nunc longinqua tuum deplora Corduba vatem', ideo nimirum, quia hoc ipso carmine Cordubam canit.

\*\*\*) Hoc testimonio confirmatur, philosophum, quamquam tragoediarum corpus neque edidisse neque ab alio quodam edi se vivo passus esse videtur, singulas tamen foras dedisse et praefationibus munitas: quas cum Quintiliano admodum iuvene comparuerint, a Seneca post exilium scriptas esse oportere recte concludit Leo I 88. — Ceterum mirum sane est, quod rhetor celeberrimus in tragicorum Romanorum recensu Pomponium nominat, Senecam silentio premit.

v 2671 exemplum et Senecae dabo:

Thebis laeta dies adest; (cf. 2785) [Sen. Herc. I 875—877]  
aram tangite supplices,  
pingues caedite victimas.

cf. Lachmann p. XII, L. Müller p. 415, Peiper praef. sup-  
plem. p. 3

3. Auctor Tractatus de ultimis syllabis Valerio  
Probo temere adscripti (Gr. L. IV 224, 22 K.):

Seneca in Hecuba [aecuba]: quicumque hymen funestus  
inlaetabilis [Sen. Troades 861]

Ibidem 246, 19: et Seneca in Hecuba hendecasyllabo  
sapphico versu: Ilium est illic ubi fumus alte [Tro. 1053].

4. Diomedes art. grammat. l. III (511, 23. 29 cf. 517,  
30):

anapaesticum choricum habemus in Seneca:

audax nimium qui freta primus [Med. 301].

5. Servii codices recentissimi ad Verg. Aen. XII 395:  
et Statius [al. Seneca] in Theb.:

ite ferte depositis opem [Oed. 1057].

Quae ad A. II 354 leguntur post Stati Th. X 493 (Kohl-  
mann): 'Item scimus mortem captivitatis esse remedium' ex  
locis tragoediarum sublata Peiperus suspicatur, quales sunt  
Tr. 143 Ag. 592 797. Idem quae in centimetro c. III 1  
et 4 et 17 adonii alemanii stesichorii proponit exempla  
haec 'Fundite fletus', 'tundite pectora palmis', 'Aeacides  
iuvenis trahit Hectors; plangite pectora Troes' ex Tr. 131:  
'Priamo vestros fundite fletus' (cf. Sen. apocol. XII 1) et  
114: 'saevite manus, pulsu vasto tundite pectus' et 64:  
'ferite palmis pectora' repetita videntur.

6. Hieronymus Vita B. Malchi (ep. LIII, ed. Vallarsi  
t. II): Si iuvat miseros dominus, habemus *salutem*: si de-  
spicit peccatores, habemus *sepulcrum* (cf. epist. ad Princ.  
[ep. CXXVII, Vall. I 960]: cumque et illam et te ad apo-  
stoli Pauli basilicam barbari deduxissent, ut vel *salutem*  
vobis ostenderent vel *sepulcrum*). In his non est dubium  
quin vir sanctus ante oculos habuerit Tro. 510: 'fata si  
miseros iuvant, habes *salutem*; fata si vitam negant,

habes *sepulcrum*'. Cf. Peiper Suppl. p. 35, Rh. Mus. 37 (1877), p. 536.

7. Augustinus contra Faustum 20, 9 (Corpus SS. eccl. Vindob. XXV, 1): unde quidam eorum tragicus ait:  
deum esse amorem turpis et vitio favens  
finxit libido.

[Phaed. 195 s.] Cf. Richter Krit. Unters. p. 6 n. 2.

8. Sidonius Apollinaris (Monum. Germ. hist. Auct. antiquiss. VIII. Berol. 1887) c. IX 231:

non quod Corduba praepotens alumnis  
facundum ciet hic putes legendum.  
quorum unus colit hispidum Piatona  
incassumque suum monet Neronem,  
orchestram colit alter Euripidis,  
pictum faecibus Aeschylum secutus  
aut plaustis solitum sonare Thespin,  
qui post pulpita trita sub cothurno  
ducebant olidae marem capellae  
pugnam tertius ille Gallicani  
dixit Caesaris etc.

Id. c. XIII (ad Consentium) v. 162:

quid celsos Senecas loquar vel illum  
quem dat Bilbilis alta Martialem  
terrarum indigenas Hibericarum?

Cf. Richter De Seneca trag. auct. p. 7 s. Peiper Suppl. p. 1.

Vestigia imitationis Annaeanae comparent in his locis a Peipero collatis: C. XXII, 89 s. 94 et Sen. Herc. I, 390; Oed. 616. 635. — C. VII, 53, 124 et Phaed. 1123 sqq. 1128 sqq. — ep. I 5, 4 et Thy. 465.

9. Statianae Thebaidos commentator, qui Lactantii [Luctatii?] Placidi nomine fertur, ad Theb. IV 530: quia Minos se non ut regem aut tyrannum, sed tamquam unum de plebe gessit, quae laus summa est. ut Seneca in Thyeste [342—352]:\*)

\*) Idem quae dicit ad Th. IV 158 'Hercules eo loco cui Prestion nomen est' ad H. II 1446 (ut pressit Oeten) referenda esse, vix erit qui cum Welckero (Gr. Trag. p. 1448) contendere



ne sic horotis (*l. CHORO* | *Nescitis corr. Peiper*) cupidi arcium  
 regnum quo uocat (*l. iaceat*) loco  
 regem non faciunt opes  
 non uestes (*l. vestis*) Tyriae color  
 non frontis nota regia (*l. regiae*)  
 non auro nitidae trabes  
 regem regem qui (*l. rex est qui*) posuit metus  
 et diri mala pectoris  
 quem non ambitio impotens  
 et nunquam stabilis fauor  
 uulgi praecipitis mouet.

Sic ex Puteano, conlato ad ed. Fr. Tiliobrogae Parisiensem a. 1600 p. 145, ed. G. Nordmeyer (*Fleckeiseni Annalium Supplem. XIX 263 s.*) correcti leguntur hi versus iam in ed. Veneta 1494 f. 98<sup>r</sup> extr.

10. De Boethio ingenii Annaeani et artis teste locupletissimo cf. ea quae in praefatione prioris editionis p. XII exposuimus. Indicem locorum ex tragoediis translatorum habes in Peiperi editione *Consolationis philosophiae* (Lipsiae 1871) p. 228 sqq.

11. Ennodius op. II, 54, 14 (Vogel; 299, 20 Hartel): adulescentiae meae memini me legisse temporibus de quodam dictum

exuli exilium imperas nec das [*Med. v. 549*]  
 cf. Usener *Mus. Rhen.* 28, 391.

12. Priscianus inst. IV 68 (I 253, 6 H):  
 o tamen in hoc (compos) solo corripitur.  
 Seneca in *Phaedra* [710]: Hippolyte nunc me [me nunc ex nunc me *corr. Halberstadiensis liber*] comptem voti facis [facias *l. Halberst. et Caroliruh., facies Senecae E*] inst. VI 68 (I 253, 10 H): in eadem [eodem *Halberst. Agam. Welcker gr. Tr. III 1448*] compöte uoto [Ag. 379].

13. Aldhelmus ad Acireium regem (Mai, *class. auct. V*, 588):

audeat. Probabile tamen interpretem cum ad Th. III 476 haec adnotaret 'Liber — dicitur rogasse Jovem ut se patrem probaret' memorem fuisse Herc. I v. 36 (patrem probavit).

de septenario ad Acireium regem (Mai, class. auct. V 588):  
d littera in t transmutatur ut Lucius Anneus Seneca in  
sexto volumine tetrametro brachycatalecto sic ait:

geminumque duplices Argos attollit domus [Ag. 729]  
et infra:

dubia labat ceruice . famuli, attollite . [Ag. 787]

Cf. L. Müller Rh. Mus. 32, 85, Leo Ecl. Lugd. p. 41.

14. Theodulfus I, 375 (ed. Dümmler. Mon. Germ.  
hist. Poetarum Latinorum medii aevi I 483 II 694):

cum populo stipatus eas foribusque superbis

[Here. II. 607: cum tot populis stipatus eas, in tot populis  
vix una fides.] Peiper Mus. Rhen. 37 (1877) p. 537.

15. Landolfi Sagacis additamenta ad Pauli Historiam  
Romanam, anno fere millesimo scripta. Wattenbach 1<sup>6</sup>,  
166 n. 4. Monum. Germ. hist. Auct. antiquissimi II. Bero-  
lini 1879: huius [Neronis] temporibus pollebant Romae  
poete Lucanus, Ovidius, satirici Iuvenalis et Persius Sene-  
casque tragicus, Musonius atque Plutarchus philosophi.

Eis quae subsecuntur saeculis\*) fere prorsus in obli-  
vionem abisse tragoediam Romanam haec *Notkeri* verba  
docent (in Commentis ad Boethii philos. consolationem II  
pr. 2 ex. p. 52<sup>b</sup> ed. Hattemer):

Tragoediae sint luctuosa carmina. also diu sint. diu  
sophocles screib apud grecos de euersionibus regnorum  
et urbium. unde sint uideruuartig tien comoediis. an  
dien uuir io gehorên laetum unde iocundum exitum.  
*Uns ist aber unchunt. ube deheine latini tragici fun-  
dene uerdên . sô uuir gnûoge findên latinos comicos.*  
Peiper Suppl. p. 36.

---

\*) Nescio an ad tragoedias referenda sit Senecae mentio  
apud Auctorem Dialogi de Pontificatu S. Rom. Ecclesiae  
(Libelli de lite Imperatorum et Pontificum s. XI et XII con-  
scripti. Hannov. 1897 III 527): iam vero eadem varia lectione  
noster aliis illius aetatis scriptoribus praestitit, qua Rahe-  
winus. Novit et laudavit uterque — ius civile Romanum,  
decretum Gratiani, Sallustium, Ciceronem, Ovidium, Horatium,  
Lucanum, Senecam, Sidonium Apollinarem.

Quid? quod etiam saeculo decimo tertio Johannes Anglicus de Garlandia (Cloetta Beitr. z. Litteraturg. d. M. A. u. d. Ren. Halle a. d. S. 1890 I p. 15 n. 2) sic refert: 'unica vero tragoedia scripta fuit quondam ab Ovidio apud Latinos que sepulta sub silentio non venit in usum.' Quamquam in Italia tragicæ poësis Annaeanae memoria non omnis evanuit. Huius rei duo extant documenta, a Peipero in lucem prolata haec:

16. Eugenius Vulgarius clericus Italiae inferioris in carminibus et epistolis ad Sergium papam scriptis multos locos ex Senecæ tragoediis desumptos in suum usum convertit. Scripta Vulgarii e codice Bambergensi edidit E. Dümmler in libro qui inscribitur: *Auxilius und Vulgarius. Quellen und Forschungen zur Geschichte des Papsttums im Anfang des 10. Jahrhunderts*, Leipzig 1866. Tragoedias clericum expilasse et exemplari recensiois E usum esse docuit Peiper *De Sen. trag.* l. v. p. 14—16. Cf. Richter *Krit. Untersuch.* p. 6 s.

17. Uno saeculo post codicem Senecæ tragoedias complectentem in monasterio Pomposiano prope Ravennam sito extitisse Henricus clericus in catalogo librorum eius monasterii a. 1093 scripto post epistolas Senecæ librosque de beneficiis aliosque recenset 'eiusdem tragoediarum volumen'. Cf. Peiper *Suppl.* p. 36, Manitius p. 48, Richter *K. U.* p. 7 s.\*)

18. Guiñdo de Bazochis natus ante a. 1146, ante a. 1203 mortuus, in *Apologia*: 'nec ut ait in Hercule tragico Seneca:

---

\*) Eodem fere tempore clericus quidam de Leodiensi disciplina profectus carmen composuit de investiturae lite Leodii tum exorta, plenum artis et disciplinae antiquitatis, metris secundum Boetii normam conformatis, editum ex Cameraensi quodam libro a *M. Hauréau* (*Notices et Extraits* 31, 2 [1886] p. 172 sqq.) In eo carmine vestigia quaedam et indicia eo ducere, ut Senecæ tragoedias auctori cognitae fuisse colligere possis, demonstravi *K. U.* p. 8 n. 1.

'Senecta tritis et longa saciata vita' [H. I 849 s.]  
 Cf. Wattenbach Die Apologie des G. v. B. p. 19 (S. B. d. Berliner Ak. 1893 XXV 413, Richter K. U. p. 8.\*)

19. Richardus de Fournival, ecclesiae Amienensis cancellarius, qui medio floruit tertio decimo saeculo in *Biblionomia* (Delisle le cabinet des mscr. II 514 sqq. tab. XI, 129. Manitius Rh. Mus. N. F. 47 *Ergänzungsheft* S. 1 ff, S. 46, Peiper De Sen. trag. l. v. p. 6):

Lucii Annei Senecae Cordubensis liber tragediarum et sunt numero decem, scilicet Hercules Furens, Thyestes, Thebays, Ypolitus, Edippus, Troas, Medea, Agamemnon, Octavia et Hercules Etheus. Item ludus eiusdem Senecae de morte Claudii Neronis.

En exemplar interpolatae recensiois (A) primum, quod ipsius aevi temporibus usquedum potuit indagari (Richter K. U. p. 6 n. 3), unde non inepte coniecimus ex Italia antiquo tempore istam recensioem in Galliam esse translatae atque diffusae.\*) Non tamen in Italia propagari desiit, id quod libri a vetustioribus Italis adhibiti luculenter ostendunt. neque directo ordine in Gallia e primario quodam fonte fluxit. Nam *florilegia* et *excerpta* illis saeculis in ea provincia e Senecae tragoediis confecta quamquam ad interpolatam recensioem redeunt omnia, ex diversis tamen tragoediarum exemplaribus delibata esse neminem fugiet accuratius ea examinantem. Quare non a me impetrare potui, ut sententiae de peculiari quodam textu Gallico a Peipero prolatae (De Sen. tr. l. v. p. 6) accederem (K. U. p. 13). Sed luculenter illa ostendunt, nullo tempore defuisse, qui Senecae tragoediis in Gallia operam darent, quamquam non ea mente ut artis tragicae leges explorarent vel tragicae poesis fructibus delectarentur, sed animo ad morales sententias ex poeta ethice praecipis

---

\*) Liber quidam saeculi XII in civitate Bourges asservatus (*Delisle II 508, Manitius p. 45*) ita in catalogo perscriptus: 'Lucius Ennius (sic) Seneca Cordubensis' num tragoedias continuerit perquam dubium est.

uberrimo colligendas et excerptas intento.\*) Quamobrem (20—22) ut *Vincentius Bellovacensis* sic *Eclogae Lugdunenses* et *Parisinum florilegium* in testimoniis de Senecae tragoediis colligendis per medii aevi tempora propagatis non ultimum tenere locum fas est. De quibus ad ea quae a *F. Leone*, a *Peipero Cloetta Creizenachio* aliis disputata sunt in scriptis saepius commemoratis (K. U. p. 26 sq.) huius rei studiosos relegasse satis habui.

## CAPUT III

*Conspectus lectionis Peiperianae* (cf. supra p. VII).\*\*)

## HERCULES I

100 incitae | 132 aquis | 259 tremit | 268 civitasque  
Amphionis | 269 ignarum | 287 cecidit | 343 tenetur in-  
vitis | 380 larem, patriam | 383 ex isto | 390 superbo |  
427 effare thalamis q. n. potius p. | 430 Sc. n. potior  
est famulus t. | 454 monstra, saevas | 485 obvius | 538  
tenderent | 608 quaque | 612 vici | 634 hostis | 635 la-  
borque summus | 660 sq. tota — aethra | 723 specimen |  
742 animaeque | 739 tutorque | 799 clepit | 825 aciemque |  
840 qualis | 999 clava | 1068 volucer | 1137 ante 1122 |  
1198 voce cedentem | 1208 paretur | 1216—18 post 1234 |  
1340 restitue

## TROADES

251 primae | 269 alii | 279 etiam | 338 exolvit | 407  
408 post 400, deletis 401 402<sup>a</sup> | 457 excutit | 479 capax |  
533 sq. *Andromacha*. AND. Vester augur h. C. canit.  
VL. et, si t. | 553 hic | 585 ustis | 587 tumens | 633 sero |  
643 cari | 688 elidet | 797 premens | 821 Gyrtone | 959

\*) 'Seneca — librum tragediarum composuit in quo plurima per sententias multum utilia. et per exornationes (v. l. exortationes) multum suavia nobis tradidit.' Ex libro quodam Dresdensi.

\*\*) Coniecturae Peiperi in adnotatione critica memoratae non repetuntur hoc loco nisi quas in textum recipi voluit.

totum | 997 veniunt | 1031 sqq. tabulaque litus Naufraga,  
spargi mare cum coactis fl. C. prohibet reverti. | 1149 editus

## PHOENISSAE

2 pariter | 19 invisum | 31 montem | 108 faciet ubi-  
cunque est scelus | 116 volvat | 226 decus illud ingens,  
Graeciae fl. incl. | 328 sceptrum | 334 clara | 339 aut | 388  
tota | 504 tam | 524 om. a | 539 dura | 651 *codices se-*  
*quitur* | 660 *Polynici dat* | 664 *Iocastae dat.*

## MEDEA

62 placet et aspera (*Verg. G. III, 56*) | 142 muneri  
parcat meo | 252 violenter | 287 parvumne (*cum Bothio*) |  
451 ad quos | 549 si gnatos amat | 570 aetherae domus |  
636 inmanes | 651 sorte timenda | 668 sera serpens | 684  
coit omne monstrum: | 715 decussit | 718 dirusque | 950  
flentes gementes, fac scelus: p. p. | 993 ipse

## PHAEDRA

28 Alaeus | 87 tenuere portus | 121 ille | 208 vilis  
cibus | 213 cohercent | 239 s. *personae ut A* | 256 coherce |  
265 perituram | *post v. 276 lacunam significat* | 286 quae-  
que ad occasus iacet ora seros | 287—289 *delet* | 296—298  
*post 308* | 300 volvit | 316 *suo loco* | 439 quid te — do-  
mas? | 472 classibus | 510 iuvat et aut | 641 amore torret |  
697 maius hoc | 749 qualis | 768 folio lilia | 769 rosae |  
770 sic fulgor | 774 confidit | 775 subruet | 780 cinget |  
828 omnis | 882 s. anus adstricta | 912 vinctum | 989  
portat | 1035 *Theseo dat* | 1043 *ante 1042* | 1121 s. *post 1117*

## OEDIPUS

103 ioc. quid sera | 106 OED. ille | 187\* (oc. rig.)  
*delet* | 228 movit domum | 243 quaerit | 248 *post 256,*  
193—195 *Scaligerum sequitur*

405—515\*)

Lucidum caeli decus . . . . .

huc ades, votis . . . . .

\*) Peiperi de canticis polymetris sententiam indicavi K. U.  
p. 33 n. 3.

Thebae, Bacche, tuae quae tibi nobiles  
palmis supplicibus ferunt.

Huc adverte favens virgineum caput  
vultu sidereo discute nubila

et tristes Erebi minas

. . . . . avidumque fatum.

Te decet cingi . . . . .

floribus vèrnis hederave mollem

. . . . . religare frontem

te caput Thyra cohibere mitra.

472—503

senserunt terrae Zalacum feroces

quosque vicinus Boreas . . . .

arva mutantés . . . . .

quasque Maeotis . . . . .

alluit gentes . . . . .

frigido fluctu . . . . .

quasque despectat . . . . .

vertice e summo . . . . .

477 Arcadum sidus geminumque plaustrum,

482 . . Thermodontiacae catervae

483 <conditis> tandem levibus sagittis

Maenades factae . sacer <hinc> Cithaeron

sanguine undavit . . . . .

485 . . Amphioniaque caede;

Proetides silvas petiere, et Argos

praesidem Bacchum coluit novercae.

Naxos Aegaeo redimita ponto

tradidit . . thalamis relictam

virginem . . meliore pensans

490 damna marito.

pumice ex sicco . . . . .

\* fluxit Nyctelius latex \*

garruli gramen secuere rivi, \*

conbibit dulces humus alta sucos

495 . . . . . niveique lactis

candidos fontes . . . . .

\* et mixta adoro Lesbia cum thymo \*  
 ducitur magno nova nupta caelo  
 \* solemne Phoebus carmen \*  
 cantat infusis humero capillis;  
 500 concutit taedas geminus Cupido  
 Iuppiter telum posuit \* igneum  
 503 odit et Baccho veniente fulmen  
 648 s. agite exulem q. f. g. solum relinquet | 688 facitis  
 exemplum ut, sequor | 702 dubium putat  
 709—737

Non tu . . . . .

- 710 tantis causa periculis,  
 non haec Labdacidas petunt  
 fata, sed . . veteres deorum  
 irae secuntur: Castalium nemus  
 umbram Sidonio praebuit hospiti  
 lavit et Dirce Tyrios colonos,  
 715 ut primum \* magni natus Agenoris,  
 fessus per orbem furta sequi Iouis  
 sub nostra pauidus constitit arbore  
 praedonem venerans suum.  
 . . . . monituque Phoebi  
 720 iussus erranti comes ire vaccae,  
 flexerat quam non . . . . .  
 vomer aut tardi iuga curva plaustrum  
 inauspicatas deseruit fugas  
 nomenque genti de bove tradidit.  
 Tempore ex illo nova monstra semper  
 725 protulit tellus . . . . .  
 aut anguis imis vallibus editus  
 annosa supra robora sibilat  
 supraque pinus . . . . .  
 erexit . . caeruleum caput  
 supra Chaonias celsior arbores,  
 730 cum maiore sui parte recumberet;  
 aut feta tellus . . . . .  
 Impio partu . . . . .



effudit arma . . . . .  
 . . . . . sonuit reflexo  
 classicum cornu lituusque adunco  
 stridulos cantus . . . . .  
 \* elisit aere . . . . .

735 ante non linguas agiles et ora  
 vocis ignotae . . . . .  
 clamore primum . . . . .  
 hostico experti . . . . .

\* \* \*

762 ubi virgineos | 804 regnum; superbam | 838 sed nosse |  
 863—867 *Oedipo continuat* | 863 quaerenti vias | 864 si  
 ferus | 878 animos furens | 887 modicum | 959 *delet* |  
 996 s. duce non ullo | luminis orbus molitur iter | 1012 et  
 tenebris | 1013 matris, est m. s.

## AGAMEMNO

45 securem | 59 excelsa nimis | 146 dubium | 157  
 subolis (sobolis EA) | 207 aggerans | 252 efferunt | 254  
 longe eminent | 258 marita | 267 det | 301 regia viro |  
 428 lentura | 506 Ionio | 545 nunc iam

589—611

589 mentibus | 593 \* nec impotentis | 594 \* procella |  
 596 alta pax . . . . . nullos | 600 s. non pulverem nu-  
 bemve motam | barb. e. c. | 602 urbe cum tota | 604 . . .  
 indomitumve bellum | 605 omne perrumpet \* servitium |  
 606 .. cont. l. d. | 607 .. qui v. A. a. | 608 qui Styga  
 tristem videt [non tristis] . . . . | 609 s. audet et vitae  
 . . . . . | ponere finem | 610 ille par regi, superis erit par |  
 611 *delet*

612—637

Vidimus . . patriam ruentem  
 nocte funesta . . . . .  
 Dorici cum . . raperetis ignes  
 Dardana tecta.

*illa non armis neque victa bello:*

615 \* Herculea ut quondam cecidit pharetra

*Pelei quam non Thetidisque natus  
 \* carusque Pelidae nimium feroci  
 vicit, acceptis \* cum fulsit armis  
 \* Fuditque Troas . . . . .*

Falsus Achilles.

- 620 [Aut cum] ipse Pelides animos feroces  
 sustulit luctu celeremque saltu  
 Troades summis timuere muris:  
*perdit* extremum decus in \* malis
- 624 fortiter vinci . . . . .
- 626 unius noctis peritura furto
- 625<sup>b</sup> Troia bis quinis . . . . .
- 625<sup>a</sup> restatit annis .
- 627 Vidimus . . simulata dona  
 molis immensae Danaumque [fatale] munus  
 duximus nostra . . . . .  
 creduli dextra tremuitque saepe
- 630 limine in primo sonipes cavernis  
 conditos reges . . . . gestans  
 bellaque . . . . .  
 \* et licuit versare dolos, ut ipsi  
 fraude \* sua capti caderent Pelasgi.  
 Saepe commotae sonuere parmae
- 635 . . . aures tacitumque murmur  
 percussit <nostras> fremuitque . .  
 Subdolo parens male . . . . .  
 Pyrrhus Ulixi.

686 imitata | 690 furit | 701 greges | 715 immites | 733  
 ille | 742 s. tota pater Troia sepulte | 760 anguinea  
 808—866

- Argos nobilibus nobile civibus,  
 Argos iratae . . . novercae,
- 810 semper ingentes . . . alumnos  
 educas, . . numerum deorum  
 imparem aequasti: tuus ille . . .  
 . . bis seno meruit labore  
 adlegi caelo . . . . .

- magnus Alcides, cui lege mundi  
 815 Iuppiter rupta geminavit horas  
 roscidae noctis celeresque iussit  
 tardius currus agitare Phoebum  
 et tuas lente remeare bigas  
     pallida Phoebe.  
 . . . . . retulitque \* pedem
- 820 nomen alternis . . . . .  
 stella quae mutat . . . . .  
 seque mirata est . . . . .  
 Hesperum dici . . . . .  
 Solis ad vices . . . . .  
 movit Aurore caput, at relabens  
 in <sinus rursus> posuit senilis  
     colla mariti.  
 Sensit occasus, . . sensit ortus
- 825 Herculem nasci; uiolentus ille  
 nocte non una poterat creari.  
 substitit mundus tibi concitatus,
- 828 o puer <magnum> subiture caelum  
     - ∪ ∪ - -  
 Te sensit \* Nemeaeus arto
- 830 pressus lacerto fulmineus leo  
 cervaque Parrhasis - ∪ - -  
 sensit Arcadii populator agri  
 - ∪ - - - gemuitque taurus  
 . . \* Dictaea . . . . . linquens  
     horridus arva.
- 835 Morte fecundum domuit draconem  
 . . . . . vetuitque collo  
 . . . . . pereunte nasci  
 . . . . . geminosque fratres  
 pectore ex uno tria monstra natos  
 stipite incusso . . . . .  
 fregit insultans . . . . .
- 840 duxitque ad ortus Hesperium pecus  
     Geryonae spoliū triformis.

Egit Threicium gregem,  
 quem non Strymonii gramine fluminis  
 Hebrive ripis - - -  
 pavit - - - tyrannus  
 845 hospitem dirus stabulis cruorem  
 praebuit saevis \* tinxitque crudos  
 ultimus rictus . . . . .  
 sanguis aurigae - - -  
 - - -

\* vidit Hippolyte ferox  
 \* pectore e medio rapi  
 \* spoliū et sagittis  
 850 \* nube percussa Stymphalis alto  
 decidit - - - caelo  
 arborque pomis fertilis aureis  
 insueta carpi pertimuit manus  
 - - - fugitque in auras  
 - - - leviore ramo.  
 855 - - - audivit sonitum - - -  
 frigidus custos crepitante lamna  
 nescius somni - - - ,  
 linqueret cum iam nemus omne fulvo  
 plenus Alcides vacuum metallo.  
 Tractus ad caelum canis inferorum

860 - - - triplici catena  
 - - - tacuit nec ullo  
 ore latravit - - -  
 lucis ignotae metuens colorem  
 \* te duce succidit  
 \* mendax Dardanidae domus  
 \* et sensit arcus iterum timendos  
 865 \* te duce concidit . . totidem diebus  
 Troia quot annis.

*vel sic:* Succidit mendax duce te - - -  
 Dardani - - domus - - -  
 En <tuos> arcus iterum timendos

Sensit - - - duce te - - -  
 Concidit - - totidem diebus  
 Troia quot annis.

870 resurgit | 871 pares Mycenae | 897 qualis qui — prius

## THYESTES

47 levissimum sit; fratris | 101 Sequere, hunc | 114  
 laetus | 222<sup>b</sup> 223<sup>a</sup> (coniugem — furto) *delet* | 233 sacro |  
 240 et certi nihil | 255 modum | 267 animus | 372 lu-  
 cidum | 373 sanguineis | 462 metitur | 486 captus | 586s.  
*delet* | 673 tuta | 706 assiluit | 739 rueret | 769 ut pati |  
 771 an flammae gemant | 778<sup>b</sup>—782<sup>a</sup> (lancinat — fauces)  
*delet* | 808<sup>b</sup>—809 (num Typh.) *delet* | 833 et m. et ignes |  
 873 *delet* | 909 purpura | 945 quis me prohibet | 955  
 libet ei | 1008 amnesque | 1052 ut facias | 1105 tangit

## HERCULES II

14 cum cesset | 16 argolicas | 47 laxata per me | 49  
 unde omne retro est | 66 timui | 102 ara | 124 set | 142  
*del.* | 147—150 *non transponit* | 155 Martem | 165 potuit |  
 167 qui — qui | 168 thessalicum constitit aggerem | 167  
 caelo quom insereret | 181 cunctos | 210 pro si | 231  
 malo | 273 furens | 309 sanctae | 318 Rogos — parens |  
 356 ab illo | 368 retinet Herculei | 383 decussit | 387 nec  
 ulla | 390 *delet*; 399<sup>b</sup>—401<sup>a</sup> (quaeve—mali) *delet* | 460  
 sonuit | 466 alit ubi | 489 diem | 494 rubet | 520 tabem  
 fluentem | 521 insertam | 541 Te, te precor | 542 quatis |  
 557 flammis | 574 Nunc | 625 austri | 685 *post* flemus  
 dubios *hemistichii lacunam indicat* | 640—642 *post* 615 |  
 623 austri | 627 Hermus | *post* 669 *lacunam statuit* |  
 702 rapido | 707 exangues | 724 *post* 728 | 728 t. arsit  
 vix queo m. eloqui | 734 tepida | 742 latet | 782 nulla  
 811 metu | 819 iussa | 822 cervix | 876 reddentur  
 887sq. quic. f. ignoscit. et parcit sibi. Errare merui:  
 m. d. p. | 898 miseram | 899 inrogat | 903 Megaren  
 918 dente cum infixio stetit | 940sq. Iuno — terris *delet*  
 981 restitit | 987 eripui | 997 frangens | 999 referes

1007 diva | 1008 en ecce diras | 1029 surgit | 1068 movit | 1072 audito quoque carmine | 1079 linqueret | 1080 carmina temperans | 1119 1120 *ponit post v* 1115 | 1124 capiet nefas? | 1125 fratrum quis, superi, locus? | 1163 quam p. | 1167 *servat* abruptum | 1175 Herculis vestri | 1176 mortem perire | 1197 cum | 1201 fortis | 1203 reduxit | 1221 tumidumque cor | 1226 totas | 1228 quod ego esse | 1232 quod ego | 1238 depulit | 1240 elisum et | 1246 in me? sepultae | 1261 palam timori | 1283 movet | 1284 *delet* | 1309 Pindum | 1322 irata precor | 1365 qui sat est | 1392 ingens surgat. hinc | 1399 destne | 1407 solus Herculem | 1428 nato | 1433 solus Herculem | 1498 cara | 1505 natura | 1527 unde non umquam remeavit ullus | *post* 1559 *lacunam significat* | 1577 *delet* | 1595 En quid hoc? | 1610 esse tam | 1629 tandem, tum | 1631 admisit: omnis sedibus | 1750 qua plurimus | 1789 gregis | 1792 hanc uret | 1794 sq. *vulgatam interpolationem retinet* | 1799 si patriam | 1800 miseros Argos | 1825 petet — poseet | 1837 patent | 1849 deflevit | 1850 septenos rigens | 1859 quod t. b. | 1862 *addit titulum*: CHORVS. ALCMENE | 1874 ALC. *cum E praefigit* | 1883 *addit* CHO. | 1887 poscite | 1891 *addit* ALC. | 1914—1916 *sequitur A*

## OCTAVIA

Versuum ordinem prioris editionis retinet.

34 facili bono | 36 uno patentis | 49 quem spreta | 50 ardent mariti, mutua flagrant f. | 52 mutat | 133 captat | 144 dira et sitis | 181 expectet | 201 *addit* CHORVS (*vv. 201—221 post v. 272 translatis*) | 208—212 *delet* | 213 tandem | 233 aeternae | 237 quae regit | 249 *tradito loco* — Nero iste, diro | 262 illo | 308 lacerosque | 392 nunc adest | 399 terrae | 407 suscepta | 416 interior | 421 suis | 449 esse | 461 Suspectus | 489 spiritu sacro | 545 cedit | 553 recedat | 559 arcusque sacros | 574 prohibeor | 577 furor | 590 propria vota | 602 vox illa |

611 mortis | 617 poenam poscit | (653 mortemve) | 661  
 cho. Soror o diri | 691 quodve | 696 culpaque nati | 715  
 atrae | 728 resedi | 734 sq. timor — nostros *delet*, quatit  
 ora | 740 introrsus | 742 rogos | 761 suadet ut pr. metus |  
 779 et quid | 780 miles exultat | 787 en efferata | 789 diri |  
 800 repetit | 809 iunctus | 858 qua temperet | 859 spec-  
 tabit iram | 867 quis concitare potuit? | 876 tumor |  
 889 nec tuta | 899 quove | 902 evicta | 903 si caede |  
 927 perquam | 941 Livia Drusi | felix thalamis n. f. | 958  
 mittet | 972 Pandateriae

---

Restat ut debitas gratias agam PAULO KOETSCHAVIO  
 meo, cuius strenuam operam cum in plagulis corrigendis  
 tum in critico apparatu ad subtilitatem exigendo praesti-  
 tam magno mihi fuisse adiumento grato profiteor animo.

Scrpsi hanc praefationem vere superioris anni, retrac-  
 tavi et confeci Maio mense huius anni (cf. supra p. VII\*).

Jenae, Kal. Jun. MCMII

Gustavus Richter.

---

## CONSPECTUS LIBRORUM

in adnotatione critica solis scriptorum nominibus  
vel brevioribus notis allatorum.

- AEM. BAEHRENS *Miscellanea critica*. Groningae 1878
- RIC. BENTLEI notas ad Senecae tragoedias emendandas editioni Gronovianae (Amstelodami 1682) adscriptas (Mus. Britt. n. 686f. 8) primus edidit ADALB. STACHELSCHEID in Jahni annalibus (125 p. 481sq.), post eum et copiosius et rectius EDM. HEDICKE in Studiorum Bentleianorum fasciculo altero p. 9sq. (Seneca Bentleianus. Freienwaldiae 1899)
- FRID. BESSEL *Miscellaneorum philologo-criticorum Syntagma* (Amstelodami 1742) cap. V p. 36sq.
- THEOD. BIRT Zu Seneca's Tragödien. Mus. Rhen. 34 (1879), 509 sqq.
- FR. BÜCHELER coniectanea Mus. Rhen. 27 (1872) p. 474
- P. HABRUCKER *Quaestionum Annaeanarum capita IV*. Regimonti Prussorum 1873
- FRANZ HARDER *Bemerkungen zu der Tragödien des Seneca*. Aus der Festschrift Johannes Vahlen zum 70. Geburtstag gewidmet XXIV.
- NIC. HEINSIUS *Adversariorum libri IV* . . . curante P. Burmanno iun. Harlingae 1742
- A. HENNEBERGER *Adnotationes ad Senecae Medeam et Troades maximam partem criticae*. Meiningen 1862
- JOH. MICH. HEUSINGER *Emendationum libri II* . . . Gothae 1751 (II cap. VII p. 355sq.)
- J. JORTINUS *Miscellanae observationes I* (p. I p. 68sq. p. II p. 281sq.)
- J. CHR. KAPPIUS *Periculum criticum in quo Senecae tragici et aliorum script. vet. loca quaedam explicantur et emendantur*. Erlangae 1786
- PAUL KOETSCHAU Zu Seneca's Tragödien. Philol. Vol. 61 (1902) p. 133sq.
- FRID. LADEK *De Octavia praetexta*. Dissertationes philologiae Vindobonenses. Vol. III (1891) p. 1sq.
- FRID. LEO *Anecdoton Lugdunense*. Commentationes in honorem Fr. Buecheleri Herm. Vseneri editae a societate phil. Bonnensi. Bonnae 1873
- " " *De recensendis Senecae tragoediis*. Hermes t. X, fasc. IV p. 423sq.
- " " *L. A. Senecae tragoediae rec. et em.* F. L. Vol. I et II Berolini 1878. 1879
- " " *Die Komposition der Chorlieder Senecas*. Mus. Rhen. 52 (1897) p. 507sq.
- CLAES LINDSKOG *Studien zum antiken Drama* Lund 1897 II. Zu den Tragödien des Seneca.



- J. NIC. MADVIGH *Adversaria critica ad scriptores graecos et latinos.* Hauniae 1861
- P. MELZER *De Hercule Oetaeo Annaeana.* Chemnitz 1890
- LUC. MÜLLER *De re metrica poetarum latinorum praeter Plantum et Terentium libri VII.* Lipsiae 1861. 1894<sup>2</sup>
- „ „ *Zur Litteratur der Tragödien des Seneca.* Fleckeiseni annales Vol. 89 (1864) p. 409 sqq. 473 sqq. 1866 p. 61 ff.
- MICH. MÜLLER *In Senecae tragoedias quaestiones criticae.* Berolini 1898
- „ „ *Ad Senecae tragoedias Philol. Vol. 61 (1901) p. 261 sqq.*
- H. NOLTE *Philol. Vol. 23 (1864) p. 651 Zeitschr. f. österreich. Gymn. 1880 p. 87*
- RUD. PEIPER *Observatorum in Senecae tragoedias libellus.* Vratislaviae 1863
- „ „ *Praefationis in Senecae tragoedias—supplementum.* Vratislaviae 1870 (praef. suppl.)
- „ „ *De Senecae tragoediarum lectione vulgata.* Vratislaviae 1893 (V. L.)
- GUST. RICHTER *De corruptis quibusdam Senecae tragoediarum locis. Symbola doctorum Jenensis Gymnasii in hon. gymn. Isenac. collecta (Jenae 1894) p. 1 sqq. (symb.)*
- „ „ *Krit. Untersuchungen zu Seneca's Tragödien.* Jena 1899 (K. U.)
- O. ROSSBACH *De Senecae philosophi librorum recensione et emendatione (Breslauer Philol. Abhandlungen II, 3) Breslau 1888*
- JANI RUTGERSII *Variarum lectionum l. VI. Lugduni Bat. 1618*
- BERNH. SCHMIDT *De emendandarum Sen. trag. rationibus prosodiacis et metricis.* Berolini 1860
- „ „ *Observationes criticae in L. A. Senecae tragoedias.* Jenae 1865
- „ „ *Fleckeiseni ann. Vol. 97 (1868) p. 781 sqq. 855 sqq.*
- GUIL. SUMMA *Symb. criticae ad Sen. tragoedias.* Neustadt a. d. H. 1896
- L. TACHAU *Die Arbeiten über die Tragödien des L. Annaeus Seneca.* Philologus Vol. 48 (1889)
- E. THOMAS *Miscellae quaestiones in Senecam philosophum.* Hermes 28 (1893)
- R. WERNER *De L. A. Senecae Hercule Troadibus Phoenissis quaestiones.* Lipsiae 1888
- JO. HILD. WITHOFII *Praemetium crucium criticarum praecipue ex Seneca tragico.* Lugd. Bat. 1749
- JUSTI ZINZERLINGII *Criticorum juveniliū promulsis . . . (Syn-tagma criticum variorum auctorum . . . ex biblioth. J. H. Schminckii. Marburgi Catterum 1717)*

ADDENDA QUAEDAM ET CORRIGENDA

HI 353 a. p. r. e. pessimam invidiam pati *ci. Summa* p. 203 477sq. cf. *Harder* 454sq. — 577 d. E. Threiciam nurum *ci. Summa* p. 5. teligerae n. *Harder* p. 463 — 1229 traditam lectionem (ensem) etiam *Harder* p. 455 defendit — TR 15 nihil opus est coniecturis — 844 Salamina agere *ci. Summa* p. 27 — 1098 fert os superbe *idem* p. 24 — M 657 cf. *Harder* p. 451 — P. 399 pro *patris* legendum *patriis* — O 171sq. cf. *Harder* p. 459sq. — 179 lege: 'Actaeonios' cum *Bentleio* et *Hardero* p. 460 — A 69sq. cf. *Harder* p. 449 — 548 defendit *Harder* p. 458 — THY. 867 non opus esse emendatione *Harder* mihi persuasit p. 447sq. — HX 171sq. cf. *Harder* p. 459 — 415 orbe cum toto iacet *ci. Summa* p. 29 — 1310 arcesse q. m. morte proscripta o. *idem* p. 15 — 1322 irata quater *ci. idem* p. 16 — 1558 Aeaconque cum *Gronovio Harder* p. 459 — 1652 bis terque felix *ci. Summa* p. 18 — Oct. 36 stupens latentis *ci. Summa* p. 12 — 461 *Summa* p. 9 *ci.*: Des pectus ensi faciat (consensus ratum faciet, ut pectus ensi des, i. e. ut victimam me praebeam iratis.)

Annaeanarum quaestionum materiae et subsidiorum notitiam plenissimam suppeditat *Martini Schanz* *Historia litt. Rom.* II<sup>2</sup> (Monaci MCM) —

---

CODICUM SIGNA

E codex Laurentianus 37, 6 (Etruscus)

R folia rescripta Ambrosiana

T excerpta Thuanea

Σ amissum Etrusci apographum, archetypus codicum M et N (cf. Leo I, 1sq.)

A lectio interpolatae recensio recentiorum codicum consensu tradita (vel genuina vel antiquitas depravata)

A<sup>r</sup> lectio interp. rec. qualis ante renatas in Italia litteras extitit, consensu codicum Trevethianorum (R10 Ag. V<sup>r</sup> cf. praef. p. XX) tradita.

ψ lectio iunioris Italiae, ab A vel A<sup>r</sup> discedens (K. U. p. 24 n. 1)

α lectio editionis Aldinae ab Hieron. Avantio Venetiis a. MDXVII foras datae.

---

# HERCVLES

## PERSONAE<sup>1)</sup>

I HERCVLES

LYCVS

II AMPHITRYON

IVNO

III THESEVS

MEGARA

CHORVS THEBANORVM

SCAENA THEBIS

<sup>1)</sup> Personarum indicem sic descripsimus, ut leges de numero actorum et de loci unitate a poeta servatas esse appareat.

## IVNO

Soror Tonantis (hoc enim solum mihi  
 nomen relictum est) semper alienum Iovem  
 ac templa summi vidua deserui aetheris  
 locumque caelo pulsa paelicibus dedi;  
 tellus colenda est: paelices caelum tenent.  
 hinc Arctos alta parte glacialis poli  
 sublime classes sidus Argolicas agit;  
 hinc, qua tepenti vere laxatur dies,  
 Tyriae per undas vector Europae nitet;  
 illinc timendum ratibus ac ponto gregem 10  
 passim vagantes exerunt Atlantides.  
 ferro minax hinc terret Orion deos  
 suasque Perseus aureus stellas habet;  
 hinc clara gemini signa Tyndaridae micant  
 quibusque natis mobilis tellus stetit. 15  
 nec ipse tantum Bacchus aut Bacchi parens  
 adiere superos: ne qua pars probro vacet,  
 mundus puellae sarta Gnosiacae gerit.  
 sed vetera sero querimur \*  
 \* una me dira ac fera

MARCI LVCHII E in recensu fabularum et in subscriptionibus  
 quotquot extant (desunt post Phoenissas Oedipum Thyestem) LVCHII  
 A PVBLII ψ ANNEI SENECAE HERCVLES E in catalogo et in sub-  
 scriptione fabulae HERCVLES FVRENS A

8 tepente AE<sup>2</sup> recenti E<sup>1</sup>Σ || 12 ferro minax hinc terret  
 E<sup>1</sup>Σ fera coma hinc exterret AE<sup>2</sup> erasam prioris manus scrip-  
 turam in marg. repetiit E<sup>2</sup> || 13 aureas A || 18 mundus puellas  
 fert. anobis lac egent E (egerit legit Ribb.) || 19 sero om. ψ duo  
 hemistichia excidisse probavit Richter symb. Ien. p. 18 sqq., quae  
 sic fere explenda censet: Sed v. s. q. <haec etiam nova Inulta  
 patimur?> una m. d. a. f. || 19<sup>b</sup>—21<sup>a</sup> (una—fecit) om. A<sup>z</sup> (exc. Vd.)

Thebana tellus nuribus a! sparsa impiis 20  
 quotiens novercam fecit! escendat licet  
 meumque victrix teneat Alcmene locum,  
 pariterque natus astra promissa occupet,  
 in cuius ortus mundus impendit diem  
 tardusque Eoo Phoebus effulsit mari 25  
 retinere mersum iussus Oceano iubar.  
 non sic abibunt odia; vivaces ager  
 violentus iras animus et saevus dolor  
 aeterna bella pace sublata geret.

Quae bella? quicquid horridum tellus creat 30  
 inimica, quicquid pontus aut aer tulit  
 terribile dirum pestilens atrox ferum,  
 fractum atque domitum est. superat et crescit malis  
 iraque nostra fruitur; in laudes suas  
 mea vertit odia: dum nimis saeva impero, 35  
 patrem probavi, gloriae feci locum.  
 qua Sol reducens quaque deponens diem  
 binos propinqua tinguit Aethiopas face,  
 indomita virtus colitur et toto deus  
 narratur orbe. monstra iam desunt mihi 40  
 minorque labor est Herculi iussa exequi,  
 quam mihi iubere: laetus imperia excipit.  
 quae fera tyranni iura violento queant  
 nocere iuveni? nempe pro telis gerit  
 quae timuit et quae fudit: armatus venit 45  
 leone et hydra. nec satis terrae patent:  
 effregit ecce limen inferni Iovis  
 et opima victi regis ad superos refert.  
 parum est reverti, foedus umbrarum perit:

20 nuribus sparsa tellus A tellus n. sp. E corr. *Baehrens misc. cr. p. 34 n. 1 cf. symb. Ien. l. n.* || 21 escendat E<sup>1</sup>Σ ascendat AE<sup>2</sup> || 22 torum I. Gronov || 24 ortus (s. erasa) E (*Ribb.*) ortu A || 34 fruimur E<sup>1</sup>Σ fruitur AE<sup>2</sup> || 36. 37 patrem probavit. inde qua lucem premit aperitque thetis qua ferens titan diem A et erasa genuina scriptura, quam Σ praebet, E<sup>3</sup> || 37 reponens E corr. ψ || 38 tingit ex tinguit E<sup>1</sup> || 43 quo A | iussa AN<sup>2</sup> i. ras. E<sup>3</sup> iu/a E<sup>1</sup> iura M (*cf. Leo*) || 49 traiecit Leo post v. 54; 50—54 del. *Peiper*

vidi ipsa, vidi nocte discussa inferum 50  
 et Dite domito spolia iactantem patri  
 fraterna. cur non vinctum et oppressum trahit  
 ipsum catenis paria sortitum Iovi  
 Ereboque capto potitur et reteggit Styga?  
 patefacta ab imis manibus retro via est 55  
 et sacra dirae mortis in aperto iacent.  
 at ille, rupto carcere umbrarum ferox,  
 de me triumphat et superbifica manu  
 atrum per urbes ducit Argolicas canem.  
 viso labantem Cerbero vidi diem 60  
 pavidumque Solem; me quoque invasit tremor,  
 et terna monstri colla devicti intuens  
 timui imperasse. levia sed nimium queror;  
 caelo timendum est, regna ne summa occupet  
 qui vicit ima: sceptrā praeripiet patri. 65  
 nec in astra lenta veniet ut Bacchus via:  
 iter ruina quaeret et vacuo volet  
 regnare mundo. robore experto tumet,  
 et posse caelum viribus vinci suis  
 didicit ferendo; subdidit mundo caput 70  
 nec flexit umeros molis immensae labor  
 meliusque collo sedit Herculeo polus.  
 immota cervix sidera et caelum tulit  
 et me prementem: quaerit ad superos viam.

Perge ira, perge et magna meditantem opprime, 75  
 congregere, manibus ipsa dilacera tuis:  
 quid tanta mandas odia? discedant ferae,  
 ipse imperando fessus Eurystheus vacet.  
 Titanas ausos rumpere imperium Iovis

52 victum A<sup>r</sup> (exc. R 10) || 54 repetit Bentley (Tro. 198),  
 relegit Withof || 56 dirae AE<sup>2</sup> durae E<sup>1</sup>Σ cf. Leo || 62 et tetra  
 A, E<sup>3</sup> (i. ras. 5 litt.) terna Σ (eterna M) | devicta Σ devicti  
 (ti ex ta i. ras.) E || 63 minimum Σ, E<sup>1</sup> (inde i. ras. nimium) ||  
 66 lenta ex -us E<sup>2</sup> | ut bacchus (ut bac i. ras.) E<sup>2</sup> || 68 ex-  
 penso A || 71 post 72 traiecit Peiper || 72 mediusque A || 76 ipsa  
 iam lacera A || 77 quid lenta ci. Bentley (cf. de ira III 3)

emitte, Siculi verticis laxa specum, 80  
 tellus gigante Doris excusso tremens  
 supposita monstri colla terrifici levet —  
 [sublimis alias Luna concipiat feras]  
 sed vicit ista. quaeris Alcidae parem?  
 nemo est nisi ipse: bella iam secum gerat. 85  
 adsint ab imo Tartari fundo excitae  
 Eumenides, ignem flammeae spargant comae,  
 viperea saevae verbera incutiant manus.  
 i nunc, superbe, caelitem sedes pete,  
 humana temne. iam Styga et manes ferox 90  
 fugisse credis? hic tibi ostendam inferos.  
 revocabo in alta conditam caligine,  
 ultra nocentum exilia, discordem deam  
 quam munit ingens montis oppositi specus;  
 educam et imo Ditis e regno extraham 95  
 quicquid relictum est: veniet invisum Scelus  
 suumque lambens sanguinem Impietas ferox  
 Errorque et in se semper armatus Furor —  
 hoc hoc ministro noster utatur dolor.  
 Incipite, famulae Ditis, ardentem citae 100  
 concutite pinum et agmen horrendum anguibus  
 Megaera ducat atque luctifica manu  
 vastam rogo flagrante corripiat trabem.  
 hoc agite, poenas petite vitiatae Stygis.  
 concutite pectus, acrior mentem excoquat 105  
 quam qui caminis ignis Aetnaeis furit:  
 ut possit animo captus Alcides agi,  
 magno furore percitus, vobis prius  
 insaniendum est. Iuno, cur nondum furis?

81 gigante (e ex is i. ras.) E<sup>(2?)</sup> || 82 et 89 cf. *infra ad*  
*v. 123* || 83 *delevit Leo* || 83—89 *om. A<sup>τ</sup>* || 89 *supernas Bentley* ||  
 90 *feros ΣE<sup>1</sup>* || 91 *ante v. 90 E sed propositis litteris a b resti-*  
*tutus ordo quem tenet Σ* || 92 *reserabo Bentley* || 93 *dissortem pla-*  
*gam Bentley; cf. Gronov. ad Thy. 1012* || 94 *qua E* || 95 *e regno*  
*ditis A<sup>τ</sup>* || 96 *veniat A cf. Richter K. U. p. 24* || 100 *incitae A* ||  
 104 *violatae A* || 107 *animum A* || 108 *nobis A* || 109 *furit ψ*



me me, sorores, mente deiectam mea 110  
 versate primam, facere si quicquam apparo  
 dignum noverca; vota mutantur mea:  
 natos reversus videat incolumes precor  
 manumque fortis redeat. inveni diem,  
 invisam quo nos Herculis virtus iuvet. 115  
 me vicit: et se vincat et cupiat mori  
 ab inferis reversus. hic prosit mihi  
 Iove esse genitum. stabo et, ut certo exeant  
 emissa nervo tela, librabo manu,  
 regam furentis arma, pugnanti Herculi 120  
 tandem favebo — scelere perfecto licet  
 admittat illas genitor in caelum manus.  
 Movenda iam sunt bella: clarescit dies  
 ortuque Titan lucidus croceo subit.

## CHORVS

Iam rara micant sidera prono 125  
 languida mundo; nox victa vagos  
 contrahit ignes luce renata,  
 cogit nitidum Phosphoros agmen;  
 signum celsi glaciale poli  
 septem stellis Arcados ursae 130  
 lucem verso temone vocat.

Iam caeruleis evectus equis  
 Titan summa prospicit Oeta;

110 delectat E<sup>1</sup>(M) || 112 vota Σ iam odia A, 3 m. i. ras.  
 4—5 litt. E\* || 116 me vicit Σ me pariter A et E<sup>3</sup> (sed pariter  
 i. ras. 5 litt.) | me vicit protasin esse docuit M. Müller p. 5.  
 118 certo: o corr. ex e, ut vid. (Ribb.) || 119 manum A || 123 post  
 v. 89 A (post v. 82 τ) || 124 om. A || 125—161 om. A<sup>r</sup> cf. Richter  
 K. U. p. 5 || 125 totum carmen dimetris decurrit uno monometro  
 (151 testata diem), nisi quod 151sq. 153sq. singulis versibus coniuncti  
 leguntur, pristinis tamen iniitiis minio distinctis E 162—201 di-  
 metri A, sed 195 (tollat et astris) et 197<sup>b</sup> (tutoque tegat) mono-  
 metri A<sup>r</sup> De florilegiorum dispositione cf. Richter K. U. p. 34  
 n. 1, de rhetorica canticorum compositione ibd. p. 47 || 128 bos-  
 foros E || 130 Arcades ψ | versum del. Leo || 131 vocant E corr. ψ  
 132 aquis ψ || 133 summum prospicit Oetan ψ

\* *Subtiliora de diversis correctorum manibus testimonia fere ubique Leonis sunt*

iam Cadmeis incluta Bacchis aspersa die dumeta rubent Phoebique fugit reditura soror. labor exoritur durus et omnis agitat curas aperitque domos.	135
Pastor gelida cana pruina grege dimisso pabula carpit; Iudit prato liber aperto nondum rupta fronte iuencus, vacuae reparant ubera matres; errat cursu levis incerto molli petulans haedus in herba.	140 145
Pendet summo stridula ramo pinnasque novo tradere soli gestit querulos inter nidos Thracia paelex, turbaque circa confusa sonat murmure mixto testata diem.	150
Carbasa ventis credit dubius navita vitae, laxos aura complente sinus. hic exesis pendens scopulis aut deceptos instruit hamos aut suspensus spectat pressa praemia dextra: sentit tremulum linea piscem.	155
Haec, innocuae quibus est vitae tranquilla quies et laeta suo parvoque domus; spes immanis urbibus errant trepidique metus.	160 160 <sup>b</sup>

134 incluta (u m. rec. corr. in i Ribb.) E | baccis  $\psi$  || 150 circum A (?) || 161 p. d. iam spes in agris vel spes et in agris  $\psi$  spes iam magnis E correxit B. Schmidt obs. cr. p. 8 || 162 CHORVS Turbine magno spes sollicitae A. om. E in marg. add. E<sup>2</sup> cf.

149 sqq. Numeros Gronovianos ubique revocavimus; quare, ubi res flagitabat, eundem numerum bis posuimus addita repetito b littera

Ille superbos aditus regum  
 durasque fores expers somni  
 colit, hic nullo fine beatas  
 componit opes gazis inhians  
 et congesto pauper in auro. 165

Illum populi favor attonitum  
 fluctuque magis mobile vulgus  
 aura tumidum tollit inani;  
 hic clamosi rabiosa fori  
 iurgia vendens  
 improbus iras et verba locat. 170

Novit paucos secreta quies,  
 qui velocis memores aevi  
 tempora numquam reditura tenent.  
 dum fata sinunt, vivite laeti:  
 properat cursu vita citato  
 volucrique die 179<sup>b</sup>  
 rota praecipitis vertitur anni;  
 180  
 durae peragunt pensa sorores  
 nec sua retro fila revolvunt.

At gens hominum fertur rapidis  
 obvia fati incerta sui:  
 Stygias ultro quaerimus undas. 185  
 nimium, Alcide, pectore forti  
 properas maestos visere manes:  
 certo veniunt tempore Parcae.  
 nulli iusso cessare licet,  
 nulli scriptum proferre diem: 190  
 recipit populos urna citatos.

Alium multis gloria terris  
 tradat et omnes fama per urbes

*Richter K. U. p. 5 del. Leo. Versum ad supplendum carminis initium esse confictum etiam Peiper sibi persuasit* || 166 ac nullo EA corr. α || 167 componit ex cump. E<sup>3</sup> (Ribb.) || 171 volvit A(τ) || 183 flatum Σ fertur A, E<sup>3</sup> i. ras. 6 litt. || 184 suis Σ, E erasa s || 188 tempore Σ ordine A, E<sup>3</sup> i. ras. 7 litt. || 192 gloria seclis F. Jacobs ad Eurip. trag. p. 326 || 193 post 194 E

garrula laudet  
 caeloque parem tollat et astris; 195  
 alius curru sublimis eat:  
 me mea tellus  
 lare secreto tutoque tegat. 197<sup>b</sup>  
 venit ad pigros cana senectus,  
 humilique loco sed certa sedet  
 sordida parvae fortuna domus: 200  
 alte virtus animosa cadit. —

Sed maesta venit crine soluto  
 Megara parvum comitata gregem,  
 tardusque senio graditur Alcidae parens.

### AMPHITRYON MEGARA LYCVS

O magne Olympi rector et mundi arbiter, 205  
 iam statue tandem gravibus aerumnis modum  
 finemque cladi. nulla lux umquam mihi  
 secura fulsit: finis alterius mali  
 gradus est futuri. protinus reduci novus  
 paratur hostis; antequam laetam domum 210  
 contingat, aliud iussus ad bellum meat;  
 nec ulla requies tempus aut ullum vacat,  
 nisi dum iubetur. sequitur a primo statim  
 infesta Iuno: numquid immunis fuit  
 infantis aetas? monstra superavit prius 215  
 quam nosse posset. gemina cristati caput  
 angues ferebant ora, quos contra obvius  
 reptabat infans igneos serpentium  
 oculos remisso lumine ac placido intuens;

203 Maegera EA<sup>r</sup> || 204 graditur|Alc. parens A<sup>r</sup> || 205 Me-  
 gera. Amphitryon. Licus A || 207 umquam viro *ci. Withof,*  
*u. Herculi de Wilamowitz u. meis Peiper* || 208 *Leo sententiam*  
*olim stetisse coniecit tali complemento:* [nullus e nati datur | la-  
 bore fructus] *Cf. 1253 sqq.* || 211 bellum exeat A | 212 ullum  
 datur A || 213 apprime AE<sup>2</sup> a primo E<sup>1</sup>Σ || 216 posset (e *corr.*  
*ex i*) E (possit N) || 218 reptavit A | serpentium: i *eras.* (E<sup>1</sup>?) ||  
 219 lumine Σ, uultu *i. ras.* E pectore A

artos serenis vultibus nodos tulit, 220  
 et tumida tenera guttura elidens manu  
 prolusit hydrae. Maenali pernix fera,  
 multo decorum praeferens auro caput,  
 deprensa cursu; maximus Nemeae timor  
 pressus lacertis gemuit Herculeis leo. 225  
 quid stabula memorem dira Bistonii gregis  
 suisque regem pabulum armentis datum,  
 solitumque densis hispidum Erymanthi iugis  
 Arcadia quater nemora Maenalium suem,  
 taurumque centum non levem populis metum? 230  
 inter remotos gentis Hesperiae greges  
 pastor triformis litoris Tartesii  
 peremptus, acta est praeda ab occasu ultimo;  
 notum Cithaeron pavit Oceano pecus.  
 penetrare iussus solis aestivi plagas 235  
 et adusta medius regna quae torret dies  
 utrimque montes solvit ac rupto obice  
 latam ruenti fecit Oceano viam.  
 post haec adortus nemoris opulenti domos  
 aurifera vigilis spolia serpentis tulit; 240  
 quid? saeva Lernae monstra, numerosum malum,  
 non igne demum vicit et docuit mori,  
 solitasque pinnis condere obductis diem  
 petit ab ipsis nubibus Stymphalidas?  
 non vicit illum caelibis semper tori 245  
 regina gentis vidua Thermodontiae,  
 nec ad omne clarum facinus audaces manus  
 stabuli fugavit turpis Augei labor.

220 *del. Withof* || 224 *cursu est A est om. E (et sic Bentley)* || 225 *gemuit lacertis pressus A* || 226 *gregis? (sic) E* || 228 *hispidi Bentley* || 232 *carcesii E cartesii (carchesii) A<sup>r</sup>* || 236 *qua E<sup>1</sup> que E<sup>2</sup>* || 237 *abrupto ω corr. Gronov* || 238 *et iam ruenti A* || 239 *domus E<sup>1</sup> domos E<sup>2</sup>* || 241 *lerinae (i exp.) E* || 242 *mori? (sic) E* || 243 *pinnis E<sup>1</sup> pennis AE<sup>2</sup>* || 248 *stabuli corr. ex stabulis (1 m<sup>2</sup> stabuli Σ) E | augaei E<sup>1</sup> angaei E<sup>2</sup>A(τ)*

Quid ista prosunt? orbe defenso caret.  
 sensere terrae pacis auctorem suae 250  
 abesse tristes: prosperum ac felix scelus  
 virtus vocatur; sontibus parent boni,  
 ius est in armis, opprimit leges timor.  
 ante ora vidi nostra truculenta manu  
 gnatos paterni cadere regni vindices 255  
 ipsumque, Cadmi nobilis stirpem ultimam,  
 occidere, vidi regium capitis decus  
 cum capite raptum. quis satis Thebas fleat?  
 ferax deorum terra, quem dominum tremis?  
 e cuius arvis eque fecundo sinu 260  
 stricto iuventus orta cum ferro stetit  
 cuiusque muros natus Amphion Iove  
 struxit canoro saxa modulatu trahens,  
 in cuius urbem non semel divum parens  
 caelo relicto venit, haec quae caelites 265  
 recepit et quae fecit et (fas sit loqui)  
 fortasse faciet, sordido premitur iugo.  
 Cadmea proles atque Ophionium genus,  
 quo recidistis? tremitis ignavum exulem,  
 suis carentem finibus, nostris gravem. 270  
 qui scelera terra quique persequitur mari  
 ac saeva iusta sceptrata confringit manu  
 nunc servit absens fertque quae fieri vetat,  
 tenetque Thebas exul Herculeas Lycus.  
 sed non tenebit. aderit et poenas petet 275  
 subitusque ad astra emerget; inveniet viam

251 abesse terris EA corr. Peiper (Thebis Withof, abesse.  
 rursus de Wilamowitz) || 257 capiti E (s add. m. 2) || 258 qui  
 satis E (Ribb.) || 259 tremis AE<sup>s</sup> (ex tremis ut vid., tremet Σ) ||  
 262 natus (us i. ras.) E<sup>2</sup> || 268 atque ophionius (ophionis ψ  
 amphionis τ) cinis EA corr. N. Heinsius adv. p. 216 (qui  
 scripsit Echionium genus) cf. Leo I 112 (civitasque Amphionis  
 Peiper cum D. Heinsio) || 269 quo recidistis AE<sup>2</sup> quor exci-  
 distis E<sup>1</sup> N<sup>1</sup> (r in neutro certum) quorsum excidistis M quo  
 decid. ψ (cf. l. v.) | ignarum E || 271 mari (i ex e) E ||  
 272 confregit A || 273 abs/ens (c vel t eras.) E | ferri ψ

aut faciet. adsis sospes et remees precor  
tandemque venias victor ad victam domum.

MEG. Emerge, coniunx, atque dispulsas manu  
abrumpe tenebras; nulla si retro via 280  
iterque clusum est, orbe diducto redi  
et quicquid atra nocte possessum latet  
emitte tecum. dirutis qualis iugis  
praeceps citato flumini quaerens iter  
quondam stetisti, scissa cum vasto impetu 285  
patuere Tempe; pectore impulsus tuo  
huc mons et illuc cessit et rupto aggere  
nova cucurrit Thessalus torrens via:  
talis, parentes liberos patriam petens,  
erumpe rerum terminos tecum efferens, 290  
et quicquid avida tot per annorum gradus  
abscondit aetas redde et oblitos sui  
lucisque pavidos ante te populos age.  
indigna te sunt spolia, si tantum refers  
quantum imperatum est. magna sed nimium loquor 295  
ignara nostrae sortis. unde illum mihi  
quo te tuamque dexteram amplectar diem  
reditusque lentos nec mei memores querar?  
tibi, o deorum ductor, indomiti ferent  
centena tauri colla; tibi, frugum potens, 300  
secreta reddam sacra: tibi muta fide  
longas Eleusin tacita iactabit faces.  
tum restitutas fratribus rebor meis  
animas et ipsum regna moderantem sua  
florere patrem. si qua te maior tenet 305  
clusum potestas, sequimur: aut omnes tuo

277 adsiso sospes E | remees tuis A || 279sq. Amphitryoni  
continuantur A || 279 depulsas A || 280 si vetito via A || 281 clau-  
sum A<sup>r</sup> || 284 fulmini E || 287 cecidit ω, corr. Leo II 375 ||  
295 imperatum (ti m. 2) E | loquor ex locum E<sup>2</sup> || 300 parens  
ψ || 301 multa A || 302 eleusis A (eleusim ψ) eleus intacita E,  
sed eras. in | iactabo A || 306 omnis E

defende reditu sospes aut omnes trahe.

trahes nec ullus eriget fractos deus.

AMPH. O socia nostri sanguinis, casta fide  
servans torum natosque magnanimi Herculis, 310

meliora mente concipe atque animum excita.

aderit profecto, qualis ex omni solet

labore, maior. MEG. Quod nimis miseri volunt

hoc facile credunt. AMPH. Immo quod metuunt nimis

numquam moveri posse nec tolli putant: 315

prona est timori semper in peius fides.

MEG. Demersus ac defossus et toto insuper

oppressus orbe quam viam ad superos habet?

AMPH. Quam tunc habebat, cum per arentem plagam  
et fluctuantes more turbati maris 320

adit harenas bisque discedens fretum

et bis recurrens, cumque deserta rate

deprensus haesit Syrtium brevibus vadis

et puppe fixa maria superavit pedes.

MEG. Iniqua raro maximis virtutibus 325

fortuna parcit; nemo se tuto diu

periculis offerre tam crebris potest:

quem saepe transit casus, aliquando invenit.

Sed ecce saevus ac minas vultu gerens

et qualis animo est, talis incessu venit 330

aliena dextra sceptrum concutiens Lycus.

LYC. Urbis regens opulenta Thebanae loca

et omne quicquid uberi cingit solo

obliqua Phocis, quicquid Ismenos rigat,

quicquid Cithaeron vertice excelso videt, 335

[et bina findens Isthmos exilis freta]

309 Amphitryon Megera  $\psi$  || 313 quod (o ex i)  $E^2$  ||  
315 amoveri  $A$  || 316 MEG.  $A$  | timoris  $\Sigma$ , s eras.  $E$  || 317 MEG.  
om.  $A$  || 318 vim  $E^1$  | a add.  $E^2$  || 321 abiit  $AE^2$  adit  $E^1$   
adiit  $\Sigma$  (cf. *Leo I 18*) || 324 superhabuit ut videtur  $E^1$  cf. *Leonis*  
*notam* || 326 parcit (c ut vid. corr. ex t *Ribb.*) | puto (o ex  
e?)  $E^1$  || 332 LYC. om.  $A$  | urbis ex urbes  $E^2$  || 333 ubere  $E$   
uberis cingit soli *M. Müller p. 8, cf. N. Heinsium p. 216* ||  
335 post 336  $E$  || 336 del. *Peiper*



non vetera patriae iura possideo domus  
 ignavus heres; nobiles non sunt mihi  
 avi nec altis inclitum titulis genus,  
 sed clara virtus: qui genus iactat suum, 340  
 aliena laudat. rapta sed trepida manu  
 sceptrā obtinentur; omnis in ferro est salus:  
 quod civibus tenere te invitis scias,  
 strictus tuetur ensis. alieno in loco  
 haut stabile regnum est; una sed nostras potest 345  
 fundare vires iuncta regali face  
 thalamisque Megara: ducet e genere inclito  
 novitas colorem nostra. non equidem reor  
 fore ut recuset ac meos spernat toros;  
 quod si impotenti pertinax animo abnuet, 350  
 stat tollere omnem penitus Herculeam domum.  
 invidia factum ac sermo popularis premet?  
 ars prima regni est posse \* invidiam pati.  
 temptemus igitur, fors dedit nobis locum.  
 namque ipsa, tristi vestis obtentu caput 355  
 velata, iuxta praesides adstat deos  
 laterique adhaeret verus Alcidae sator.  
 MEG. Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues,  
 novi parat? quid temptat? LYC. O clarum trahens  
 a stirpe nomen regia, facilis mea 360  
 parumper aure verba patienti excipe.  
 si aeterna semper odia mortales gerant  
 nec coeptus umquam cedat ex animis furor,  
 sed arma felix teneat infelix paret,  
 nihil relinquent bella; tum vastis ager 365

*supra v. 337* Lycus Megara Amphitryon A || 343 tenetur  
 (ex tenere te) E<sup>2</sup>A || 345 haud ex aut E<sup>2</sup> || 347 thalamis Mae-  
 gera ducet et g. i. E | ducet genere A<sup>r</sup> corr. ψ || 352 fastum  
 AE<sup>2</sup> || 353 posse invidiam E p. ad invidiam A (Richter K. U.  
 p. 17) posse te i. ψ posse rumores pati vel plebis invidiam p.  
 Leo, in invidiam p. (Thy. 470) Richter, cum invidia p. Peiper ||  
 354 locum nobis E || 355 tristis A<sup>r</sup> || 356 om. E<sup>1</sup> i. mag.  
 add. E<sup>2</sup> || 365 bella, vastatis ager Bentley

squalebit arvis, subdita tectis face  
 altus sepultas obruet gentes cinis.  
 pacem reduci velle victori expedit,  
 victo necesse est. particeps regno veni;  
 sociemur animis, pignus hoc fidei cape: 370  
 continge dextram. quid truci vultu siles?  
 MEG. Egone ut parentis sanguine aspersam manum  
 fratrumque gemina caede contingam? prius  
 extinguet ortus, referet occasus diem, 375  
 pax ante fida nivibus et flammis erit  
 et Scylla Siculum iunget Ausonio latus,  
 priusque multo vicibus alternis fugax  
 Euripus unda stabit Euboica piger.  
 patrem abstulisti, regna, germanos, larem  
 patrium — quid ultra est? una res superest mihi 380  
 fratre ac parente carior, regno ac lare:  
 odium tui, quod esse cum populo mihi  
 commune doleo: pars quota ex illo mea est?  
 dominare tumidus, spiritus altos gere:  
 sequitur superbos ultor a tergo deus. 385  
 Thebana novi regna: quid matres loquar  
 passas et ausas scelera? quid geminum nefas  
 mixtumque nomen coniugis nati patris?  
 quid bina fratrum castra? quid totidem rogos?  
 riget superba Tantalus luctu parens 390  
 maestusque Phrygio manat in Sipylo lapis.  
 quin ipse torvum subrigens crista caput  
 Illyrica Cadmus regna permensus fuga  
 longas reliquit corporis tracti notas.  
 haec te manent exempla: dominare ut libet, 395  
 dum solita regni fata te nostri vocent

368 reduci: i i. ras. 3 litt. E reducere Σ || 370 sociemus  
 animos AE<sup>2</sup> || 377 priusque in alto (vel in altum) Bentley ||  
 380 patriam ω corr. Bücheler | ultra (om. est) A<sup>r</sup> || 383 ex ista  
 (Trev.: sc. re) A<sup>r</sup> ex isto ψ E<sup>2</sup> (ex illo) exitio Σ || 385 superbos  
 uictor EA corr. ψ || 390 superbo Grote cf. Stat. Theb. IV 576 ||  
 292 quin ex quim E<sup>2</sup> || 392—394 del. Peiper

LYC. Agedum efferatas rabida voces amove  
 et disce regum imperia ab Alcide pati.  
 ego rapta quamvis sceptrā victricī geram  
 dextra regamque cuncta sine legum metu 400  
 quas arma vincunt, pauca pro causa loquar  
 nostra. cruento cecidit in bello pater?  
 cecidere fratres? arma non servant modum;  
 nec temperari facile nec reprimi potest  
 stricti ensis ira, bella delectat cruor. 405  
 sed ille regno pro suo, nos improba  
 cupidine acti? quaeritur belli exitus,  
 non causa. sed nunc pereat omnis memoria:  
 cum victor arma posuit, et victum decet  
 deponere odia. non ut inflexo genu 410  
 regnantem adores petimus: hoc ipsum placet  
 animo ruinas quod capis magno tuas;  
 es rege coniunx digna: sociemus toros.  
 MEG. Gelidus per artus vadit exanguis tremor.  
 quod facinus aures pepulit? haut equidem horruī, 415  
 cum pace rupta bellicus muros fragor  
 circumsonaret, pertuli intrepide omnia:  
 thalamos tremesco; capta nunc videor mihi.  
 grauent catenae corpus et longa fame  
 mors protrahatur lenta: non vincet fidem 420  
 vis ulla nostram; moriar, Alcide, tua.  
 LYC. Animosne mersus inferis coniunx facit?  
 MEG. Inferna tetigit, posset ut supera assequi.  
 LYC. Telluris illum pondus immensae premit.  
 MEG. Nullo premetur onere, qui caelum tulit. 425  
 LYC. Cogere. MEG. Cogi qui potest nescit mori.  
 LYC. Effare potius, quod novis thalamis parem  
 Regale munus. MEG. Aut tuam mortem aut meam.  
 LYC. Moriere demens. MEG. Coniugi occurram meo.

397 effrenatas A(τ)E<sup>3</sup> (sed fren i. ras.) || 398 patri E ||  
 400 geramque A<sup>τ</sup> || 403 domum A<sup>τ</sup> || 414 exanguis A || 418 tre-  
 misco A<sup>τ</sup>E<sup>3</sup> || 423 superna E<sup>3</sup>A<sup>τ</sup> || 427 thal. quod n. potius ω  
 corr. de Wilamowitz

- LYC. Scepтрone nostro famulus est potior tibi? 430  
 MEG. Quot iste famulus tradidit reges neci.  
 LYC. Cur ergo regi servit et patitur iugum?  
 MEG. Imperia dura tolle: quid virtus erit?  
 LYC. Obici feris monstrisque virtutem putas?  
 MEG. Virtutis est domare quae cuncti pavent. 435  
 LYC. Tenebrae loquentem magna Tartareae premunt.  
 MEG. Non est ad astra mollis e terris via.  
 LYC. Quo patre genitus caelitem sperat domos?  
 AMPH. Miseranda coniunx Herculis magni, sile:  
 partes meae sunt reddere Alcidae patrem 440  
 genusque verum. post tot ingentis viri  
 memoranda facta postque pacatum manu  
 quodcumque Titan ortus et labens videt,  
 post monstra tot perdomita, post Phlegram impio  
 sparsam cruore postque defensos deos 445  
 nondum liquet de patre? mentimur Iovem:  
 Iunonis odio crede. LYC. Quid violas Iovem?  
 mortale caelo non potest iungi genus.  
 AMPH. Communis ista pluribus causa est deis.  
 LYC. Famuline fuerant ante quam fierent dei? 450  
 AMPH. Pastor Pheraeos Delius pavit greges.  
 LYC. Sed non per omnes exul erravit plagas.  
 AMPH. Quem profuga terra mater errante edidit?  
 LYC. Num monstra saeva Phoebus aut timuit feras?  
 AMPH. Primus sagittas imbuit Phoebi draco. 455  
 LYC. Quam gravia parvus tulerit ignoras mala?  
 AMPH. E matris utero fulmine eiectus puer  
 mox fulminanti proximus patri stetit.  
 quid? qui gubernat astra, qui nubes quatit,  
 non latuit infans rupis Idaeae specu? 460

430 sceptroque Ετ sc. quoque Α(τ) corr. ψ | potior est famulus Α || 436 sequentem Bentley || 438 penetrat domos Α || 440 meae hae sunt Α || 453 errantem dedit Α *interrogationis signum posuit M. Müller p. 10* || 454 non monstra, saevas Α | clava — domuit Bentley || 456 *Amphitryoni continent ω corr. Gruter* || 460 rupis exesae Α (et sic Bentl.) 456 partus Housman.

sollicita tanti pretia natales habent  
semperque magno constitit nasci deum.

LYC. Quemcumque miserum videris, hominem scias.

AMPH. Quemcumque fortem videris, miserum neges.

LYC. Fortem vocemus cuius ex umeris leo, 465

donum puellae factus, et clava excidit

fulsitque pictum veste Sidonia latus?

fortem vocemus cuius horrentes comae

maduere nardo, laude qui notas manus

ad non virilem tympani movit sonum, 470

mitra ferocem barbara frontem premens?

AMPH. Non erubescit Bacchus effusus tener

sparsisse crines nec manu molli levem

vibrare thyrsum, cum parum forti gradu

auro decorum syrma barbaricum trahit: 475

post multa virtus opera laxari solet.

LYC. Hoc Euryti fatetur eversi domus

pecorumque ritu virginum oppressi greges;

hoc nulla Iuno, nullus Eurystheus iubet:

ipsius haec sunt opera. AMPH. Non nosti omnia: 480

ipsius opus est caestibus fractus suis

Eryx et Eryci iunctus Antaeus Libys,

et qui hospitali caede manantes foci

bibere iustum sanguinem Busiridis;

ipsius opus est vulneri et ferro invius 485

mortem coactus integer Cycnus pati

nec unus una Geryon victus manu.

eris inter istos — qui tamen nullo stupro

laesere thalamos. LYC. Quod Iovi hoc regi licet:

Iovi dedisti coniugem, regi dabis; 490

et te magistro non novum hoc discet nurus,

467 amictum *Withof*, rigidum *Nolte* || 474 vibrasse  $\psi$  ||  
475 barbarico **E** || 476 volet *Bentley* || 477 hoc tentantis (*Teu-*  
*thrantis hoc Delrio*)  $\psi$  cf. *Ov. her. IX 51* || 478 pressi *Bentley* ||  
479 *Lyci nota praefixa*  $\Sigma$ , *erasa* **E** || 483 hospitalem caedem  
minantes **E** || 485 obvius  $\omega$  *corr. N. Heinsius* || 486 coactus aut  
(ante  $\psi$ ) Geryones pati **A**<sup>r</sup> || 490 dabit *Leo II 375*

- etiam viro probante meliorem sequi.  
 sin copulari pertinax taedis negat,  
 vel ex coacta nobilem partum feram.
- MEG. Vmbrae Creontis et penates Labdaci 495  
 et nuptiales impii Oedipodae faces,  
 nunc solita nostro fata coniugio date.  
 nunc, nunc, cruentae regis Aegypti nurus,  
 adeste multo sanguine infectae manus.  
 dest una numero Danais: explebo nefas. 500
- LYC. Coniugia quoniam pervicax nostra abnuit  
 regemque terres, sceptrata quid possint scies.  
 complectere aras: nullus eripiet deus  
 te mihi, nec orbe si remolito queat  
 ad supera victor numina Alcides vehi. 505  
 congerite silvas: templa supplicibus suis  
 iniecta flagrent, coniugem et totum gregem  
 consumat unus igne subiecto rogas.
- AMPH. Hoc munus a te genitor Alcidae peto,  
 rogare quod me deceat, ut primus cadam. 510
- LYC. Qui morte cunctos luere supplicium iubet  
 nescit tyrannus esse: diversa inroga;  
 miserum veta perire, felicem iube.  
 ego, dum cremandis trabibus accrescit rogas,  
 sacro regentem maria votivo colam. 515
- AMPH. Pro numinum vis summa, pro caelestium  
 rector parensque, cuius excussis tremunt  
 humana telis, impiam regis feri  
 compesce dextram! quid deos frustra precor?  
 ubicumque es, audi, nate. cur subito labant 520  
 agitata motu templa? cur mugit solum?  
 [infernus imo sonuit e fundo fragor]  
 audimur! est est sonitus Herculei gradus.

497 vestro E || 498 n. n. coite Nolte | egisti A<sup>r</sup> || 501 quoniam om. A(τ) || 504 demolito E || 505 lumina N. Heinsius (Verg. Aen. VI 680) || 508 subiecto locus ω corr. α || 512 diversa in loca E || 515 votivo rogem A || 516 oro (vel ora) cael. A<sup>r</sup> || 520—23 del. Lindskog Stud. z. ant. Drama II 41 at cf. Leo Rh. Mus. 1897 p. 511 n. 1 || 522 del. Leo || 523 en est A

## CHORVS

O Fortuna viris invida fortibus,  
quam non aequa bonis praemia dividis. 525

Eurystheus facili regnet in otio:

Alcmena genitus bella per omnia  
monstris exagitet caeliferam manum:

serpentis resecat colla feracia,  
deceptis referat mala sororibus, 530

cum somno dederit pervigiles genas  
pomis divitibus praepositus draco.

Intravit Scythiae multivagas domos

et gentes patriis sedibus hospitas,  
calcavitque freti terga rigentia 535

et mutis tacitum litoribus mare.

illic dura carent aequora fluctibus,  
et qua plena rates carbasa tenderent,

intonsis teritur semita Sarmatis.

stat pontus, vicibus mobilis annuis, 540

navem nunc facilis nunc equitem pati.

illic quae viduis gentibus imperat,

aurato religans ilia balteo,

detraxit spoliū nobile corpori

et peltam et nivei vincula pectoris, 545

victorem posito suspiciens genu.

Qua spe praecipites actus ad inferos,

audax ire vias inremeabiles,

vidisti Siculae regna Proserpinae?

illic nulla noto nulla favonio 550

consurgunt tumidis fluctibus aequora:

non illic geminum Tyndaridae genus

succurrunt timidis sidera navibus:

stat pigro pelagus gurgite languidum,

525 aequae homini ci. B. Schmidt, traditam scripturam recte interpretatur M. Müller p. 6 || 526 Eurystheus E || 529 ferocia EA corr. ψ || 536 multis EA(τ) corr. τ || 538 tenderant A || 543 om. ψ || 546 suscipiens EA corr. ψ || 548 inremediabiles E || 554 nigro ω corr. Bentley

et cum Mors avidis pallida dentibus 555  
gentes innumeras manibus intulit,  
uno tot populi remige transeunt.

Evincas utinam iura ferae Stygis  
Parcarumque colos non revocabiles. 560

hic qui rex populis pluribus imperat,  
bello cum peteres Nestoream Pylon,  
tecum conseruit pestiferas manus

telum tergemina cuspide praeferens:  
effugit tenui vulnere saucius 565

et mortis dominus pertimuit mori.  
fatum rumpe manu, tristibus inferis 566

prospectus pateat lucis et invius  
limes det faciles ad superos vias.

Immites potuit flectere cantibus  
umbrarum dominos et prece supplici 570

Orpheus, Eurydicen dum repetit suam.  
quae silvas et aves saxaque traxerat

ars, quae praebuerat fluminibus moras,  
ad cuius sonitum constiterant ferae,  
mulcet non solitis vocibus inferos 575

et surdis resonat clarius in locis.

deflent Eurydicen Threiciae nurus,  
deflent et lacrimis difficiles dei,

et qui fronte nimis crimina tetrica  
quaerunt ac veteres excutiunt reos 580

fientes Eurydicen iuridici sedent.

tandem mortis ait 'vincimur' arbiter,  
'evade ad superos, lege tamen data:

tu post terga tui perge viri comes,  
tu non ante tuam respice coniugem, 585

561 peteret E peterent A corr. ψ cf. Richter K. U. p. 18 ||

566 rumpe ex rumpere E<sup>1</sup> | tristis et inferis A || 571 recipit  
suam A || 577 post 580 positus A | Eurydicem E | Tartareae  
nurus Withof Elysiae Bentley d. Eumenides Threiciam nurum  
B. Schmidt obs. crit. p. 16 ex Ovid. H. X 45 sed cf. H. II 953  
H. 149 || 583 et vade A<sup>z</sup> i vade Bentley (Tr. 791)



quam cum clara deos obtulerit dies  
 Spartanique aderit ianua Taenari.  
 odit verus amor nec patitur moras:  
 munus dum properat cernere, perdidit.

Quae vinci potuit regia carmine, 590  
 haec vinci poterit regia viribus.

## HERCVLES

O lucis almae rector et caeli decus,  
 qui alterna curru spatia flammifero ambiens  
 illustre latis exeris terris caput,  
 da, Phoebe, veniam, si quid illicitum tui 595  
 videre vultus: iussus in lucem extuli  
 arcana mundi. tuque, caelestum arbiter  
 parensque, visus fulmine opposito tege;

et tu, secundo maria qui sceptro regis,  
 imas pete undas. quisquis ex alto aspicit 600  
 terrena, facie pollui metuens nova,  
 aciem reflectat oraque in caelum erigat  
 portenta fugiens: hoc nefas cernant duo,  
 qui advexit et quae iussit. in poenas meas  
 atque in labores non satis terrae patent 605

Iunonis odio: vidi inaccessa omnibus,  
 ignota Phoebos quaeque deterior polus  
 obscura diro spatia concessit Iovi;  
 et, si placerent tertiae sortis loca,  
 regnare potui: noctis aeternae chaos 610  
 et nocte quiddam gravius et tristes deos  
 et fata vidi, morte contempta redi.

quid restat aliud? vidi et ostendi inferos.  
 da si quid ultra est, iam diu pateris manus  
 cessare nostras, Iuno; quae vinci iubes? 615

Sed templa quare miles infestus tenet  
 limenque sacrum terror armorum obsidet?

590 cantibus A || 594 laetis A || 597 archana E secreta A |  
 caelestium Eψ || 607 quaque E || 612 vici ω corr. Leo || 614 tam  
 diu A || 615 quid A

## AMPHITRYON HERCVLES THESEVS

Vtrumne visus vota decipiunt meos,  
 an ille domitor orbis et Graium decus  
 tristi silentem nubilo liquit domum? 620  
 estne ille natus? membra laetitia stupent.  
 o nate, certa at sera Thebarum salus,  
 teneone in auras editum an vana fruor  
 deceptus umbra? tune es? agnosco toros  
 umerosque et alto nobilem trunco manum. 625  
 HERC. Vnde iste, genitor, squalor et lugubribus  
 amicta coniunx? unde tam foedo obsiti  
 paedore nati? quae domum clades gravat?  
 AMPH. Socer est peremptus, regna possedit Lycus,  
 natos parentem coniugem leto petit. 630  
 HERC. Ingrata tellus, nemo ad Herculeae domus  
 auxilia venit? vidit hoc tantum nefas  
 defensus orbis? cur diem questu tero?  
 mactetur hostia, hanc ferat virtus notam  
 fiatque summus hostis Alcidae Lycus. 635  
 ad hauriendum sanguinem inimicum feror;  
 Theseu, resiste, ne qua vis subita ingruat.  
 me bella poscunt, differ amplexus, parens,  
 coniunxque differ. nuntiet Diti Lycus  
 me iam redisse.

THE. Flebilem ex oculis fuga, 640  
 regina, vultum, tuque nato sospite  
 lacrimas cadentes reprime: si novi Herculem,  
 Lycus Creonti debitas poenas dabit.  
 lentum est dabit: dat; hoc quoque est lentum: dedit.

618 Amphytrion. Hercules. Megera. Theseus E Megera  
 om. A || 622 et sera ω corr. Gruter || 623 uerumne cerno corpus  
 an fallor uel tua uidens A<sup>r</sup> (Richter K. U. p. 18) || 629 regna-  
 que A<sup>r</sup> || 632 uidet A<sup>r</sup> || 634 mactetur hostis ω corr. Leo ||  
 634<sup>b</sup> — 636 Thesei sunt A || 635 laborque summus fiat Peiper.  
 Idem coniecerat Bentley (cf. H. II 474, 816, 1455) || 636 ignaum  
 feror Bentley || 644 est secundo loco om. A<sup>r</sup>

AMPH. Votum secundet qui potest nostrum deus 645  
 rebusque lassis adsit. O magni comes  
 magnanime nati, pande virtutum ordinem,  
 quam longa maestos ducat ad manes via,  
 ut vincla tulerit dura Tartareus canis.

THES. Memorare cogis acta securae quoque 650  
 horrenda menti. vix adhuc certa est fides  
 vitalis aurae, torpet acies luminum  
 hebetesque visus vix diem insuetum ferunt.

AMPH. Pervince, Theseu, quicquid alto in pectore 655  
 remanet pavoris neve te fructu optimo  
 frauda laborum: quae fuit durum pati,  
 meminisse dulce est. fare casus horridos.

THES. Fas omne mundi teque dominantem precor  
 regno capaci teque quam amotam inrita 660  
 quaesivit Enna mater, ut iura abdita  
 et operta terris liceat impune eloqui.

Spartana tellus nobile attollit iugum,  
 densis ubi aequor Taenarus silvis premit;  
 hic ora solvit Ditis invisi domus  
 hiatque rupes alta et immenso specu 665

ingens vorago faucibus vastis patet  
 latumque pandit omnibus populis iter.  
 non caeca tenebris incipit primo via;  
 tenuis relictæ lucis a tergo nitor  
 fulgorque dubius solis afflicti cadit 670

et ludit aciem: nocte sic mixta solet  
 praeberè lumen primus aut serus dies.  
 hinc ampla vacuis spatia laxantur locis,  
 in quæ omne mersum penetrat humanum genus.  
 nec ire labor est; ipsa deducit via: 675  
 ut saepe puppes aestus invitas rapit,

646 lapsis  $\psi$  || 654 peruincet E | in om. A || 659 quam tota  $\omega$   
 corr. Heimsoeth (qu. raptam Bentley) | eruta  $\tau$  || 660 Aetna  $\omega$   
 corr.  $\alpha$  || 661 loqui E || 663 trenarus  $\Lambda r$  || 671 et ludit aciem.  
 tale non dubie solet A | 674 versum E | pereat  $\omega$  corr. Peiper  
 (versum properat Leo)

sic pronus aer urguet atque avidum chaos,  
 gradumque retro flectere haut umquam sinunt  
 umbrae tenaces. intus immensi sinus  
 placido quieta labitur Lethe vado 680  
 demitque curas, neve remeandi amplius  
 pateat facultas, flexibus multis gravem  
 involvit amnem: qualis incertis vagus  
 Maeander undis ludit et cedit sibi  
 instatque dubius litus an fontem petat. 685  
 palus inertis foeda Cocyti iacet;  
 hic vultur, illic luctifer bubo gemit  
 omenque triste resonat infaustae strigis.  
 horrent opaca fronde nigrantes comae,  
 taxo imminente quam tenet segnis Sopor, 690  
 Famesque maesta tabido rictu iacet  
 Pudorque serus conscios vultus tegit.  
 Metus Pavorque †Fumus et frendens Dolor  
 aterque Luctus sequitur et Morbus tremens  
 et cincta ferro Bella; in extremo abdita 695  
 iners Senectus adiuvat baculo gradum.  
 AMPH. Estne aliqua tellus Cereris aut Bacchi ferax?  
 THES. Non prata viridi laeta facie germinant  
 nec adulta leni fluctuat Zephyro seges;  
 non ulla ramos silva pomiferos habet: 700  
 sterilis profundi vastitas squalet soli  
 et foeda tellus torpet aeterno situ.  
 [rerumque maestus finis et mundi ultima]  
 immotus aer haeret et pigro sedet  
 nox atra mundo: cuncta maerore horrida 705

679 immenso sinu A ('genetivus ab intus pendet' Leo) ||  
 683 incertis ΣE incerta A || 684 unda ludit A undis errat  
 ludit E || 690 taxo imminente quam ω taxum imminentem  
 qua Leo || 691 rabido A(τ) | iacens ω corr. Leo || 693 metusque  
 pavorque E | fumus ω furvus de Wilamowitz || 697 Bacchi  
 tenax A || 703 delevit Wakefield (ad Lucr. VI 1267) || 705 mae-  
 rure ω paedore Wakef. l. l., Jacobs in Eurip. trag. 326, Bentley,  
 marcure Richter

ipsaque morte peior est mortis locus.

AMPH. Quid ille opaca qui regit sceptro loca,  
qua sede positus temperat populos leves?

THES. Est in recessu Tartari obscuro locus,  
quem gravibus umbris spissa caligo alligat. 710

a fonte discors manat hinc uno latex,  
alter quieto similis (hunc iurant dei)

tacente sacram devehens fluvio Styga;  
at hic tumultu rapitur ingenti ferox 715

et saxa fluctu volvit Acheron invius  
renavigari. cingitur duplici vado

adversa Ditis regia, atque ingens domus  
umbrante luco tegitur. hic vasto specu

pendent tyranni limina, hoc umbris iter,  
haec porta regni. campus hanc circa iacet, 720

in quo superbo digerit vultu sedens  
animas recentes dira maiestas dei.

frons torva, fratrum quae tamen speciem gerat  
gentisque tantae, vultus est illi Iovis,

sed fulminantis: magna pars regni trucis 725  
est ipse dominus, cuius aspectus timet

quicquid timetur. AMPH. Verane est fama inferis  
tam sera reddi iura et oblitos sui

sceleris nocentes debitas poenas dare?  
quis iste veri rector atque aequi arbiter? 730

THES. Non unus alta sede quaesitor sedens  
iudicia trepidis sera sortitur reis.

aditur illo Gnosius Minos foro,  
Rhadamanthus illo, Thetidis hoc audit socer.

quod quisque fecit, patitur; auctorem scelus 735  
repetit suoque premitur exemplo nocens:

vidi cruentos carcere includi duces  
et impotentis terga plebeia manu

709 recessu A<sup>r</sup> || 711 hinc imo A<sup>r</sup> || 718<sup>b</sup>—719<sup>a</sup> del. Peiper ||  
722 deo A *veram interpunctionem docuit Leo I 190* || 723 spec-  
cimen EA corr. ψ || 726 aspectum A || 728 reddit E || 730 v. ex-  
actor Bentley || 733 auditur A || 734 hos E

scindi tyranni. quisquis est placide potens  
 dominusque vitae servat innocuas manus 740  
 et incruentum mitis imperium regit  
 animoque parcit, longa permensus diu  
 felicis aevi spatia vel caelum petit  
 vel laeta felix nemoris Elysii loca,  
 iudex futurus. sanguine humano abstine 745  
 quicumque regnas: scelera taxantur modo  
 maiore vestra. AMPH. Certus inclusos tenet  
 locus nocentes? utque fert fama, impios  
 supplicia vinclis saeva perpetuis domant?  
 THES. Rapitur volucris tortus Ixion rota; 750  
 cervice saxum grande Sisyphia sedet;  
 in amne medio faucibus siccis senex  
 sectatur undas, alluit mentum latex,  
 fidemque cum iam saepe decepto dedit,  
 perit unda in ore; poma destituunt famem. 755  
 praebet volucris Tityos aeternas dapes  
 urnasque frustra Danaides plenas gerunt;  
 errant furentes impiae Cadmeides  
 terretque mensas avida Phineas avis.  
 AMPH. Nunc ede nati nobilem pugnam mei. 760  
 patris volentis munus an spoliū refert?  
 THES. Ferale tardis imminet saxum vadis,  
 stupent ubi undae, segne torpescit fretum.  
 hunc servat amnem cultu et aspectu horridus  
 pavidosque manes squalidus vectat senex. 765  
 impexa pendet barba, deformem sinum  
 nodus coercet, concavae lucent genae;

739<sup>b</sup>—745<sup>a</sup> in suspicionem vocavit B. Schmidt || 741 regit:  
 t i. ras (1 m.?) E || 742 animaeque EA corr. ψ || 744 elysi E ||  
 745 vulgarem interpunctionem corr. Leo || 747 nostra ψ || 751 si-  
 syphea ω || 753 abluit AE ludit ad m. Bentley || 756 titius A<sup>r</sup> ||  
 757 ferunt A || 759 terrentque mensas avidae fineas aues E ||  
 763 stupente ubi unda A || 764 hinc Withof || 765 gestat senex ω  
 corr. Des. Heraldus (adv. I c. 12 p. 74) || 767 squalent E Leo  
 ci. fulgent (cf. Verg. Aen. VI 300)

regit ipse longo portitor conto ratem.  
 hic onere vacuum litori puppem applicans  
 repetebat umbras; poscit Alcides viam 770  
 cedente turba; dirus exclamat Charon:  
 'quo pergis, audax? siste properantem gradum.'  
 non passus ullas natus Alcmena moras  
 ipso coactum navitam conto domat  
 scanditque puppem. cumba populorum capax 775  
 succubuit uni: sedit et gravior ratis  
 utrimque Lethen latere titubanti bibit.  
 tum victa trepidant monstra, Centauri truces  
 Lapithaeque multo in bella succensi mero;  
 Stygiae paludis ultimos quaerens sinus 780  
 fecunda mergit capita Lernaeus labor.  
 post haec avari Ditis apparet domus:  
 hic saevus umbras territat Stygius canis,  
 qui terna vasto capita concutiens sono  
 regnum tuetur. sordidum tabo caput 785  
 lambunt colubrae, viperis horrent iubae  
 longusque torta sibilat cauda draco.  
 par ira formae: sensit ut motus pedum,  
 attollit hirtas angue vibrato comas  
 missumque captat aure subrecta sonum, 790  
 sentire et umbras solitus. ut propior stetit  
 Iove natus, antro sedit incertus canis  
 leviterque timuit. ecce latratu gravi  
 loca muta terret; sibilat totos minax  
 serpens per armos. vocis horrendae fragor 795  
 per ora missus terna felices quoque  
 exterret umbras. solvit a laeva feros  
 tunc ipse rictus et Cleonaeum caput

768 conto portitor longo A || 769 vacuum A || 770 undas A || 774 proprio *ci. Bentley ex Cantabrig. libro* || 777 titubato A || 778 tunc vasta A || 779 in *om.* A || 784 trina E *cf. Leo I 12* || 788 per ira E || 790 subiecta A || 793 et uterque timuit *ω corr. Madvig adv. I p. 115, tutorque timuit Peiper* || 797 ferox E

opponit ac se tegmine ingenti tegit,  
 victrice magnum dextera robur gerens. 800  
 huc nunc et illuc verbera assiduo rotat,  
 ingeminat ictus. domitus infregit minas  
 et cuncta lassus capita summisit canis  
 antroque toto cessit. extimuit sedens  
 uterque solio dominus et duci iubet; 805  
 me quoque petenti munus Alcidae dedit.  
 Tum gravia monstri colla permulcens manu  
 adamante texto vincit; oblitus sui  
 custos opaci pervigil regni canis  
 componit aures timidus et patiens trahi 810  
 erumque fassus, ore summisso obsequens,  
 utrumque cauda pulsat anguifera latus.  
 postquam est ad oras Taenari ventum et nitor  
 percussit oculos lucis ignotae novus,  
 resunit animos victus et vastas furens 815  
 quassat catenas; paene victorem abstulit  
 pronumque retro vexit et movit gradu.  
 tunc et meas respexit Alcides manus;  
 geminis uterque viribus tractum canem  
 ira furentem et bella temptantem inrita 820  
 intulimus orbi. vidit ut clarum diem  
 et pura nitidi spatia conspexit poli,  
 [oborta nox est, lumina in terram dedit]  
 compressit oculos et diem invisum expulit  
 faciemque retro flexit atque omni petit 825  
 cervice terram; tum sub Herculeas caput  
 abscondit umbras. densa sed laeto venit  
 clamore turba frontibus laurum gerens  
 magnique meritas Herculis laudes canit.

799 ingenti clepit A || 803 lapsus A<sup>z</sup> (exc. R 10) || 805 utrum-  
 que ψ || 807 tunc A || 814 bonos A bono E corr. Büchler (novos  
 Rutgers p. 494) || 815 vinctus A || 821 clarum aethera A || 823 del.  
 Bothe || 824 conspexit oculos E excutit ci. Peiper || 825 aciem  
 que ω corr. Bothe || 826 herculea A | cupit A<sup>z</sup> (exc. R 10) ||  
 827 umbra A



## • CHORVS

Natus Eurystheus properante partu 830

\* \* \*

iusserat mundi penetrare fundum:  
derat hoc solum numero laborum,  
tertia regem spoliare sortis.  
ausus es caecos aditus inire,  
ducit ad manes via qua remotos 835  
tristis et nigra metuenda silva,  
sed frequens magna comitante turba.

Quantus incedit populus per urbes  
ad novi ludos avidus theatri,  
quantus Eleum ruit ad Tonantem, 840  
quinta cum sacrum revocavit aestas;  
quanta, cum longae redit hora nocti  
crescere et somnos cupiens quietos  
libra Phoebos tenet aequa currus,  
turba secretam Cererem frequentat 845  
et citi tectis properant relictis

Attici noctem celebrare mystae:  
tanta per campos agitur silentes  
turba; pars tarda graditur senecta,  
tristis et longa satiata vita: 850  
pars adhuc currit melioris aevi:  
virgines nondum thalamis iugatae  
et comis nondum positae ephebi  
matris et nomen modo doctus infans.  
his datum solis, minus ut timerent, 855  
igne praelato relevare noctem;  
ceteri vadunt per opaca tristes.

*post 830 lacunam statuit Peiper. Tale supplementum proposuit Richter: Herculem natum remorante partu, ut similis exitus librarium fefellisse putandus sit || 831 iussit Alciden Withof || 834 est A || 836 silva metuenda nigra A || 840 qualis EA corr. ψ | currit A<sup>r</sup> coit α || 842 noctis A || 844 thebeos E || 846 sciti τ scite (Scythae) ψ || 849 gradiens A || 849 sq. senecta -- vita affert Guido de Bazochis, cf. praef. c. II*

qualis est vobis animus, remota  
 luce cum maestus sibi quisque sensit  
 obrutum tota caput esse terra? 860  
 stat chaos densum tenebraeque turpes  
 et color noctis malus ac silentis  
 otium mundi vacuaeque nubes.

Sera nos illo referat senectus:  
 nemo ad id sero venit, unde numquam, 865  
 cum semel venit, potuit reverti;  
 quid iuvat durum properare fatum?  
 omnis haec magnis vaga turba terris  
 ibit ad manes facietque inertis  
 vela Cocyto: tibi crescit omne, 870  
 et quod occasus videt et quod ortus.  
 parce venturis: tibi, mors, paramur.  
 sis licet segnis, properamus ipsi:  
 prima quae vitam dedit hora, carpit.

Thebis laeta dies adest. 875  
 aras tangite supplices,  
 pingues caedite victimas;  
 permixtae maribus nurus  
 sollemnes agitent choros;  
 cessent deposito iugo 880  
 arvi fertilis incolae.

Pax est Herculea manu  
 Auroram inter et Hesperum,  
 et qua sol medium tenens  
 umbras corporibus negat; 885  
 quodcumque alluitur solum  
 longo Tethyos ambitu,  
 Alcidae domuit labor.

858 nobis E nobis A cf. *Leo I 33* || 866 poterit *Bentley, Bothe* || 870 crescet E || 874 carpsit A || 875 Chorus *praemittitur E | coniuncti bini versus praeter primum, qui uncialibus scriptus est, et duo novissimos E* || 875—877 *adfert Terentianus, cf. praef. cap. II* || 876 aram *Terent.* || 878 matribus E || 886 abluitur A

Transvectus vada Tartari  
 pacatis redit inferis. 890  
 iam nullus superest timor:  
 nil ultra iacet inferos.  
 stantes sacrificus comas  
 dilecta tege populo.

## HERCVLES THESEVS AMPHITRYON MEGARA

Victrice dextra fusus adverso Lycus 895  
 terram cecidit ore; tum quisquis comes  
 fuerat tyranni iacuit et poenae comes.  
 nunc sacra patri victor et superis feram  
 caesisque meritas victimis aras colam.

Te te laborum socia et adiutrix precor, 900  
 belligera Pallas, cuius in laeva ciet  
 aegis feroces ore saxifico minas;  
 adsit Lycurgi domitor et rubri maris,  
 tectam virente cuspidem thyrso gerens,  
 geminumque numen Phoebus et Phoebi soror: 905

soror sagittis aptior, Phoebus lyrae;  
 fraterque quisquis incolit caelum meus  
 non ex noverca frater. huc appellite  
 greges opimos; quicquid Indorum seges  
 Arabesque odoris quicquid arboribus legunt 910  
 conferte in aras, pinguis exundet vapor.

populea nostras arbor exornet comas,  
 te ramus oleae fronde gentili tegat,  
 Theseu; Tonantem nostra adorabit manus,  
 tu conditores urbis et silvestria 915

895 Hercules. Amphitryon. Megera. Chorus scaenae in-  
 scribit E | ultrice A | adversam A || 896 tunc E || 899 victimis  
 sacra scolam E || 903 ligurgi EA<sup>r</sup> || 904 virenti A || 909 q. Ind.  
 genus *Withof* q. Indi arvis secant *B. Schmidt obs. crit. p. 19.*  
*Leo de lacuna post v. 909 cogitavit sic fere explenda:* <praestat  
 colonis igne propioris dei> q. Indo fert seges ci. *P. Koetschau* ||  
 915 THE. dii conditores A

trucidis antra Zethi, nobilis Dircae aquae  
 laremque regis advenae Tyrium coles.  
 date tura flammis. AMPH. Nate, manantes prius  
 manus cruenta caede et hostili expia.  
 HERC. Vtinam cruore capitis invisi deis 920  
 libare possem: gratior nullus liquor  
 tinxisset aras; victima haut ulla amplior  
 potest magisque opima mactari Iovi,  
 quam rex iniquus. AMPH. Finit genitor tuos  
 opta labores, detur aliquando otium 925  
 quiesque fessis. HERC. Ipse concipiam preces  
 Iove meque dignas. stet suo caelum loco  
 tellusque et aequor; astra inoffensos agant  
 aeterna cursus. alta pax gentes alat;  
 ferrum omne teneat ruris innocui labor 930  
 ensesque lateant. nulla tempestat fretum  
 violenta turbet, nullus irato Iove  
 exiliat ignis, nullus hiberna nive  
 nutritus agros amnis eversos trahat.  
 venena cessent, nulla nocituro gravis 935  
 suco tumescat herba. non saevi ac truces  
 regnent tyranni; si quod etiamnum est scelus  
 latura tellus, properet, et si quod parat  
 monstrum, meum sit. — sed quid hoc? medium diem  
 cinxere tenebrae. Phoebus obscuro meat 940  
 sine nube vultu. quis diem retro fugat  
 agitque in ortus? unde nox atrum caput  
 ignota profert? unde tot stellae polum  
 implent diurnae? primus en noster labor  
 caeli refulget parte non minima leo 945  
 iraque totus fervet et morsus parat.  
 iam rapiet aliquod sidus: ingenti minax  
 stat ore et ignes efflat et rutila iubam

916 nobiles Dircae aquas A || 917 colis A || 918 HERC. d. t. f.  
 AMPH. n. m. p. A || 920 cruorem A || 922 aut E || 924 tuus EA  
 corr. ψ || 928 et aether ω corr. N. Heinsius adv. p. 222 ||  
 937 etiamnunc scelus ψ || 947 rapiat E || 948 rutilat A rutilam

cervice iactans quicquid autumnus gravis  
 hiemsque gelido frigida spatio refert 950  
 uno impetu transiliet et verni petet  
 frangetque tauri colla. AMPH. Quod subitum hoc ma-

lum est?

quo, nate, vultus huc et huc acres refers  
 acieque falsum turbida caelum vides?

HERC. Perdomita tellus, tumida cesserunt freta, 955

inferna nostros regna sensere impetus:

immune caelum est, dignus Alcide labor.

in alta mundi spatia sublimis ferar,

petatur aether: astra promittit pater.

quid, si negaret? non capit terra Herculem 960

tandemque superis reddit. en ultro vocat

omnis deorum coetus et laxat fores,

una vetante. recipis et reseras polum?

an contumacis ianuam mundi traho?

dubitatur etiam? vincla Saturno exuam 965

contraque patris impii regnum impotens

avum resolvam; bella Titanes parent,

me duce furentes; saxa cum silvis feram

rapiamque dextra plena Centauris iuga.

iam monte gemino limitem ad superos agam: 970

videat sub Ossa Pelion Chiron suum,

in caelum Olympus tertio positus gradu

perveniet aut mittetur. AMPH. Infandos procul

averte sensus; pectoris sani parum

magni tamen compesce dementem impetum. 975

HERC. Quid hoc? Gigantes arma pestiferi movent.

profugit umbras Tityos ac lacerum gerens

et inane pectus quam prope a caelo stetit.

labat Cithaeron, alta Pellene tremit

marcentque Tempe. rapuit hic Pindi iuga, 980

(m ex t) E<sup>1</sup> corr. Lipsius || 950 gelido fulgidum *Withof* (cf. *B. Schmidt de emend.* p. 35sq. *Leo I 203 n. 4*) || 953 huc et illuc A<sup>2</sup> || 963 recipi. sed E || 976 pestifera A || 977 titius A || 979 Pallene A || 980 macetumque E marcent i. e. perit *amoentitas*, τήκει

hic rapuit Oeten, saevit horrendum Mimians.  
 flammifera Erinys verbere excusso sonat  
 rogisque adustas propius ac propius sudes  
 in ora tendit; saeva Tisiphone, caput  
 serpentibus vallata, post raptum canem 985  
 portam vacantem clausit opposita face.  
 sed ecce proles regis inimici latet,  
 Lyci nefandum semen: invisio patri  
 haec dextra iam vos reddet. excutiat levis  
 nervus sagittas. tela sic mitti decet 990  
 Herculea. AMPH. Quo se caecus impegit furor?  
 vastum coactis flexit arcum cornibus  
 pharetramque solvit, stridet emissa impetu  
 harundo — medio spiculum collo fugit  
 vulnere relicto. HERC. Ceteram prolem eruam 995  
 omnisque latebras. quid moror? maius mihi  
 bellum Mycenis restat, ut Cyclopia  
 eversa manibus saxa nostris concidant.  
 huc eat et illuc valva deiecto obice  
 rumpatque postes; culmen impulsum labet. 1000  
 perlucet omnis regia: hic video abditum  
 gnatum scelesti patris. AMPH. En blandas manus  
 ad genua tendens voce miseranda rogat:  
 scelus nefandum, triste et aspectu horridum!  
 dextra precantem rapuit et circa furens 1005  
 bis ter rotatum misit; ast illi caput  
 sonuit, cerebro tecta disperso madent.  
 at misera, parvum protegens gnatum sinu,  
 Megara furenti similis e latebris fugit.  
 HERC. Licet tonantis profuga condaris sinu, 1010

981 horrende A(τ) | minans EA mimas α || 989 leues A ||  
 991 inurgit A || 993 pharetramque E (h addit 2. m.) | stridit A ||  
 994 medium E || 995 exuat Aτ || 996 omnes (om. que) Aτ ||  
 997 cyclopea EA || 999 et om. E | aula ω corr. Baden clava  
 Withof cf. Leo II 376 | disiecto A || 1000 ruptoque poste ci.  
 B. Schmidt obs. cr. p. 19sq. | columen A || 1001 procumbat  
 omnis A || 1005 dextram precantis τ | precante E || 1006 at Aτ

petet undecumque temet haec dextra et feret.

AMPH. Quo misera pergis? quam fugam aut latebram  
petis?

nullus salutis Hercule infesto est locus.

amplectere ipsum potius et blanda prece  
lenire tempta. MEG. Parce iam, coniunx, precor, 1015  
agnosce Megaram. gnatus hic vultus tuos  
habitusque reddit; cernis, ut tendat manus?

HERC. Teneo novercam. sequere, da poenas mihi  
iugoque pressum libera turpi Iovem;  
sed ante matrem parvulum hoc monstrum occidat. 1020

MEG. Quo tendis amens? sanguinem fundes tuum?

AMPH. Pavefactus infans igneo vultu patris  
perit ante vulnus, spiritum eripuit timor.  
in coniugem nunc clava libratur gravis:  
perfregit ossa, corpori trunco caput 1025

abest nec usquam est. cernere hoc audes, nimis  
vivax senectus? si piget luctus, habes  
mortem paratam: pectus in tela indue,  
vel stipitem istuc caede nostrorum inlitam  
converte. falsum ac nomini turpem tuo 1030

remove parentem, ne tuae laudi obstrepat. —

quo te ipse, senior, obvium morti ingeris?

quo pergis amens? profuge et obtectus late

unumque manibus aufer Herculeis scelus.

HERC. Bene habet, pudendi regis excisa est domus. 1035  
tibi hunc dicatum, maximi coniunx Iovis,  
gregem cecidi; vota persolvi libens

1011 teret *O. Rosbach* || 1012 latebras **A** || 1015 cognunx **E** ||  
1017 tendam **E** || 1018 renuo nov. **A**<sup>r</sup> (*exc. B 10*) || 1020 monstrum  
auferam **A** || 1021 MEG. *om. E* | fundens  $\tau(\psi)$  || 1022 AMPH. *om. E* |  
igneo infans **E** || 1023 rapuit **A** r. puer **A**<sup>r</sup> || 1024 coniuge **E** ||  
1028 pectus hoc telis pete *B. Schmidt obs. p. 23 p. en telo p.*  
*M. Müller p. 11* || 1029 istum  $\omega$  *corr. Leo II 376* | monstrorum  $\omega$   
*corr. B. Schmidt l. n.* || 1032 **CHOR. M** *et sic Leo I 83 sq. Sed*  
*movet idem scrupulum Rh. Mus. 52 (N. F.) p. 513 n. 2. Cf.*  
*Lindskog Studien II 47 sq. Amphitruoni continuant Weil et Peiper*  
*(cf. Leo I 83 sq.)* | ipse genitor **A** || 1033 latet **E**

te digna, et Argos victimas alias dabit.

AMPH. Nondum litasti, nate: consumma sacrum.  
 stat ecce ad aras hostia, expectat manum 1040  
 cervice prona; praebeo occurro insequor:  
 macta — quid hoc est? errat acies luminum  
 visusque maeror hebetat? an video Herculis  
 manus trementes? vultus in somnum cadit  
 et fessa cervix capite summisso labat; 1045  
 flexo genu iam totus ad terram ruit,  
 ut caesa silvis ornus aut portum mari  
 datura moles. vivis an leto dedit  
 idem tuos qui misit ad mortem furor?  
 sopor est: reciprocus spiritus motus agit. 1050  
 detur quieti tempus, ut somno gravi  
 vis victa morbi pectus oppressum levat.  
 removete, famuli, tela, ne repetat furens.

### CHORVS

Lugeat aether magnusque parens  
 aetheris alti tellusque ferax 1055  
 et vaga ponti mobilis unda,  
 tuque ante omnis qui per terras  
 tractusque maris fundis radios  
 noctemque fugas ore decoro,  
 fervide Titan: obitus pariter 1060  
 tecum Alcides vidit et ortus  
 novitque tuas utrasque domos.

Solvite tantis animum monstris,  
 solvite superi,  
 rectam in melius flectite mentem. 1065

1041 praebe E || 1043 maemor E marcor de Wilamowitz.  
 At cf. Boet. (Cons.) I pr. 4, 90 et pr. 6, 24. De ponendo inter-  
 rogationis signo M. Müller p. 11 || 1047 portus A pinus ci.  
 M. Haupt || 1050 spiritus in ortus E || 1051 gravis A || 1054—  
 1137 dimetri ω soli monometri 1114 (tria r. s.) E 1111 (sens. a.)  
 A; 1136 (triste l.) superiori versui additur A, inferiori E ||  
 1057 omnes A || 1064 solvite o superi E solitum sapere Bentley |  
 caecam Withof, at cf. M. Müllerum p. 13



tuque, o domitor Somne malorum,  
 requies animi, 1066<sup>b</sup>  
 pars humanae melior vitae,  
 volucre o matris genus Astraeae,  
 frater durae languide Mortis,  
 veris miscens falsa, futuri 1070  
 certus et idem pessimus auctor,  
 pater o rerum, portus vitae,  
 lucis requies noctisque comes,  
 qui par regi famuloque venis,  
 pavidum leti genus humanum 1075  
 cogis longam discere noctem:  
 placidus fessum lenisque fove,  
 preme devictum torpore gravi;  
 sopor indomitos alliget artus  
 nec torva prius pectora linquat, 1080  
 quam mens repetat pristina cursum.

En fusus humi saeva feroci  
 corde volutat somnia  
 (nondum est 1083<sup>b</sup>  
 tanti pestis superata mali  
 clavaeque gravi lassum solitus 1085  
 mandare caput  
 quaerit vacua pondera dextra,  
 motu iactans bracchia vano)  
 nec adhuc omnis expulit aestus,  
 sed ut ingenti vexata noto 1090  
 servat longos unda tumultus  
 et iam vente cessante tumet.

1068 volucer matris  $\omega$  volucre  $\tau(\psi)$  corr. Leo || 1070 futu-  
 ris E || 1072 pax errorum de Wilamowitz, cf. Val. Flacc. Arg.  
 VIII 70 Hom. Il. XIV 233 || 1076 discere mortem  $\omega$  corr.  
 I. Douza (v. Delrio ad v.) || 1077 ante v. 1075 A || 1078 de-  
 victum  $\omega$  devinctum Gronov; at recte traditam tuetur scrip-  
 turam M. Müller p. 6 sq. | corpore E || 1082 infusus E ||  
 1083<sup>b</sup> sqq. parenthesis loco posita esse docuit M. Müller p. 15 ||  
 1088 ucluat E || 1088 omnes A || 1092 post tumet apo-  
 dosin desiderat Withof. Leo proponit tale supplementum: < sic

pelle insanos fluctus animi, redeat pietas virtusque viro. vel sit potius	1094 <sup>b</sup>
mens vesano concita motu: error caecus qua coepit eat; solus te iam praestare potest furor insontem: proxima puris sors est manibus nescire nefas.	1095
Nunc Herculeis percussa sonent pectora palmis, mundum solitos ferre lacertos verbera pulsent victrice manu; gemitus vastos audiat aether, audiat atri regina poli	1100
vastisque ferox qui colla gerit vincta catenis imo latitans Cerberus antro.	1105 1105 <sup>b</sup>
Resonet maesto clamore chaos lateque patens unda profundi: et qui medius tua tela tamen senserat aer.	1110
pectora tantis obsessa malis non sunt ictu ferienda levi: uno planctu tria regna sonent.	
Et tu collo decus ac telum suspensa diu, fortis harundo, pharetraeque graves, date saeva fero verbera tergo; caedant umeros robora fortes stipesque potens	1115 1119 <sup>b</sup>
duris oneret pectora nodis: plangent tantos arma dolores.	1120

pristina adhuc quatit ira virum). *Sed cf. M. Müller p. 14, J. Vahlen, ind. lect. Berol. a. 1885 p. 14 et a. 1895/1896 p. 17 || 1105 regia E | uastusque E || 1109 latique ω corr. ed. Comelini 1589 || 1110. 1111 deletit B. Schmidt, cf. Leo I 102, recte tuctur Birt p. 546 | melius A | aether A || 1117 pharetraeque leues A || 1120 Leo ci.: laceret*

Ite infaustum genus, o pueri,	1135
noti per iter triste laboris,	1136
non vos patriae laudis comites	1122
ulti saevos vulnere reges,	
non Argiva membra palaestra	
flectere docti fortes caestu	1125
fortesque manu, iam tamen ausi	
telum Scythicis leve corytis	
missum certa librare manu	
tutosque fuga figere cervos:	
[nondumque ferae terga iubatae]	1130
ite ad Stygios, umbrae, portus	
ite, innocuae,	
quas in primo limine vitae	
scelus oppressit patriusque furor,	1134
ite, iratos visite reges.	1137

## HERCVLES AMPHITRYON THESEVS

Quis hic locus, quae regio, quae mundi plaga?	
ubi sum? sub ortu solis, an sub cardine	
glacialis ursae? numquid Hesperii maris	1140
extrema tellus hunc dat Oceano modum?	
quas trahimus auras? quod solum fesso subest?	
certe redimus. unde prostrata ad domum	
video cruenta corpora? an nondum exiit	
simulacra mens inferna? post reditus quoque	1145
oberrat oculis turba feralis meis?	
pudet fateri: paveo; nescio quod mihi,	
nescio quod animus grande praesagit malum.	
ubi es, parens? ubi illa natorum grege	

*De v. 1122—1137 cf. Leo I 103 sq., Birt 543 sqq., Richter K. U. p. 39 || 1125 fl. forti fortes A<sup>r</sup> || 1125<sup>b</sup> 1126<sup>a</sup> (fortes — manu) del. Peiper || post 1126<sup>a</sup> Leo interposuit v. 1130, sententiae hoc fere deesse ratus: <vulnere gaesi frangere torti> || 1127 Scythici leve coryti A || 1130 del. Peiper || 1137 visere ψ || 1140 glaciali E || 1141 ubi dat Withof || 1143 prostrata domo ω corr. B, Schmidt obs. crit. p. 25 || 1146 oberrat E | oculos t. f. meos A || 1147 quid ψ || 1149 ubi est A*

animosa coniunx? cur latus laevum vacat 1150  
 spolio leonis? quonam abit tegmen meum  
 idemque somno mollis Herculeo torus?  
 ubi tela? ubi arcus? arma quis vivo mihi  
 detrahere potuit? spolia quis tanta abstulit  
 ipsumque quis non Herculis somnum horruit? 1155  
 libet meum videre victorem, libet  
 (exurge, virtus) quem novum caelo pater  
 genuit relicto, cuius in fetu stetit  
 nox longior quam nostra. quod cerno nefas?  
 nati cruenta caede confecti iacent, 1160  
 perempta coniunx. quis Lycus regnum obtinet  
 [quis tanta Thebis scelera moliri ausus est]  
 Hercule reverso? quisquis Ismeni loca,  
 Actaea quisquis arva, qui gemino mari  
 pulsata Pelopis regna Dardanii colis, 1165  
 succurre, saevae cladis auctorem indica.  
 ruat ira in omnis: hostis est quisquis mihi  
 non monstrat hostem. victor Alcidae, lates?  
 procede, seu tu vindicas currus truces  
 Thracis cruenti sive Geryonae pecus 1170  
 Libyaeve dominos, nulla pugnandi mora est.  
 en nudus asto; vel meis armis licet  
 petas inermem. cur meos Theseus fugit  
 paterque vultus? ora cur condunt sua?  
 differte fletus; quis meos dederit neci 1175  
 omnis simul, profare. quid, genitor, siles?  
 at tu ede, Theseu, sed tua, Theseu, fide.  
 uterque tacitus ora pudibunda obtegit  
 furtimque lacrimas fundit. in tantis malis  
 quid est pudendum? numquid Argivae impotens 1180

1150 cur en latus E || 1151 tegmen  $\psi$  || 1155 qui non E ||  
 1156 sq. interpunctionem correxit M. Müller Ph. 261, coll. Tro.  
 651 sqq. || 1157 exurge victor A || 1158 cuius incestu A || 1162 del.  
 Leo, cf. I p. VII, p. 59 || 1167 ruatur in omnis E | omnes A ||  
 1170 sinergeryone E siue Geryonis A || 1175 defer tellus E ||  
 1176 omnes A || 1177 aut tuae de Th. E || 1180 potens A

dominator urbis, numquid infestum Lyci  
 pereuntis agmen clade nos tanta obruit?  
 per te meorum facinorum laudem precor,  
 genitor, tuique nominis semper mihi  
 numen secundum, fare. quis fudit domum? 1185  
 cui praeda iacui? AMPH. Tacita sic abeant mala.  
 HERC. Vt inultus ego sim? AMPH. Saepe vindicta obfuit.  
 HERC. Quisquamne segnis tanta toleravit mala?  
 AMPH. Maiora quisquis timuit. HERC. His etiam, pater,  
 quicquam timeri maius aut gravius potest? 1190  
 AMPH. Cladis tuae pars ista quam nosti quota est?  
 HERC. Miserere, genitor, supplices tendo manus.  
 quid hoc? manus refugit. hic errat scelus.  
 unde hic cruor? quid illa puerili madens  
 harundo leto? tincta Lernaeva nece 1195  
 iam tela video nostra. non quaero manum.  
 quis potuit arcum flectere aut quae dextera  
 sinuare nervum rite cedentem mihi?  
 ad vos revertor; genitor, hoc nostrum est scelus?  
 tacuere? nostrum est. AMPH. Luctus est istic tuus, 1200  
 crimen novercae: casus hic culpa caret.  
 HERC. Nunc parte ab omni, genitor, iratus tona,  
 oblite nostri vindica sera manu  
 saltem nepotes. stelliger mundus sonet  
 flammisque et hic et ille iaculetur polus; 1205  
 rupes ligatum Caspiae corpus trahant  
 atque ales avida — cur Promethei vacant  
 scopuli? vacat cur vertice immenso feras  
 volucresque pascens Caucasi abruptum latus  
 nudumque silvis? illa quae pontum Scythen 1210  
 Symplegas artat hinc et hinc vinctas manus  
 distendat alto, cumque revocata vice  
 in se coibunt saxaque in caelum expriment

1188 tolerabit E || 1195 lernae E | est nece Leo || 1198 nervos E |  
 uix recedentem EA paene cedentem ψ corr. Madvig || 1204 tonet  
 Bentley || 1208 paretur A uagetur E corr. Leo || 1210 scythem E ||  
 1213 coibit B. Schmidt, sed cf. Leo II 376

actis utrimque rupibus medium mare,  
 ego inquieta montium iaceam mora. 1215  
 quin structum acervans nemore congesto aggerem  
 cruore corpus impio sparsum cremo?  
 sic, sic agendum est: inferis reddam Herculem.  
 AMPH. Nondum tumultu pectus attonito carens  
 mutavit iras quodque habet proprium furor, 1220  
 in se ipse saevit. HERC. Dira Furiarum loca  
 et inferorum carcer et sonti plaga  
 decreta turbae — si quod exilium latet  
 ulterius Erebo, Cerbero ignotum et mihi:  
 hoc me abde, tellus; Tartari ad finem ultimum 1225  
 mansurus ibo. pectus o nimium ferum! —  
 quis vos per omnem, liberi, sparsos domum  
 deflere digne poterit? hic durus malis  
 lacrimare vultus nescit. huc arcum date,  
 date huc sagittas, stipitem huc vastum date. 1230  
 tibi tela frangam nostra, tibi nostros, puer,  
 rumpemus arcus; at tuis stipes gravis  
 ardebit umbris; ipsa Lernaëis frequens  
 pharetra telis in tuos ibit rogos:  
 dent arma poenas. vos quoque infaustas meis 1235  
 cremabo telis, o novercales manus.  
 AMPH. Quis nomen usquam sceleris errori addidit?  
 HERC. Saepe error ingens sceleris obtinuit locum.  
 AMPH. Nunc Hercule opus est: perfer hanc molem mali.  
 HERC. Non sic furore cessit extinctus pudor, 1240  
 populos ut omnes impio aspectu fugem.  
 arma, arma, Theseu, flagito prope mihi  
 subtracta reddi. sana si mens est mihi,

1216—1218 *post v.* 1234 *transposuit Peiper* || 1217 *cremem*  $\psi$  ||  
 1218 *om.*  $\psi$  || 1219 *attonitum caret A* || 1221 *sqq. de construc-*  
*tione cf. Leo l. n.* || 1223 *turbae et si A* || 1225 *huc A de hoc*  
*adverbii forma cf. Thomas, Hermes 28, 309* || 1229 *huc ensem*  
*date*  $\omega$  *corr. Withof, Bentley, defendit Melzer p. 4 n. 3* ||  
 1230 *om.* E || 1232 *ac tuis A cf. Leo I 35* || 1237 THE. A | *un-*  
*quam A* | *dedit*  $\psi$  || 1238 *semper furor ingens E* || 1239 THE. A ||  
 1240 *furor recessit E*

- referte manibus tela; si remanet furor,  
 pater, recede: mortis inveniam viam. 1245
- AMPH. Per sancta generis sacra, per ius nominis  
 utrumque nostri, sive me altorem vocas  
 seu tu parentem, perque venerandos piis  
 canos, senectae parce desertae, precor,  
 annisque fessis; unicum lapsae domus 1250  
 firmamen, unum lumen afflicto malis  
 temet reserva. nullus ex te contigit  
 fructus laborum; semper aut dubium mare  
 aut monstra timui; quisquis in toto furit  
 rex saevus orbe, manibus aut aris nocens, 1255  
 a me timetur; semper absentis pater  
 fructum tui tactumque et aspectum peto.
- HERC. Cur animam in ista luce detineam amplius  
 morerque nihil est: cuncta iam amisi bona,  
 mentem arma famam coniugem gnatos manus, 1260  
 etiam furorem. nemo polluto queat  
 animo mederi: morte sanandum est scelus.
- AMPH. Perimes parentem. HERC. Facere ne possim,  
 occidam.
- AMPH. Genitore coram? HERC. Cernere hunc docui  
 nefas.
- AMPH. Memoranda potius omnibus facta intuens 1265  
 unius a te criminis veniam pete.
- HERC. Veniam dabit sibi ipse, qui nulli dedit?  
 laudanda feci iussus: hoc unum meum est.  
 succurre, genitor; sive te pietas movet  
 seu triste fatum sive violatum decus 1270  
 virtutis: effer arma; vincatur mea  
 fortuna dextra. THES. Sunt quidem patriae preces  
 satis efficaces, sed tamen nostro quoque

1247 auctorem EA corr.  $\psi$  || 1251 unum columnen D. et  
 N. Heinsius (cf. Tro. 124) | afflictis E || 1255 dapibus vel gregibus Bentley laribus Richter || 1257 Vultum tuum t. e. affatum p. Bentley coll. Med. 187 || 1259 nil  $\psi$  || 1263<sup>a</sup> 1264<sup>a</sup> Theseo dantur A || 1266 peto A || 1270 factum E | violatae A

movere fletu. surge et adversa impetu  
 perfringe solito. nunc tuum nulli imparem 1275  
 animum malo resume, nunc magna tibi  
 virtute agendum est: Herculem irasci veta.  
 HERC. Si vivo, feci scelera; si morior, tuli.  
 purgare terras propero. iamdudum mihi  
 monstrum impium saevumque et immitte ac ferum 1280  
 oberrat: agedum dextra, conare aggredi  
 ingens opus, labore bis seno amplius.  
 ignava cessas, fortis in pueros modo  
 pavidasque matres? arma nisi dantur mihi,  
 aut omne Pindi Thracis excidam nemus 1285  
 Bacchique lucos et Cithaeronis iuga  
 mecum cremabo, aut tota cum domibus suis  
 dominisque tecta, cum deis templa omnibus  
 Thebana supra corpus excipiam meum  
 atque urbe versa condar, et, si fortibus 1290  
 leve pondus umeris moenia immissa incident  
 septemque opertus non satis portis premar,  
 onus omne media parte quod mundi sedet  
 dirimitque superos, in meum vertam caput.  
 AMPH. Reddo arma. HERC. Vox est digna genitore  
 Herculis. 1295  
 hoc en peremptus spiculo cecidit puer —  
 AMPH. Hoc Iuno telum manibus immisit tuis.  
 HERC. Hoc nunc ego utar. AMPH. Ecce quam miserum  
 cor palpitat pectusque sollicitum ferit. [metu  
 HERC. Aptata harundo est. AMPH. Ecce iam facies  
 scelus 1300

1274 moveare  $\psi$  || 1278 feti E || 1280 et om. E | immitte E ||  
 1283 ignave  $\omega$  corr. J. Gronov || 1284 pavidanque matrem E |  
 dentur A arma reddantur m. Bentley || 1297 aut om. EA  
 add.  $\psi$  | cum laribus Peiper, cum famulis B. Schmidt obs. cr.  
 p. 26 sq. || 1290 eversa E || 1293 qua mundus A quo  $\psi(\tau)$  ||  
 1295 HERC. redde A | AMPH. VOX A | dignatore herculis (om.  
 geni) E || 1296. 1297 *Amphitryoni continuantur* A || 1297 emi-  
 sit A || 1298 HERC. om.  $\psi$  || 1299 corpusque  $\omega$  corr. Gronov,  
 cf. Leo I 22 || 1300 totus *Amphitryoni datur* A



volens sciensque. HERC. Pande, quid fieri iubes?  
 AMPH. Nihil rogamus: noster in tuto est dolor.  
 natum potes servare tu solus mihi,  
 eripere nec tu; maximum evasi metum:  
 miserum haut potes me facere, felicem potes. 1305  
 sic statue, quicquid statuis, ut causam tuam  
 famamque in arto stare et ancipiti scias:  
 aut vivis aut occidis. hanc animam levem  
 fessamque senio nec minus fessam malis  
 in ore primo teneo. tam tarde patri 1310  
 vitam dat aliquis? non feram ulterius moram,  
 laetare! ferro pectus impresso induam:  
 hic, hic iacebit Herculis sani scelus.  
 HERC. Iam parce, genitor, parce, iam revoca manum.  
 succumbe, virtus, perfer imperium patris. 1315  
 eat ad labores hic quoque Herculeos labor:  
 vivamus. artus alleva afflictos solo,  
 Theseu, parentis. dextra contactus pios  
 scelerata refugit. AMPH. Hanc manum amplector libens,  
 hac nisus iho, pectori hanc aegro admovens 1320  
 pellam dolores. HERC. Quem locum profugus petam?  
 ubi me recondam quave tellure obruar?  
 quis Tanais aut quis Nilus aut quis Persica  
 violentus unda Tigris aut Rhenus ferox  
 Tagusve Hibera turbidus gaza fluens 1325  
 abluere dextram poterit? Arctoum licet  
 Maeotis in me gelida transfundat mare  
 et tota Tethys per meas currat manus,  
 haerebit altum facinus. in quas impius  
 terras recedes? ortum an occasum petes? 1330  
 ubique notus perdidit exilio locum.

1301 *Amphitryonis totus est*  $\omega$  corr. Rutgers (*V. L. p. 495*) |  
 quod  $\psi$  || 1302 *Herculi datur*  $\psi$  || 1304 theseu ipse necdum  
 maximum A || 1305 me om. E || 1309 quassam malis A || 1312 le-  
 tale  $\omega$  corr. Peiper | impressum A || 1316 herculeus E || 1320 pec-  
 tore E | ego A || 1322 obruam A || 1324 thenus E || 1325 padusve  
 hiberatur bibus E || 1330 recides E

me refugit orbis, astra transversos agunt  
 obliqua cursus, ipse Titan Cerberum  
 meliore vultu vidit. o fidum caput,  
 Theseu, latebram quaere longinquam abditam; 1335  
 quoniamque semper sceleris alieni arbiter  
 amas nocentes, gratiam meritis refer  
 vicemque nostris: redde me infernis precor  
 umbris reductum, meque subiectum tuis  
 constitue vinclis: ille me abscondet locus. 1340  
 sed et ille novit. THES. Nostra te tellus manet.  
 illic solutam caede Gradivus manum  
 restituit armis: illa te, Alcide, vocat,  
 facere innocentes terra quae superos solet.

1336 quique semper  $\psi$  || 1340 restitue  $\omega$  corr. Bentley  
 (substitue vel constitue, *illud Leo*) || 1342 crede E || 1343 resti-  
 tuet A $\tau$  (exc. R 10) | alcidæ E

MARCI. LVCH. ANNEI SENECAE. HERCVLES | EXPLICIT. INCIPIT  
 FELICITER | TROADVM ÷ HEVBA E sequitur Thyestes A

# TROADES

# PERSONAE

I ANDROMACHA  
PYRRHVS

II HECVBA  
AGAMEMNO  
VLIXES

III TALTHYBIVS  
CALCHAS  
SENEX  
HELENA  
NVNTIVS

ASTYANAX } TACITI  
POLYXENA }

CHORVS TROADVM

SCAENA TROIAE

## HECVBA

Quicumque regno fudit et magna potens  
 dominatur aula nec leves metuit deos  
 animumque rebus credulum laetis dedit,  
 me videat et te, Troia: non umquam tulit  
 documenta fors maiora, quam fragili loco 5  
 starent superbi. columen eversum occidit  
 pollentis Asiae, caelitum egregius labor;  
 ad cuius arma venit et qui frigidum  
 septena Tanain ora pandentem bibit, 9  
 et quae vagos vicina prospiciens Scythas 12  
 ripam catervis Ponticam viduis ferit, 13  
 et qui renatum primus excipiens diem 10  
 tepidum rubenti Tigrin immiscet freto,  
 excisa ferro est, Pergamum incubuit sibi. 14  
 en alta muri decora congesti iacent 15  
 tectis adustis; regiam flammae ambiunt  
 omnisque late fumat Assaraci domus.  
 non prohibet avidas flamma victoris manus:  
 diripitur ardens Troia. nec caelum patet  
 undante fumo: nube ceu densa obsitus 20  
 ater favilla squallet Iliaca dies.  
 stat avidus irae victor et lentum Ilium

TROADES E TROAS A TRAGOEDIA TROADOS *Thu.* HECVBA  $\psi$   
*Pseudoprobus inst. art. p. 47, 10. 75, 32 (infra ad v. 861 et 1053)*

6 cecidit A(τ) || 8 quae E || post v. 9 inseruit 12, 13 *Richter symb. p. 13 a Leone deletos (I 209)* || 10 renatum prorsus A r. propius *Bessel p. 74* || 11 tigrim E || 15 congestis E conlapsi ci. *Koetschau*, disiecti *Peiper* || 16 adusti E adusta *Bessel ibd.*, *Bentley* || 17 assarici Aτ || 22 ira A

metitur oculis ac decem tandem ferus  
 ignoscit annis; horret afflictam quoque,  
 victamque quamvis videat, haut credit sibi 25  
 potuisse vinci. spolia populator rapit  
 Dardania; praedam mille non capiunt rates.

Testor deorum numen adversum mihi,  
 patriaeque cineres teque rectorem Phrygum  
 quem Troia toto conditum regno tegit, 30  
 tuosque manes quo stetit stante Ilium,  
 et vos meorum liberum magni greges,  
 umbrae minores: quicquid adversi accidit,  
 quaecumque Phoebas ore lymphato furens  
 credi deo vetante praedixit mala, 35  
 prior Hecuba vidi gravida nec tacui metus  
 et vana vates ante Cassandram fui.  
 non cautus ignes Ithacus aut Ithaci comes  
 nocturnus in vos sparsit aut fallax Sinon:  
 meus ignis iste est, facibus ardetis meis, 40  
 sed quid ruinas urbis eversae gemis,  
 vivax senectus? respice infelix ad hos  
 luctus recentes: Troia iam vetus est malum.  
 vidi execrandum regiae caedis nefas  
 ipsasque ad aras maius admissum scelus 45  
 Aeacidis armis, cum ferox, scaeva manu  
 coma reflectens regium torta caput,  
 alto nefandum vulneri ferrum abdidit;  
 quod penitus actum cum recepisset, libens  
 ensis senili siccus e iugulo redit. 50  
 placare quem non potuit a caede effera

25 aut E (non sup. scr. E<sup>2</sup>) haud A<sup>r</sup> || 29 phrygum E ||  
 31 quodque stetit ante ilium A || 34 lymphatico A<sup>r</sup> || 46 Aeacis  
 E (i. e. Aeacidis cf. Dracont. V 155, et sic Scaliger) Aeacide A  
 Aiakis Gronov Aeacidac ab armis N. Heinsius p. 151. Aiakis  
 ausis Bentley. Leo ci.: ipsasque ad aras (maius admissumst  
 fide) Aeacidis arma, at cf. II 377. Richter ci.: ips. ad a. ma-  
 nibus admissum scelus Aeacidis, armis cum fer. || 49 sq. sic  
 distinguit M. Müller Ph. 262 || 50 senili tinctus A

mortalis aevi cardinem extremum premens  
 superique testes sceleris et quoddam sacrum  
 regni iacentis? ille tot regum parens  
 caret sepulcro Priamus et flamma indiget 55  
 ardente Troia. non tamen superis sat est:  
 dominum ecce Priami nuribus et natis legens  
 sortitur urna praedaeque en vilis sequar.  
 hic Hectoris coniugia despondet sibi,  
 hic optat Heleni coniugem, hic Antenoris; 60  
 nec dest tuos, Cassandra, qui thalamos petat.  
 mea sors timetur, sola sum Danais metus.

Lamenta cessant? turba captivae meae,  
 ferite palmis pectora et planctus date  
 et iusta Troiae facite. iamdudum sonet 65  
 fatalis Ide, iudicis diri domus.

## CHORVS TROADVM HECVBA

Non rude vulgus lacrimisque novum  
 lugere iubes:  
 hoc continuis egimus annis,  
 ex quo tetigit 69<sup>b</sup>  
 Phrygius Graias hospes Amyclas 70  
 secuitque fretum  
 pinus matri sacra Cybebae.  
 deciens nivibus canuit Ide,

53 quondam  $\psi$  || 56 superi  $\psi$  || 58 praeda quem v. s. A ||  
 61 deest A<sup>r</sup> || 63 cessent  $\tau$  E 10 || 64—164 extant in cod. Thuanico  
 Paris. 8071 saec. IX<sup>x</sup> folio 57<sup>r</sup>; vide prioris editionis praef.  
 p. xxiv || v. 67—82 dimetri EA, 83—97<sup>a</sup> trimetri E, dimetri  
 (98 monometer) A, 97<sup>b</sup>—115 dimetri, 116 monom. E, 99—116 di-  
 metri A, 117—131 trimetri E dim. A, 132—141 dim. EA, 142—  
 155<sup>a</sup> trimetri, 155<sup>b</sup> 156 dimetri E, 142—156 dim. A, 157—162  
 dim. 164 monometer EA In archetypo codicis Thuanici omnia  
 videntur trimetris descripta fuisse. Cf. Leo I 138, Richter K. U.  
 p. 45 sq. || 67 Chorus troianorum vel trianoram  $\psi$  ch. mulierum  
 troianarum  $\tau$  HECVBA CHORVS TROADVM T || 72 Cybelae EA Ci-  
 bebe T || 73 nivibus: ivibus i. ras. E<sup>2</sup> | decies — deciens TA<sup>r</sup>  
 deciens — decies E

deciens nostris nudata rogis,  
 et Sigeis trepidus campis 75  
 decumas secuit messor aristas,  
 ut nulla dies maerore caret.  
 sed nova fletus causa ministrat:  
 ite ad planctus,  
 miseramque leva, regina, manum. 80  
 vulgus dominam vile sequemur:  
 non indociles lugere sumus.

HEC. Fidae casus nostri comites,  
 solvite crinem,  
 per colla fluent maesta capilli 85  
 tepido Troiae pulvere turpes:  
 complete manus, 102<sup>b</sup>  
 hoc ex Troia sumpsisse licet. 103  
 paret exertos turba lacertos; 87  
 veste remissa substringe sinus  
 uteroque tenuis pateant artus.  
 cui coniugio 90  
 pectora velas, captive pudor?  
 eingat tunicas palla solutas,  
 vacet ad crebri verbera planctus  
 furibunda manus — placet hic habitus,  
 placet: agnosco Troada turbam. 95  
 iterum luctus redeant veteres,  
 solitum flendi vincite morem:  
 Hectors flemus.

CHOR. Solvimus omnes lacerum multo  
 funere crinem; 100  
 coma demissa est libera nodo

74 Ide nostris A || 76 decimas T decies A || 79 ito Rutgers  
 p. 602 | planctumque T || 85 trepido ET || 86 vulnere τ ||  
 102<sup>b</sup>—103 huc transposuit F. Haase (misc. phil. III 12) Hecubae  
 dantur A, choro continuantur TE | complecte E || 88 reuulsa τ ||  
 92 soluta A<sup>r</sup> versus delet Peiper || 101 dimissa ω corr. Scaliger



sparsitque cinis fervidus ora.  
 cadit ex umeris vestis apertis 104  
 imumque tegit suffulta latus; 105  
 iam nuda vocant pectora dextras:  
 nunc, nunc vires exprome, dolor.  
 Rhoetea sonent litora planctus,  
 habitansque cavis montibus Echo  
 non, ut solita est, extrema brevis 110  
 verba remittat,  
 totos reddat Troiae gemitus:  
 audiat omnis pontus et aether.  
 saevite, manus, 113<sup>b</sup>  
 pulsu pectus tundite vasto,  
 non sum solito contenta sono: 115  
 Hectorsa flemus.

HEC. Tibi nostra ferit dextra lacertos  
 umerosque ferit tibi sanguineos,  
 tibi nostra caput dextera pulsat,  
 tibi maternis ubera palmis 120  
 laniata iacent:  
 fluat et multo sanguine manet  
 quaecumque tuo 122<sup>b</sup>  
 funere feci rupta cicatrix.  
 columnen patriae, mora fatorum,  
 tu praesidium Phrygibus fessis, 125  
 tu murus eras umerisque tuis  
 stetit illa decem fulta per annos:  
 tecum cecidit summusque dies  
 Hectoris idem patriaeque fuit.

Vertite planctus: Priamo vestros 130  
 fundite fletus, satis Hector habet.

104 cadat A || 105 utrumque tegat A Ique tegit T || 107 hunc  
 nunc E corr. E<sup>2</sup> || 108 planctus T planctu EA || 114 vasto | tun-  
 dite pectus A || 117 haec tibi T HEC. haec tibi E CHO. tibi A ||  
 119 del. Peiper || 121 lania E | fuit A || 122 madat A || 125 fri-  
 gibus ω || 130 HEC. praep. A | uestro rel nostro A<sup>r</sup>

CHOR. Accipe, rector Phrygiae, planctus,  
 accipe fletus, bis capte senex.  
 nil Troia semel te rege tulit,  
 bis pulsari Dardana Graio 135  
 moenia ferro  
 bisque pharetras passa Herculeas.  
 post elatos 137<sup>b</sup>  
 Hecubae partus regumque gregem  
 postrema pater funera cludis  
 magnoque Iovi victima caesus 140  
 Sigea premis litora truncus.

HEC. Alio lacrimas flectite vestras:  
 non est Priami miseranda mei  
 mors, Iliades.  
 felix Priamus dicite cunctae: 145  
 liber manes vadit ad imos,  
 nec feret umquam victa Graium  
 cervice iugum; 147<sup>b</sup>  
 non ille duos videt Atridas  
 nec fallacem cernit Vlixen;  
 non Argolici praeda triumphi 150  
 subiecta feret colla tropaeis;  
 non adsuetas ad sceptras manus  
 posterga dabit  
 currusque sequens Agamemnonios  
 aurea dextra vincula gestans 155  
 latis fiet pompa Mycenis.

CHOR. Felix Priamus dicimus omnes:  
 secum excedens sua regna tulit;  
 nunc Elysii nemoris tutis  
 errat in umbris interque pias 160

135 bis pulsari vidit D. g. TE || 137 post te latos E ||  
 138 regumque rogos A r. greges Bessel p. 77 || 143 me TE\*  
 mei E<sup>1-2</sup> || 148 vidit A || 149 Vlixen T Vlixem EA || 153 po-  
 terga T post terga EA || 154 agamenonios A || 155 laetis A ||  
 159 tutus A

felix animas Hectora quaerit.  
 felix Priamus, 161<sup>b</sup>  
 felix quisquis bello moriens  
 omnia secum consumpta tulit.

## TALTHYBIVS CHORVS

O longa Danais semper in portu mora,  
 seu petere bellum, petere seu patriam volunt. 165  
 CHOR. Quae causa ratibus faciat et Danais moram,  
 effare, reduces quis deus claudat vias.  
 TAL. Pavet animus, artus horridus quassat tremor.  
 maiora veris monstra (vix capiunt fidem)  
 vidi ipse, vidi. summa iam Titan iuga 170  
 stringebat ortu, vicerat noctem dies, 170<sup>b</sup>  
 cum subito caeco terra mugitu fremens  
 concussa totos traxit ex imo sinus;  
 movere silvae capita et excelsum nemus  
 fragore vasto tonuit et lucus sacer;  
 Idaea ruptis saxa ceciderunt iugis. 175  
 nec terra solum tremuit: et pontus suum  
 adesse Achillen sensit ac stravit vada.  
 tum scissa vallis aperit immensos specus  
 et hiatus Erebi pervium ad superos iter  
 tellure fracta praebet ac tumulum levat. 180  
 emicuit ingens umbra Thessalici ducis,  
 Threicia qualis arma proludens tuis  
 iam, Troia, fatis stravit aut Neptunium  
 cana nitentem perculit iuvenem coma,  
 aut cum inter acies Marte violento furens 185  
 corporibus amnes clusit et quaerens iter  
 tardus cruento Xanthus erravit vado,

163 cons. uidet A || 164 quam longa A || 167 effare edoce  
 quis E || 170<sup>b</sup> ortus A || 172 cecos tr. e. i. sonos A || 176 nec  
 sola tellus tr. A || 177 movit Bentley || 178 tunc sc. tellus A ||  
 182 preludens A || 187 cruento xanthus E<sup>2</sup> cruentus anthus  
 (ut vid.) E<sup>1</sup>

aut cum superbo victor in curru stetit  
 egitque habenas Hectorem et Troiam trahens.  
 implevit omne litus irati sonus: 190  
 'ite, ite inertes, manibus meis debitos  
 auferte honores, solvite ingratas rates  
 per nostra ituri maria. non parvo luit  
 iras Achillis Graecia et magno luet:  
 desponsa nostris cineribus Polyxene 195  
 Pyrrhi manu mactetur et tumulum riget.'  
 haec fatus alta nocte demersit diem  
 repetensque Ditem rursus ingentem specum  
 coeunte terra iunxit. immoti iacent  
 tranquilla pelagi, ventus abiecit minas 200  
 placidumque fluctu murmurat leni mare,  
 Tritonum ab alto cecinit hymenaeum chorus.

### PYRRHVS AGAMEMNON CALCHAS

Cum laeta pelago vela rediturus dares,  
 excidit Achilles, cuius unius manu  
 impulsa Troia, quicquid accessit morae 205  
 illo remoto, dubia quo caderet stetit.  
 velis licet quod petitur ac properes dare,  
 sero es daturus: iam suum cuncti duces  
 tulere pretium. quae minor merces potest  
 tantae dari virtutis? an meruit parum 210  
 qui, fugere bellum iussus et longa sedens

191 ite *semel* E | debitos manibus meis A manibusque d.  
*Henneberger* debitosque manibus *Delrio* || 192 afferte E || 193 luet A ||  
 194 at magno A || 195 Polyxena E (a m. 2 ex e ut vid.) || 197 voce  $\psi$  |  
 diuisit  $\omega$  dimisit  $\psi$  *corr.* *Peiper* (mutavit d. vel iam vitans d.  
*Leo*) || 198 mersus  $\omega$  *corr.* *Peiper* || 199 immota E || 202 Triton A |  
 choro A || 203 *inser. om.* A || 205 adiecit  $\omega$  *corr.* *Richter symb. p. 32* ||  
 205 sqq. sic A:

impulsa Troia corrui tandem solo,  
 breui repensans quicquid adiecit morae  
 Schyros fretumque Lesbos Aegeum secans (cf. 226)  
 illo remoto dubia quo caderet stetit. ||

210 virtuti  $\omega$  *corr.* *Peiper*

aevum senecta ducere ac Pylii senis  
 transcendere annos, exiit matris dolos  
 falsasque vestes, fassus est armis virum?  
 inhospitali Telephus regno impotens, 215  
 dum Mysiae ferocis introitus negat,  
 rudem cruore regio dextram imbuat  
 fortemque eandem sensit et mitem manum.  
 cecidere Thebae, vidit Eetion capi  
 sua regna victus; clade subversa est pari 220  
 apposita celso parva Lyrnesos ingo,  
 captaque tellus nobilis Briseide  
 et causa litis regibus Chryse iacet  
 et nota fama Tenedos et quae pascuo  
 fecunda pingui Thracios nutrit greges 225  
 Scyros fretumque Lesbos Aegaeum secans  
 et cara Phoebos Cilla; quid quas alluit  
 vernis Caycus gurgitem attollens aquis?  
 haec tanta clades gentium ac tantus pavor,  
 sparsae tot urbes turbinis vasti modo 230  
 alterius esset gloria ac summum decus:  
 iter est Achilles; sic meus venit pater  
 et tanta gessit bella, dum bellum parat.  
 ut alia sileam merita, non unus satis  
 Hector fuisset? Ilium vicit pater, 235  
 vos diruistis. inclitas laudes iuvat  
 et facta magni clara genitoris sequi:  
 iacuit peremptus Hector ante oculos patris  
 patruisque Memnon, cuius ob luctum parens  
 pallente maestum protulit vultu diem; 240  
 suique victor operis exemplum horruit  
 didicitque Achilles et dea natos mori.  
 tum saeva Amazon ultimus cecidit metus.

212 sen. degere A | pylli E || 219 vidit et longapi E v. echion  
 vel ethion A || 221 imposita Scriber || 226 post v. 205 ponitur A ||  
 227 sacra Phoebos A<sup>r</sup> (exc. B 10) | scilla A<sup>r</sup> || 228 calchus E ||  
 232 Inter est A<sup>r</sup> (exc. Ag.) | Achilli ψ || 237 et clara magni  
 facta A || 239 mennon ω || 243 tum versa A. u. c. timor A

debes Achilli, merita si digne aestimas,  
 et si ex Mycenis virginem atque Argis petat. 245  
 dubitatur et iam placita nunc subito improbas  
 Priamique natam Pelei nato ferum  
 mactare credis? at tuam natam parens  
 Helenae immolasti: solita iam et facta expeto.  
 AGAM. Iuvenile vitium est regere non posse impetum; 250  
 aetatis alios fervor hic primus rapit,  
 Pyrrhum paternus. spiritus quondam trucidis  
 minasque tumidi lentus Aeacidæ tuli:  
 quo plura possis, plura patienter feras.  
 Quid caede dira nobiles clari ducis 255  
 aspergis umbras? noscere hoc primum decet,  
 quid facere victor debeat, victus pati.  
 violenta nemo imperia continuit diu,  
 moderata durant; quoque Fortuna altius  
 evexit ac levavit humanas opes, 260  
 hoc se magis suppressere felicem decet  
 variosque casus tremere metuentem deos  
 nimium faventes. magna momento obrui  
 vincendo didici. Troia nos tumidos facit  
 nimium ac feroces? stamus hoc Danaï loco, 265  
 unde illa cecidit. fateor, aliquando impotens  
 regno ac superbus altius memet tuli;  
 sed fregit illos spiritus hæc quæ dare  
 potuisset aliis causa, Fortunæ favor.  
 tu me superbum, Priame, tu timidum facis. 270  
 ego esse quicquam sceptrâ nisi vano putem  
 fulgore tectum nomen et falso comam  
 vinclo decentem? casus hæc rapiet brevis,  
 nec mille forsân ratibus aut annis decem:  
 non omnibus fortuua tam lenta imminet. 275

244 digna E || 246 dub. etiam? plac. *w corr.* Bücheler | nec  
 s. probas A || 247 patriamque gnatam E || 249 sueta exp. Bentley ||  
 251 primæ A || 251 252<sup>a</sup> *Pyrrho dat Scaliger* || 252 P. et pat.  
 Bentley | truces A || 264 facis  $\psi(\tau)$  || 269 alii A || 271 egon?  
 Bentley || 273 vinclo tegentem  $\psi$  | rapit A<sup>c</sup> || 274 forsân E ||  
 275 ante 274 E del. Leo I 35

equidem fatebor (pace dixisse hoc tua,  
 Argiva tellus, liceat) affligi Phrygas  
 vincique volui: ruere et aequari solo  
 utinam arcuissem. sed regi frenis nequit  
 et ira et ardens hostis et victoria 280  
 commissa nocti. quicquid indignum aut ferum  
 cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor  
 tenebraeque, per quas ipse se irritat furor,  
 gladiusque felix, cuius infecti semel  
 vecors libido est. quicquid eversae potest 285  
 superesse Troiae, maneat: exactum satis  
 poenarum et ultra est. regia ut virgo occidat  
 tumuloque donum detur et cineres riget  
 et facinus atrox caedis ut thalamos vocent?  
 non patiar. in me culpa cunctorum redit: 290  
 qui non vetat peccare, cum possit, iubet.  
 PYRRH. Nullumne Achillis praenium manes ferent?  
 AGAM. Ferent, et illum laudibus cuncti canent  
 magnumque terrae nomen ignotae audient.  
 quod si levatur sanguine infuso cinis, 295  
 opima Phrygii colla caedantur greges  
 fluatque nulli flebilis matri cruor.  
 quis iste mos est, quando in inferias homo est  
 impensus hominis? detrahe invidiam tuo  
 odiumque patri, quem coli poena iubes. 300  
 PYRRH. O tumide, rerum dum secundarum status  
 extollit animos, timide cum increpuit metus,  
 regum tyranne! etiamne flammatum geris  
 amoris aestu pectus ac veneris novae?  
 solusne totiens spolia de nobis feres? 305

276 hoc dixisse A<sup>r</sup> || 279 etiam arguissem *ω* corr. *Madvig*  
*II* 120 (arcuissem *Lipsius*) || 283 ipse *om.* A | se *om.* E ||  
 289 vocem A || 292 achilli *ψ* || 296 gregis *ω* corr. *Bücheler* ||  
 298 qui E | mos est? *Leo* || 299 homini A || 302 extollit E | in-  
 crevit E || 303 iamue *ω* corr. *Koetschau* (iterumne *Bentley*) ||  
 304 amore subito *ω* a. solito *ψ* corr. *Bentley coll. Ov. am. III*  
*5, 36* (Amoris igne *Leo*) amore nuptae *Peiper*; at cf. 364

hac dextra Achilli victimam reddam suam.  
 quam si negas retinesque, maiorem dabo  
 dignamque quam det Pyrrhus; et nimium diu  
 a caede nostra regia cessat manus  
 paremque poscit Priamus. AGAM. Haud equidem nego 310  
 hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus,  
 saevo peremptus ense quod Priamus iacet,  
 supplex paternus. PYRRH. Supplices nostri patris  
 hostesque eosdem novimus. Priamus tamen  
 praesens rogavit; tu gravi pavidus metu, 315  
 nec ad rogandum fortis, Aiaci preces  
 Ithacoque mandas clausus atque hostem tremens.  
 AGAM. At non timebat tunc tuus, fateor, parens,  
 interque caedes Graeciae atque uistas rates  
 segnis iacebat belli et armorum immemor, 320  
 levi canoram verberans plectro chelyn.  
 PYRRH. Tunc magnus Hector, arma contemnens tua,  
 cantus Achillis timuit, et tanto in metu  
 navalibus pax alta Thessalicis fuit.  
 AGAM. Nempe isdem in istis Thessalis navalibus 325  
 pax alta rursus Hectoris patri fuit.  
 PYRRH. Est regis alti spiritum regi dare.  
 AGAM. Cur dextra regi spiritum eripuit tua?  
 PYRRH. Mortem misericors saepe pro vita dabit.  
 AGAM. Et nunc misericors virginem busto petis? 330  
 PYRRH. Iamne immolari virgines credis nefas?  
 AGAM. Praeferre patriam liberis regem decet.  
 PYRRH. Lex nulla capto parcit aut poenam impedit.  
 AGAM. Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.  
 PYRRH. Quodcumque libuit facere victori licet. 335  
 AGAM. Minimum decet libere cui multum licet.  
 PYRRH. His ista iactas, quos decem annorum gravi  
 regno subactos Pyrrhus exsolvit iugo? [caret.  
 AGAM. Hos Scyrus animos? PYRRH. Scelere quae fratrum

306 dextrachilli E || 319 uastas A<sup>r</sup> || 321 caelym E chelim A ||  
 325 thessalicis ψ || 330 at n. m. uirgines A || 339 Syrus E  
 Schyros A



AGAM. Includa fluctu — PYRRH. Nempe cognati maris:  
Atrei et Thyestae nobilem novi domum. 341

AGAM. Ex virginis concepte furtivo stupro  
et ex Achille nate, sed nondum viro —  
PYRRH. Illo ex Achille, genere qui mundum suo  
sparsus per omne caelitem regnum tenet: 345

Thetide aequor, umbras Aeaco, caelum Iove.  
AGAM. Illo ex Achille, qui manu Paridis iacet.

PYRRH. Quem nec deorum comminus quisquam petit.  
AGAM. Compescere equidem verba et audacem malo  
poteram domare; sed meus captis quoque 350  
scit parcere ensis. potius interpret deum  
Calchas vocetur: fata si poscent, dabo.

Tu qui Pelasgae vincla solvisti rati  
morasque bellis, arte qui reseras polum,  
cui viscerum secreta, cui mundi fragor 355  
et stella longa semitam flamma trahens  
dant signa fati, cuius ingenti mihi  
mercede constant ora: quid iubeat deus  
effare, Calchas, nosque consilio rege.

CAL. Dant fata Danais quo solent pretio viam: 360  
mactanda virgo est Thessali busto ducis;  
sed quo iugari Thessalae cultu solent  
Ionidesve vel Mycenaeae nurus,  
Pyrrhus parenti coniugem tradat suo:  
sic rite dabitur. non tamen nostras tenet 365

haec una puppes causa: nobilior tuo,  
Polyxene, cruore debetur cruor.  
quem fata quaerunt, turre de summa cadat  
Priami nepos Hectoreus et letum oppetat.  
tum mille velis impleat classis freta. 370

*post 340 Agamemnonis orationem excidisse censet Peiper* ||  
346 aequora E cf. Leo I 59 || 349 male τ || 351 diuum E ||  
352 poscunt A || 354 belli E || 357 dat ω corr. τ || 359 cal-  
ca A || 363 ionidae suae E Ioides Heusinger, Inoides Peiper ||  
368 q. f. q. dura reclusum cadat A || 369 Priamo E

## CHORVS

Verum est an timidos fabula decipit  
 umbras corporibus vivere conditis,  
 cum coniunx oculis imposuit manum  
 supremusque dies solibus obstitit  
 et tristis cineres urna cohercuit? 375  
 non prodest animam tradere funeri,  
 sed restat miseris vivere longius?  
 an toti morimur nullaque pars manet  
 nostri, cum profugo spiritus halitu  
 immixtus nebulis cessit in aera 380  
 et nudum tetigit subdita fax latus?  
 Quicquid sol oriens, quicquid et occidens  
 novit, caeruleis Oceanus fretis  
 quicquid bis veniens et fugiens lavat,  
 aetas Pegaseo corripit gradu. 385  
 quo bis sena volant sidera turbine,  
 quo cursu properat volvere saecula  
 astrorum dominus, quo properat modo  
 obliquis Hecate currere flexibus:  
 hoc omnes petimus fata nec amplius, 390  
 iuratos superis qui tetigit lacus,  
 usquam est; ut calidis fumus ab ignibus  
 vanescit, spatium per breve sordidus,  
 ut nubes, gravidas quas modo vidimus,  
 arctoi Boreae dissicit impetus: 395  
 sic hic, quo regimur, spiritus effluet.  
 post mortem nihil est ipsaque mors nihil,  
 velocis spatii meta novissima;  
 spem ponant avidi, solliciti metum:

371 fabula: b 2 m. ex m E || 372 interrogandi signum post  
 conditis ω del. Peiper || 375 tristes A | post cohercuit interrog.  
 notam ponit Peiper || 378 an AΣ ac (c i. ras.) E<sup>2</sup> || 384 uel  
 ueniens uel fugiens A bis v. bis f. Henneberger | labat E ||  
 386 bis quos sena vocant E || 387 saecula uoluere A || 389 aecate  
 E echate A || 390 haec omnes EA corr. ψ || 393 sordibus A<sup>r</sup> ||  
 395 dissipat A dissicat E corr. ψ

tempus nos avidum devorat et chaos. 400  
 mors individua est, noxia corpori  
 nec parcens animae: Taenara et aspero  
 regnum sub domino limen et obsidens  
 custos non facili Cerberus ostio  
 rumores vacui verbaque inania 405  
 et par sollicito fabula somnio.  
 quaeris quo iaceas post obitum loco?  
 quo non nata iacent. —

## ANDROMACHA. SENEX ASTYANAX

Quid, maesta Phrygiae turba, laceratis comas  
 miserumque tunsae pectus effuso genas 410  
 fletu rigatis? levia perpressae sumus,  
 si flenda patimur. Ilium vobis modo,  
 mihi cecidit olim, cum ferus curru incito  
 mea membra raperet et gravi gemeret sono  
 Peliaçus axis pondere Hectoreo tremens. 415  
 tunc obruta atque eversa quodcumque accidit  
 torpens malis rigensque sine sensu fero.  
 iam erepta Danais coniugem sequerer meum,  
 nisi hic teneret: hic meos animos domat  
 morique prohibet; cogit hic aliquid deos 420  
 adhuc rogare — tempus aerumnae addidit.  
 hic mihi malorum maximum fructum abstulit,  
 nihil timere: prosperis rebus locus  
 ereptus omnis, dira qua veniant habent.  
 miserrimum est timere, cum speres nihil. 425  
 SEN. Quis te repens commovit afflictam metus?  
 ANDR. Exoritur aliquod maius ex magno malum.  
 nondum ruentis Ilii fatum stetit.  
 SEN. Et quas reperiet, ut velit, clades deus?

402 tenareta spero E || 407. 408 post v. 399 AE<sup>2</sup> cf. *Leo I 139 n. 7, Smith, de arte rhetor. in Senecae trag. perspicua Lipsiae 1883 p. 11 n. 1* || 409 inscr. om. A (And. S. Vlixes ψ), AN. praef. ψ | lac. manus A<sup>r</sup> || 416 eversa Troia concidit A || 417 feror A || 420 aliquos A<sup>r</sup> || 426 repetens E || 427 aliquid τ

ANDR. Stygis profundae claustra et obscuri specus 430  
 laxantur et, ne desit eversis metus,  
 hostes ab imo conditi Dite exeunt —  
 solisne retro pervium est Danais iter?  
 certe aequa mors est — turbat atque agitat Phrygas  
 communis iste terror, hic proprie meum 435  
 exterret animum, noctis horrendae sopor.  
 SEN. Quae visa portas? effer in medium metus.  
 ANDR. Partes fere nox alma transierat duas  
 clarumque septem verterant stellae iugum;  
 ignota tandem venit afflictae quies 440  
 brevisque fessis somnus obrepsit genis,  
 si somnus ille est mentis attonitae stupor:  
 cum subito nostros Hector ante oculos stetit,  
 non qualis ultro bella in Argivos ferens  
 Graias petebat facibus Idaeis rates, 445  
 nec caede multa qualis in Danaos furens  
 vera ex Achille spolia simulato tulit,  
 non ille vultus flammeum intendens iubar,  
 sed fessus ac deiectus et fletu gravis  
 similisque maesto, squalida obtectus coma. 450  
 iuvat tamen vidisse; tum quassans caput:  
 'dispelle somnos' inquit 'et natum eripe,  
 o fida coniunx: lateat, haec una est salus.  
 omitte fletus — Troia quod cecidit gemis?  
 utinam iaceret tota. festina, amove 455  
 quocumque nostrae parvulam stirpem domus.  
 mihi gelidus horror ac tremor somnum expulit,  
 oculosque nunc huc pavida, nunc illuc ferens  
 oblita nati misera quaesivi Hectorem:  
 fallax per ipsos umbra complexus abit. 460

430—434\* *seni continuat Bothe* || 430 Stygii profundi A ||  
 432 tumulo exeunt A || 436 *post animum lenem interpunctionem*  
*esse ponendam M. Müller p. 17 sq. demonstravit* || 437 portant A ||  
 438 nox iam tr. E || 446 caede vasta A | Danais A (Danaos τ)  
 449. 450 *om. E* || 450 nostro ω, *corr. Peiper coll. Verg. Aen.*  
*II 270* || 452 depelle A || 457 executit A

O nate, magni certa progenies patris,  
 spes una Phrygibus, unica afflictae domus,  
 veterisque suboles sanguinis nimium inclita  
 nimiumque patri similis: hos vultus meus  
 habebat Hector, talis incessu fuit 465  
 habituque talis, sic tulit fortes manus,  
 sic celsus umeris, fronte sic torva minax  
 cervice fusam dissipans iacta comam —  
 o nate sero Phrygibus, o matri cito,  
 eritne tempus illud ac felix dies 470  
 quo Troici defensor et vindex soli  
 recidiva ponas Pergama et sparsos fuga  
 cives reducas, nomen et patriae suum  
 Phrygibusque reddas? sed mei fati memor  
 tam magna timeo vota — quod captis sat est, 475  
 vivamus. heu me, quis locus fidus meo  
 erit timori quave te sede oculam?  
 arx illa pollens opibus et muris deum,  
 gentes per omnes clara et invidiae gravis,  
 nunc pulvis altus, strata sunt flamma omnia 480  
 superestque vasta ex urbe ne tantum quidem,  
 quo lateat infans. quem locum fraudi legam?  
 est tumulus ingens coniugis cari sacer,  
 verendus hosti, mole quem immensa parens  
 opibusque magnis struxit, in luctus suos 485  
 rex non avarus: optime credam patri.  
 sudor per artus frigidus totos cadit:  
 omen tremesco misera feralis loci. 488  
 SEN. Miser occupet praesidia, securus legat. 497

462 spes uita A<sup>r</sup> || 463 incliti ω corr. N. Heinsius p. 153 ||  
 468 lata comam A || 469 o secundo loco om. A<sup>r</sup> | at matri ψ ||  
 472 rediuiua E | poenas E || 474 Prigibusque E | imme-  
 mor A || 476 qui E || 479 invidiae capax A || 486 optume E ||  
 488 om. ψ | tremisco A || 488—497 traditum ordinem quem in-  
 dicant numeri, tuetur Peiper; Leo I 217 sq. sic disponit: 488.  
 497. 496. 492. 493. 489—491. 494. 495. Hunc ordinem sequitur  
 Richter symb. p. 6 sq. nisi quod v. 491 post v. 495 ponit. —  
 M. Müller Ph. p. 262 v. 492. 493 post v. 488 ponendos censet

ANDR. Quid quod latere sine metu magno nequit?	496
SEN. Ne prodat aliquis, amove testes doli.	492
ANDR. Si quaeret hostis? SEN. Vrbe in eversa perit.	493
haec causa multos una ab interitu arcuit:	489
credi perisse. ANDR. Vix spei quicquam est super:	490
quid proderit latuisse redituro in manus?	494
SEN. Victor feroces impetus primos habet.	495
ANDR. Grave pondus illum magna nobilitas premit;	491
quis te locus, quae regio seducta, in via	498
tuto reponet? quis feret trepidis opem?	
quis proteget? qui semper, etiam nunc tuos,	500
Hector, tuere: coniugis furtum piaae	
serva et fideli cinere victurum excipe.	
succede tumulo, nate — quid retro fugis?	
turpisne latebras spernis? agnosco indolem:	
puudet timere. spiritus magnos fuga	505
animosque veteres, sume quos casus dedit.	
en intuere, turba quae simus super:	
tumulus, puer, captiva: cedendum est malis.	
sanctas parentis conditi sedes age	
aude subire. fata si miseros iuvant,	510
habes salutem; fata si vitam negant,	
habes sepulchrum. SEN. Clastra commissum tegunt;	
quem ne tuus producat in medium timor,	
procul hinc recede teque diversam amove.	
ANDR. Levius solet timere, qui propius timet;	515
sed, si placet, referamus hinc alio pedem.	
SEN. Cohibe parumper ora questusque opprime:	
gressus nefandos dux Cephallanum admovet.	
ANDR. Dehisce tellus tuque, coniunx, ultimo	
specu revulsam scinde tellurem et Stygis	520

489 arguit  $\omega$  corr.  $\psi$  || 490, credit E || 490<sup>b</sup> ANDR. om.  $\omega$  corr. *Rapheling* || 491 ANDR. praef. E om. A || 492<sup>a</sup> ANDR. A || 492<sup>b</sup> SEN. amove A || 504 turpesque A turrisque E corr. *Bährens p. 11* (turpesque) et *Richter symb. p. 8* || 505 fuge  $\omega$  corr. *Rutgers p. 604 N. Heinsius p. 153* || 508 famulus (*i. e. senex Bentley*) || 510 misero E corr.  $\alpha$  || 518 cefalanum A || 520 et om. A

sinu profundo conde depositum meum.  
 adest Vlixes, et quidem dubio gradu  
 vultuque: nectit pectore astus callido.

## VLIXES ANDROMACHA

Durae minister sortis hoc primum peto,  
 ut, ore quamvis verba dicantur meo, 525  
 non esse credas nostra: Graiorum omnium  
 procerumque vox est, petere quos seras domos  
 Hectorea suboles prohibet: hanc fata expetunt.  
 sollicita Danaos pacis incertae fides  
 semper tenebit, semper a tergo timor 530  
 respicere coget arma nec poni sinet,  
 dum Phrygibus animos natus eversis dabit,  
 Andromacha, †vester. augur haec Calchas canit;  
 et, si taceret augur haec Calchas, tamen  
 dicebat Hector, cuius et stirpem horreo. 535  
 generosa in ortus semina exsurgunt suos:  
 sic ille magni parvus armenti comes  
 primisque nondum cornibus findens cutem  
 cervice subito celsus et fronte arduus  
 gregem paternum ducit ac pecori imperat; 540  
 quae tenera caeso virga de trunco stetit,  
 par ipsa matri tempore exiguo subit  
 umbrasque terris reddit et caelo nemus;  
 sic male relictus igne de magno cinis  
 vires resumit. est quidem iniustus dolor 545  
 rerum aestimator: si tamen tecum exigas,  
 veniam dabis, quod bella post hiemes decem  
 totidemque messes iam senex miles timet  
 aliasque clades rursus ac numquam bene

523 callidos ω corr. N. Heinsius p. 153 || 524 inscr. scaenae  
 om. A vl. praef. Eψ || 533 Andromacha. AND. Vester A, Andro-  
 macha vivus ci. Richter | hoc A | caecas E || 534 vl. et si A<sup>z</sup>  
 (exc. R 10) || 536 hortus E || 546 tecum excutias E || 547 annos  
 decem A || 548 menses A

Troiam iacentem. magna res Danaos movet, 550  
 futurus Hector: libera Graios metu.  
 haec una naves causa deductas tenet,  
 hac classis haeret. neve crudelem putes,  
 quod sorte iussus Hectoris natum petam:  
 petissem Oresten. patere quod victor tulit. 555  
 ANDR. Vtinam quidem esses, nate, materna in manu,  
 nossemque quis te casus creptum mihi  
 teneret, aut quae regio — non hostilibus  
 confossa telis pectus aut vinclis manus  
 secantibus praestricta, non acri latus 560  
 utrumque flamma cincta maternam fidem  
 umquam exuissem. nate, quis te nunc locus,  
 fortuna quae possedit? errore avio  
 vagus arva lustras? vastus an patriae vapor  
 corripuit artus? saevus an victor tuo 565  
 lusit cruore? numquid immanis ferae  
 morsu peremptus pascis Idaeas aves?  
 VLIX. Simulata remove verba; non facile est tibi  
 decipere Vlixen: vicinus matrum dolos  
 etiam dearum. cassa consilia amove; 570  
 ubi natus est? ANDR. Vbi Hector? ubi cuncti Phryges?  
 ubi Priamus? unum quaeris: ego quaero omnia.  
 VLIX. Coacta dices sponte quod fari abnuis.  
 ANDR. Tuta est, perire quae potest debet cupit.  
 VLIX. Magnifica verba mors prope admota excutit. 575  
 ANDR. Si vis, Vlix, cogere Andromacham metu,  
 vitam minare: nam mori votum est mihi.  
 VLIX. Verberibus igni †morte cruciatu eloqui  
 quodcumque celas adiget invitam dolor  
 et pectore imo cordita arcana eruet: 580  
 necessitas plus posse quam pietas solet.

551 libera nos hoc metu A || 553 hic  $\omega$  corr. N. Heinsius  
 p. 153 || 559 ac (c sup. scr. m. 1) vinculis E aut vinclis A ||  
 563 possidet E $\tau$  possedit A(\*) || 569 Vlixem  $\omega$  corr.  $\psi$  || 577 iam  
 mori A $\tau$  || 578 igne A Leo ci.: igni omnique cruciatu Peiper:  
 nocte (coll. 585) | cruciatam Koetschau



- ANDR. Propone flammās, vulnera et diras mali  
doloris artes et famem et saevam sitim  
variasque pestes undique, et ferrum inditum  
visceribus istis, carceris caeci luem, 585  
et quicquid audet victor iratus timens:  
[VLIX. Stulta est fides celare quod prodas statim.]  
animosa nullos mater admittit metus.  
VLIX. Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor  
consulere parvis liberis Danaos monet. 590  
post arma tam longinqua, post annos decem  
minus timerem quos facit Calchas metus,  
si mihi timerem: bella Telemacho paras.  
ANDR. Invita, Vlīxe, gaudium Danais dabo:  
dandum est; fatere quos premis luctus, dolor. 595  
gaudete, Atridae, tuque laetifica, ut soles,  
refer Pelasgis: Hectoris proles obit.  
VLIX. Et esse verum hoc qua probas Danais fide?  
ANDR. Ita quod minari maximum victor potest  
contingat et me fata maturo exitu 600  
facilique solvant ac meo condant solo  
et patria tellus Hectorem leviter premat,  
ut luce caruit: inter extinctos iacet  
datusque tumulo debita exanimis tulit.  
VLIX. Expleta fata stirpe sublata Hectoris 605  
solidamque pacem laetus ad Danaos feram —  
quid agis, Vlīxe? Danaidae credent tibi:  
tu cui? parenti — fingit an quisquam hoc parens,  
nec abominandae mortis auspiciū pavet?  
auspicia metuunt qui nihil maius timent. 610

582 verbera *N. Heinsius p. 153* || 583 et om. E | famem E ||  
585 ustis A || 586 tumens A || 587 hoc loco EA<sup>r</sup> (exc. E 10),  
post v. 581 non praef. pers. nota ψ; post v. 588 posuit Ra-  
pheling; del. Leo || 588 AND. E VL. A | admittis A || 590 VL.  
om. A | monet (ex mouet?) E || 591 tam om. E || 592 facis A ||  
594 immiti ulixi gaudium ac danais dabo null. pers. nota A ||  
600 ita me Swoboda || 602 patriam E || 603 luce cassus ψ  
(*N. Heinsius p. 154*) || 607 Danai dic. cr. E || 608 an quicquam  
parens A

fidem alligavit iure iurando suam —  
 si peierat, timere quid gravius potest?  
 nunc advoca astus, anime, nunc fraudes, dolos,  
 nunc totum Vlixen; veritas numquam perit.  
 scrutare matrem. maeret, illacrimat, gemit; 615  
 sed et huc et illuc anxios gressus refert  
 missasque voces aure sollicita excipit:  
 magis haec timet, quam maeret. ingenio est opus.

Alios parentes alloqui in luctu decet:  
 tibi gratulandum est, misera, quod nato cares, 620  
 quem mors manebat saeva praecipitem datum  
 e turre, lapsis sola quae muris manet.

ANDR. Reliquit animus membra, quatiuntur, labant  
 torpetque vinctus frigido sanguis gelu.

VLIX. Intremuit: hac, hac parte quaerenda est mihi; 625  
 matrem timor detexit: iterabo metum. —

ite, ite celeres, fraude materna abditum  
 hostem, Pelasgi nominis pestem ultimam,  
 ubicumque latitat, erutam in medium date.  
 bene est: tenetur. perge, festina, attrahe — 630  
 quid respicis trepidasque? iam certe perit.

ANDR. Utinam timerem. solitus ex longo est metus:  
 dediscit animus scire quod didicit diu.

VLIX. Lustrale quoniam debitum muris puer  
 sacrum antecessit nec potest vatem sequi 635

meliore fato raptus, hoc Calchas ait  
 modo piari posse redituras rates,  
 si placet undas Hectoris sparsi cinis  
 ac tumulus imo totus aequetur solo.  
 nunc ille quoniam debitam effugit necem, 640  
 erit admovenda sedibus sacris manus.

ANDR. Quid agimus? animum distrahit geminus timor:

612 perierat τ || 614 et totum A | numquam latet A || 616 et  
 huc E sed huc A corr. Bothe || 623 relinquit Bentley || 625 en-  
 tremuit ψ(τ) | hac semel E || 627 ite semel E || 632 solutus E ||  
 633 sicre (i. e. scire) E sero A saepe Leo (I 9) nempe Richter  
 (symb. p. 32) || 634 lustrare E || 635 cf. Leo I 12 || 639 sequetur E

hinc natus, illinc coniugis sacri cinis.  
 pars utra vincet? testor immites deos,  
 deosque veros coniugis manes mei: 645  
 non aliud, Hector, in meo nato mihi  
 placere quam te. vivat, ut possit tuos  
 referre vultus — prorutus tumulo cinis  
 mergetur? ossa fluctibus spargi sinam  
 disiecta vastis? potius hic mortem oppetat. — 650  
 poteris nefandae deditum mater neci  
 videre? poteris celsa per fastigia  
 missum rotari? potero, perpetiar, feram,  
 dum non meus post fata victoris manu  
 iactetur Hector. — hic suam poenam potest 655  
 sentire, at illum fata iam in tuto locant —  
 quid fluctuaris? statue, quem poenae extrahas.  
 ingrata, dubitas? Hector est illinc tuus —  
 erras: utrimque est Hector; hic sensus potens,  
 forsam futurus ultor extincti patris — 660  
 utrique parci non potest: quid iam facis?  
 serva e duobus, anime, quem Danaï timent.  
 VLIX. Responsa peragam: funditus busta eruam.  
 ANDR. Quae vendidistis? VLIX. Pergam et e summo  
 aggere  
 traham sepulchra. ANDR. Caelitum appello fidem 665  
 fidemque Achillis: Pyrrhe, genitoris tui  
 munus tuere. VLIX. Tumulus hic campo statim  
 toto iacebit. ANDR. Fuerat hoc prorsus nefas  
 Danais inausum. templa violastis, deos  
 etiam faventes: busta transierat furor. 670  
 resistam, inermis offeram armatis manus,  
 dabit ira vires. qualis Argolicas ferox  
 turmas Amazon stravit, aut qualis deo  
 percussa Maenas entheo silvas gradu

643 cari cinis A || 644 vincit A<sup>r</sup> || 658 illic A<sup>r</sup> || 659 sensu ψ  
 sensus post et E || 660 forsam E || 661 quidnam ω corr. Leo ||  
 666 pyrrī E || 671 inermes A || 674 ethneo A<sup>r</sup>

armata thyrso terret atque expers sui 675  
vulnus dedit nec sensit, in medios ruam.  
tumuloque cineris socia defenso cadam.  
VLIX. Cessatis et vos flebilis clamor movet  
furorque cassus feminae? iussa ocius  
peragite. ANDR. Me, me sternite hic ferro prius. 680  
repellor, heu me. rumpe fatorum moras,  
molire terras, Hector: ut Vlixen domes,  
vel umbra satis es — arma concussit manu,  
iaculatur ignes — cernitis, Danai, Hectorem?  
an sola video? VLIX. Funditus cuncta ernam. 685  
ANDR. Quid agis? ruina pariter et natum et virum  
prosternis una? forsitan Danaos prece  
placare poteris. conditum illidet statim  
immane busti pondus — intereat miser  
ubicunque potius, ne pater natum obruat 690  
prematque patrem natus. — Ad genua accido  
supplex, Vlixē, quamque nullius pedes  
novere dextram pedibus admoveo tuis.  
miserere matris et preces placidus pias  
patiensque recipe, quoque te celsum altius 695  
superi levarunt, mitius lapsos preme:  
misero datur quodcumque, fortunae datur.  
sic te revisat coniugis sanctae torus,  
annosque, dum te recipit, extendat suos  
Laerta; sic te iuvenis excipiat tuus, 700  
et vota vincens vestra felici indole  
aetate avum transcendat, ingenio patrem.  
miserere matris: unicum adflictae mihi  
solamen hic est. VLIX. Exhibe natum et roga.  
ANDR. Huc e latebris procede tuis, 705  
flebile matris furtum miserae.

677 tumultoque E || 679 casus E || 681 repelle animum A<sup>r</sup>  
r. Auernum α || 682 interpunctionem corr. Bentley || 683 uelis  
umbra A<sup>r</sup> | satis est E || 684 iaculetur A || 685 erue A || 686 ruina  
mater et. ω corr. J. Gronov || 688 elidet A || 700 accipiat E  
aspiciat Leo || 705—737 dimetri claudente monometra ω

hic est, hic est terror, Vlixē,  
 mille carinis. submitte manus  
 dominique pedes supplice dextra  
 stratus adora nec turpe puta 710  
 quicquid miseros fortuna iubet.  
 pone ex animo reges atavos  
 magnique senis iura per omnis  
 incluta terras, excidat Hector,  
 gere captivum positoque genu, 715  
 si tua nondum funera sentis,  
 matris fletus imitare tuæ.

Vidit pueri regis lacrimas  
 et Troia prior, parvusque minas  
 trucis Alcidae flexit Priamus. 720  
 ille, ille ferox, cuius vastis  
 viribus omnes cessere ferae,  
 qui perfracto limine Ditis  
 caecum retro patefecit iter,  
 hostis parvi victus lacrimis: 725  
 'suscipe' dixit 'rector habenas  
 patrioque sede celsus solio;  
 sed sceptrā fide meliore tene.'  
 hoc fuit illo victore capi:  
 discite mites Herculis iras. 730  
 an sola placent Herculis arma?  
 iacet ante pedes non minor illo  
 supplice supplex vitamque petit —  
 regnum Troiæ  
 quocumque volet Fortuna ferat. 735

VLIX. Matris quidem me maeror attonitæ movet,  
 magis Pelasgæ me tamen matres movent,  
 quarum iste magnos crescit in luctus puer.  
 ANDR. Has, has ruinas urbis in cinerem datæ

707 hic puer hic est A || 713 omnes A || 719 minas  
 (s ex x) E<sup>2</sup> || 729 profuit Scaliger, at cf. Leo II 377 || 736 nulla  
 inscriptio EA Vlixes Andromacha vel Vl. Andr. Astyanax ψ ||  
 739 an has A | datas A

- hic excitabit? hae manus Troiam erigent? 740  
 nullas habet spes Troia, si tales habet.  
 non sic iacemus Troes, ut cuiquam metus  
 possimus esse. spiritus genitor facit?  
 sed nempe tractus. ipse post Troiam pater  
 posuisset animos, magna quos frangunt mala. 745  
 si poena petitur, (quae peti gravior potest?)  
 famulare collo nobili subeat iugum,  
 servire liceat. aliquis hoc regi negat?  
 VLIX. Non hoc Vlixes, sed negat Calchas tibi.  
 ANDR. O machinator fraudis et scelerum artifex, 750  
 virtute cuius bellica nemo occidit,  
 dolis et astu maleficae mentis iacent  
 etiam Pelasgi, vatem et insontes deos  
 praetendis? hoc est pectoris facinus tui.  
 nocturne miles, fortis in pueri necem 755  
 iam solus audes aliquid et claro die.  
 VLIX. Virtus Vlixis Danaidis nota est satis  
 nimisque Phrygibus. non vacat vanis diem  
 conterere verbis: ancoras classis legit.  
 ANDR. Brevem moram largire, dum officium parens 760  
 nato supremum reddo et amplexu ultimo  
 avidos dolores satio. VLIX. Misereri tui  
 utinam liceret. quod tamen solum licet,  
 tempus moramque dabimus. arbitrio tuo  
 implere lacrimis: fletus aerumnas levat. 765  
 ANDR. O dulce pignus, o decus lapsae domus  
 summumque Troiae funus, o Danaum timor,  
 genetricis o spes vana, cui demens ego  
 laudes parentis bellicas, annos avi  
 demens precabar, vota destituit deus. 770

744 fractus E || 746 quae — potest *uncinis inclusit M. Müller*  
*Ph. p. 263 coll. Oed. 262 s.* || 747 subdat E || 750 o scelerum  $\psi$  ||  
 756 e claro E || 757 danais  $\omega$  corr.  $\psi$  || 758 phrygibus E ||  
 759 leget E legat A corr.  $\psi$  || 760 AND. add. E<sup>2</sup> || 761 am-  
 plexus E || 762 dolore E || 764 tempusque moram d. E ||  
 766 o decus o l. E || 769 annos atque E || 770 medios  $\omega$  corr.  
*Richter symb. p. 32 (toties Leo) | statuto A<sup>r</sup>*

non arma tenera patria tractabis manu	775
sparsasque passim saltibus latis feras	
audax sequeris nec stato lustris die,	
solemne referens Troici lusus sacrum,	
puer citatas nobilis turmas ages;	
non inter aras mobili velox pede,	780
reboante flexo concitos cornu modos,	
barbarica prisco templa saltatu coles.	782
Iliaca non tu sceptris regali potens	771
gestabis aula, iura nec populis dabis	
victasque gentes sub tuum mittes iugum,	
non Graia caedes terga, non Pyrrhum trahes.	774
o Marte diro tristius leti genus!	783
flebilius aliquid Hectoris magni nece	
muri videbunt. VLIX. Rumpe iam fletus, parens:	785
magnus sibi ipse non facit finem dolor.	
ANDR. Lacrimis, Vluxe, parva quam petimus mora est;	
concede patiens, ut mea condam manu	
viventis oculos. occidis parvus quidem,	
sed iam timendus. Troia te expectat tua:	790
i, vade liber, liberos Troas vide.	
ASTYAN. Miserere, mater. ANDR. Quid meos retines sinus	
manusque matris cassa praesidia occupas?	
fremitu leonis qualis audito tener	
timidum iuvenus applicat matri latus,	795
at ille saevus matre summota loco	
praedam minorem morsibus vastis tenens	
frangit vehitque: talis e nostro sinu	
te rapiet hostis. oscula et fletus, puer,	
lacerosque crines excipe et plenus mei	800

771—774 post 782 collocavit Richter || 775 parva  $\omega$  corr. Svoboda || 778 Troici lustris s. A || 779 puerum Bentley || 781 revocante  $\omega$  corr. Hemsterhuis ad Lucian. dial. deor. 12 || 782 barbara E || 783 morte dira  $\omega$  corr. Peiper || 786 ipsi A || 787 lacrimas E (Ribb.) || 788 conc. paucas E c. parvas A corr. Richter symb. p. 33 || 789 uiuentes E || 791 post I eras. e vel i E | vade puer l. Troias u. E || 796 leo  $\omega$  corr. N. Heinsius p. 155 || 797 vastis premens A || 799 te pariet E

occurre patri; pauca maternae tamen  
 perfer querelae verba: 'si manes habent  
 curas priores nec perit flammis amor,  
 servire Graio pateris Andromachen viro,  
 crudelis Hector? lentus et segnis iaces?' 805  
 redit Achilles.' sume nunc iterum comas  
 et sume lacrimas, quicquid e misero viri  
 funere relictum est, sume quae reddas tuo  
 oscula parenti. matris hanc solacio  
 relinque vestem: tumulus hanc tetigit meus 810  
 manesque cari. si quid hic cineris latet,  
 scrutabor ore. VLIX. Nullus est flendi modus:  
 abripite prope classis Argolicae moram.

## CHORVS

Quae vocat sedes habitanda captas?  
 Thessali montes et opaca Tempe, 815  
 an maris vasti domitrix lolcos? 819  
 parva Gortynis sterilisque Tricce, 821  
 an frequens rivis levibus Mothone,  
 an viros tellus dare militares 816  
 aptior Phthie meliorque fetu  
 fortis armenti lapidosa Trachin,  
 quae sub Oetaeis latebrosa silvis 823  
 misit infestos Troiae ruinis  
 non semel arcus? 825  
 Olenos tectis habitata raris,

804 Andr. iugo  $\psi$  || 806 rediit A || 811 quidquid hic A ||  
 813 Abr. prope classis | Arg. moram E || 814sq. De hoc car-  
 mine restituendo disputaverunt Peiper observat. c. II, Leo I 202,  
 Richter symb. p. 25sq. || 816—818 post 822 collocavit Richter ||  
 817 aptior ethieme m. E phitie A corr.  $\alpha$  || 818 armentis A<sup>r</sup> |  
 trache A || 820 speciosa Peiper coll. Hor. c. III 27, 34 ep. 9, 29;  
 hunc versum pristino loco post 836 restituit Richter || 821 gor-  
 tynis E cortine (Gortyne  $\alpha$ ) A Gyrtone Gronov cf. Leo I 202 | trip-  
 ce E trice A corr. Delrio || 822 ruscis levibus Methone A ||  
 823 echatis A



- virgini Pleuron inimica divae,  
 an maris lati sinuosa Troezen?  
 Pelion regnum Prothoi superbum,  
 tertius caelo gradus? (hic recumbens 830  
 montis exesi spatiosus antro  
 iam trucis Chiron pueri magister,  
 tinnulas plectro feriente chordas,  
 tunc quoque ingentes acuebat iras  
 bella canendo) 835
- An ferax varii lapidis Carystos,  
 urbibus centum spatiosa Crete, 820  
 an premens litus maris inquieti 837  
 semper Euripo properante Chalcis?  
 quolibet vento faciles Calydnae,  
 an carens numquam Gonoessa vento 840  
 quaeque formidat Borean Enispe?  
 Attica pendens Peparethos ora,  
 an sacris gaudens tacitis Eleusin?
- \* \* \*
- numquid Aiacis Salamina veram  
 aut fera notam Calydonia saeva, 845  
 quasque perfundit subiturus aequor  
 segnibus terras Titaessos undis?  
 Bessan et Scarphen, Pylon an senilem?  
 Pharin an Pisas Iovis et coronis  
 Elida claram? 850  
 Quolibet tristis miseris procella  
 mittat et donet cuicumque terrae,

827 uirginis pleuros A || 829 prothoi A || 833 cordas EA ||  
 834 uerberat iras A<sup>r</sup> || 836 rari lapidis ψ || 837 latus E || 838 cal-  
 chis A<sup>r</sup> || 839 echidne A (Echinae ψ) || 840 ac Bothe | genoes-  
 sa A || 841 formidant A | enipse A<sup>r</sup> || 842 arctica Delrio; vide  
*ad v. 821* || 843 Eleusis A || ante 844 intercidisse Scaliger con-  
 iecit tale aliquid: quove iactatae pelago feremur | exules? ad  
 quae loca, quas ad urbes? || 844 Sal. ueri *es* corr. Scaliger  
 (cf. Lucan. III 183), visam Burmann misc. obs. I 71, ducar  
 Habrucker, habeo Leo || 845 an fera α || 848 scarpen phylonan.  
 selinen. E || 849 ipsas A<sup>r</sup> || 851 tristes E

dum luem tantam Troiae atque Achivis  
 quae tulit, Sparte, procul absit, absit  
 Argos et saevi Pelopis Mycenae, 855  
 Neritos parva brevior Zacyntho  
 et nocens saxis Ithace dolosis.

Quod manet fatum dominusque quis te,  
 aut quibus terris, Hecuba, videndam  
 ducet? in cuius moriere regno? 860

### HELENA ANDROMACHA HECUBA

Quicumque hymen funestus, inlaetabilis  
 lamenta caedes sanguinem gemitus habet  
 est auspice Helena dignus. eversis quoque  
 nocere cogor Phrygibus: ego Pyrrhi toros 865  
 narrare falsos iubeor, ego cultus dare  
 habitusque Graios. arte capietur mea  
 meaque fraude concidet Paridis soror.  
 fallatur; ipsi levius hoc equidem reor:  
 optanda mors est sine metu mortis mori.  
 quid iussa cessas agere? ad auctorem redit 870  
 sceleris coacti culpa. — Dardaniae domus  
 generosa virgo, melior afflictos deus  
 respicere coepit teque felici parat  
 dotare thalamo; tale coniugium tibi  
 non ipsa sospes Troia, non Priamus daret. 875  
 nam te Pelasgae maximum gentis decus,  
 cui regna campi lata Thessalici patent, 878  
 ad sancta lecti iura legitimi petit. 877  
 te magna Tethys teque tot pelagi deae  
 placidumque numen aequoris tumidi Thetis 880

856 breuiter zachintho E iacintho A acintho τ || 859 he-  
 cube A || 861 *inscr. om.* Ag. τ, Hecuba *om.* Vd. | 861 *adfertur*  
*a Pseudoprobo cf. praef. cap. II* || 865 *parare vel ornare N. Heinsius*  
*p. 156 (cf. v. 898)* || 868 *fidenter ipsi A* | *frandetur ε* || 869 *metu*  
*om. E* || 870 *auctores A* || 872 *melius E* || 877 *post 878 ponit*  
*Swoboda* || 878 *tibi Bentley* | *iacent A* || 879 *thetis E* || 880 *om. E*  
*cf. Leo I 35*

suam vocabunt, te datam Pyrrho socer  
 Peleus nurum vocabit et Nereus nurum.  
 depone cultus squalidos, festos cape,  
 dedisce captam; deprime horrentis comas  
 crinemque docta patere distingui manu. 885  
 hic forsitan te casus excelso magis  
 solio reponet. profuit multis capi.

ANDR. Hoc derat unum Phrygibus eversis malum,  
 gaudere — flagrant strata passim Pergama:  
 o coniugale tempus! an quisquam audeat 890  
 negare? quisquam dubius ad thalamos eat,  
 quos Helena suadet? pestis exitium lues  
 utriusque populi, cernis hos tumulos ducum  
 et nuda totis ossa quae passim iacent  
 inhumata campis? haec hymen sparsit tuus. 895  
 tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor,  
 cum dimicantes lenta prospiceres viros,  
 incerta voti — perge, thalamos appara.  
 taedis quid opus est quidve solemni face?  
 quid igne? thalamis Troia praelucet novis. 900  
 celebrate Pyrrhi, Troades, conubia,  
 celebrate digne: planctus et gemitus sonet.

HEL. Ratione quamvis careat et flecti neget  
 magnus dolor sociosque nonnumquam sui  
 maeroris ipsos oderit: causam tamen 905  
 possum tueri iudice infesto meam,  
 graviora passa. luget Andromacha Hectorem  
 et Hecuba Priamum: solus occulte Paris  
 lugendus Helenae est. dirum et invisum et grave est  
 servitia ferre? patior hoc olim iugum, 910  
 annis decem captiva. prostratum Ilium est,  
 versi penates? perdere est patriam grave,  
 gravius timere. vos levat tanti mali

884 horrentes A || 891 deuius E || 893 hoc E || 895 ymen E ||  
 897 laeta E || 898 uotis A<sup>r</sup> || 900 nobis E || 901 connubia A || 902 so-  
 nent A || 908 soli at *Swoboda* || 906 es A<sup>r</sup> | durum A || 913 tantis  
*Bentley*

comitatus: in me victor et victus furit.  
 quam quisque famulam traheret incerto diu 915  
 casu pependit: me meus traxit statim  
 sine sorte dominus. causa bellorum fui  
 tantaeque Teucris cladis? hoc verum puta,  
 Spartana puppis vestra si secuit freta;  
 sin rapta Phrygiis praeda remigibus fui 920  
 deditque donum iudici victrix dea,  
 ignosce raptae. iudicem iratum mea  
 habitura causa est: ista Menelaum manent  
 arbitria. nunc hanc luctibus paulum tuis,  
 Andromacha, omissis flecte — vix lacrimas queo 925  
 retinere. ANDR. Quantum est Helena quod lacrimat  
 malum.  
 cur lacrimat autem? fare quos Ithacus dolos,  
 quae scelera nectat; utrum ab Idaeis iugis  
 iactanda virgo est, arcis an celsae edito  
 mittenda saxo? num per has vastum in mare 930  
 volvenda rupes, latere quas scisso levat  
 altum vadoso Sigeon spectans sinu?  
 dic, fare, quicquid subdolo vultu tegis.  
 leviora mala sunt cuncta, quam Priami gener  
 Hecubaeque Pyrrhus. fare, quam poenam pares 935  
 exprome et unum hoc deme nostris cladibus  
 falli: paratas perpeti mortem vides.  
 HEL. Vtinam iuberet me quoque interpret deum  
 abrumpere ense lucis invisae moras  
 vel Achillis ante busta furibunda manu 940  
 occidere Pyrrhi, fata comitantem tua,

914 uictus et uictor A || 916 trahit E || 918 tantaque teucris  
 clades E || 919 sp. puppe v. si secui fr. E || 920 phrygiis E ||  
 922 ignosce Paridi *ω* corr. Richter, vitium detexit Leo I 222,  
 qui ci.: i. praedae. (ignosce: pridem Peiper) | iratum puta A ||  
 923 istam millē navium m. E || 924 arbitrix E || 925 flete E ||  
 931 qua E || 932 vadosos Sigeon sp. sinus A vadoso sigaeo-sp.  
 sinum E corr. Gronov altum a vado Sigeon aspectans sinum  
 Birt p. 552 || 933 effare Bentley || 936 etiam nunc hoc A<sup>r</sup>

Polyxene miseranda, quam tradi sibi  
cineremque Achilles ante mactari suum,  
campo maritus ut sit Elysio, iubet.

ANDR. Vide ut animus ingens lætus audierit necem. 945  
cultus decoros regiae vestis petit

et admoveri crinibus patitur manum.

mortem putabat illud, hoc thalamos putat.

at misera luctu mater audito stupet;

labefacta mens succubuit. assurge, alleva 950

animum et cadentem, misera, firma spiritum.

quam tenuis animam vinculo pendet levi —

minimum est quod Hecubam facere felicem potest.

spirat, revixit. prima mors miseros fugit.

HEC. Adhuc Achilles vivit in poenas Phrygum? 955

adhuc rebellat? o manum Paridis levem.

cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.

modo turba felix latera cingebat mea,

lassabar in tot oscula et tantum gregem

dividere matrem; sola nunc haec est super 960

votum, comes, levamen, afflictae quies;

haec totus Hecubae fetus, hac sola vocor

iam voce mater. dura et infelix age

elabere anima, denique hoc unum mihi

remitte funus. inrigat fletus genas 965

imberque victo subitus e vultu cadit.

ANDR. Nos Hecuba, nos, nos, Hecuba, lugendae sumus, 969

quas mota classis huc et huc sparsas feret; 970

hanc cara tellus sedibus patriis teget.

HEL. Magis invidebis, si tuam sortem scies.

ANDR. An aliqua poenae pars meae ignota est mihi?

HEL. Versata dominos urna captivis dedit.

ANDR. Cui famula trador? ede; quem dominum voco? 975

942 Polyx(ss)ena A<sup>r</sup> || 950 succubuit E || 959 in totum τ  
et totum EA(τ) corr. Leo || 960 haec om. A || 965 demitte E | en  
rigat Bentley | verba inrigat — cadit *Andromachae* dat *Teiper*,  
*Hecubae* verba quae sequerentur, excidisse ratus || 967. 968 post  
v. 978 traiecit Richter || 975 tradar A | quem ad d. vocor

HEL. Te sorte prima Scyrius iuvenis tulit.

ANDR. Cassandra felix, quam furor sorti eximit

Phoebusque. HEL. Regum hanc maximus rector tenet. 978

HEC. Laetare, gaude, nata. quam vellet tuos 967

Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos. 968

estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit? 979

HEL. Ithaco obtigisti praeda nolenti brevis. 980

HEC. Quis tam impotens ac durus et iniquae ferus  
sortitor urnae regibus reges dedit?

quis tam sinister dividit captas deus?

quis arbiter crudelis et miseris gravis

eligere dominos nescit et [saeva manu 985

dat iniqua miseris fata? quis] matrem Hectoris

armis Achillis miscet? ad Vlixen vocor:

nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi

obsessa videor cladibus — domini pudet,

non servitutis. [Hectoris spolium feret 990

qui tulit Achillis?] sterilis et saevis fretis

inclusa tellus non capit tumulos meos —

duc, duc, Vlix, nil moror, dominum sequor;

me mea sequentur fata: non pelago quies

tranquilla veniet, saeviet ventis mare, 995

\* \* \*

et bella et ignes et mea et Priami mala.

dumque ista veniant, interim hoc poenae loco est:

sortem occupavi, praemium eripui tibi. —

Sed en citato Pyrrhus accurrit gradu

vultuque torvo. Pyrrhe, quid cessas? age 1000

reclude ferro pectus et Achillis tui

coniunge soceros. perge, mactator senum,

*N. Heinsius p. 156 (cf. v. 987) || 977 sorte A || 978 HEC. Phoebus-  
que E || 979 HEC. A || 981 potens τ | dirus Richter symb. p. 19 ||  
985 sq. saeva — quis del. Peiper || 990 sq. Hectoris — Achillis del.  
Leo || 992 num capit τ || 994—998 post 1008 transp. Scaliger ||  
995 veniat saeviat A | post 995 tale quid intercidisse putat Leo:  
sociosque merget, obruent reducem quoque || 996 ignis A ||  
997 venient A veniunt E corr. ψ | haec poena in loco est A ||  
998 eripuit mihi A || 999 sed incitato ω corr. Peiper || 1000 pyrrhi E*

et hic decet te sanguis: abreptam trahe.  
 maculate superos caede funesta deos,  
 maculate manes — quid precer vobis? precor 1005  
 his digna sacris aequora: hoc classi accidat  
 toti Pelasgae, ratibus hoc mille accidat  
 meae precabor, cum vehar, quicquid rati.

## CHORVS

Dulce maerenti populus dolentum,  
 dulce lamentis resonare gentes; 1010  
 lenius luctus lacrimaeque mordent,  
 turba quas fletu similis frequentat.  
 semper a semper dolor est malignus:  
 gaudet in multos sua fata mitti  
 seque non solum placuisse poenae. 1015  
 ferre quam sortem patiuntur omnes,  
 nemo recusat.  
 Tolle felices: miserum, licet sit, 1019<sup>a</sup> 1018<sup>b</sup>  
 nemo se credet; removete multo 1018<sup>a</sup> 1019<sup>b</sup>  
 divites auro, removete centum 1020  
 rura qui scindunt opulenta bubus:  
 pauperi surgent animi iacentes —  
 est miser nemo nisi comparatus.  
 dulce in immensis posito ruinis,  
 neminem laetos habuisse vultus: 1025  
 ille deplorat queriturque fatum,  
 qui secans fluctum rate singulari  
 nudus in portus cecidit petitos;  
 aequior casum tulit et procellas,  
 mille qui ponto pariter carinas 1030

1003 abruptam trahit A<sup>r</sup> || 1010 dulce et merentes res.  
 g. E || 1011 lentius A | lacrimaeque currunt τ || 1011 post 1012 τ ||  
 1012 simili A || 1013 semper a semper om. A<sup>r</sup> | dolor et magnus A  
 dolor ipse magnus ψ || 1013<sup>b</sup>—1015 dolor—multos|sua — solum|  
 pl. poenae A *Ecl. Lugd.* || 1015 patuisse τ | paene E || 1018 et  
 1019 priora hemistichia commutavit Madvig II 122 || 1019 credit A ||  
 1019 et 1020 removeto A || 1021 scindant A | bobus A || 1024 d.  
 enim mensis E

obrui vidit tabulaque latus  
 naufraga, terris mare dum coactis  
 fluctibus Corus prohibet, revertit.  
 questus est Hellen cecidisse Phrixus,  
 cum gregis ductor radiante villo 1035  
 aureo fratrem simul ac sororem  
 sustulit tergo medioque iactum  
 fecit in ponto; tenuit querelas  
 et vir et Pyrrha, mare cum viderent,  
 et nihil praeter mare cum viderent 1040  
 unici terris homines relictii.

Solvet hunc questum lacrimasque nostras  
 sparget huc illuc agitata classis,  
 cum tuba iussi dare vela nautae  
 et simul ventis properante remo 1045  
 prenderint altum fugietque litus.  
 quis status mentis miseris, ubi omnis  
 terra decrescet pelagusque crescet,  
 celsa cum longe latitabit Ide?  
 tum puer matri genetrixque nato, 1050  
 Troia qua flagret regione, monstrans  
 dicet et longe digito notabit:  
 'Ilium est illic, ubi fumus alte  
 serpit in caelum nebulaeque turpes.'  
 Troes hoc signo patriam videbunt. 1055

### NVNTIVS HECVBA ANDROMACHA

O dura fata, saeva miseranda horrida!  
 quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus

1031 tabulaque litus  $\omega$  t. vectus *Leo*, corr. *M. Müller p. 18* (laetus *Koetschau*) || 1032 naufraga spargi, mare **A** | cum  $\omega$  corr. *Leo* || 1033 reverti  $\omega$  corr. *Leo* || 1034 hellem  $\omega$  || 1036 simul et **A** || 1037 iactum medioque **E** || 1040 om.  $\psi$  | praeter meritum v. **E** || 1042 hunc cetum **A**<sup>z</sup> || 1044. 1045 et tuba — cum simul  $\omega$  (semel **A**) corr. *Richter symb. p. 24* || 1045 cum semel **A** || 1046 fugientque **E** corr. **A**<sup>(z)</sup> fugeritque  $\psi$  || 1051 iacet **E**  $\tau$  iaceat **A** paret *ci. Peiper (coll. Ag. 457 sqq.; at non iam paret T.)*, corr. *Richter coll. 1053 et 889* || 1053 adfert *Pseudoprobis cf. praef. c. II* | illuc **E** (illic *Prob. A*) || 1057 bis senis **A**<sup>z</sup>



Mars vidit annis? quid prius referens gemam,  
tuosne potius, an tuos luctus, anus?

HEC. Quoscumque luctus fleveris, flebis meos: 1060

sua quemque tantum, me omnium clades premit;  
mihi cuncta pereunt: quisquis est Hecubae est miser.

NVNT. Mactata virgo est, missus e muris puer;  
sed uterque letum mente generosa tulit.

ANDR. Expone seriem caedis, et duplex nefas 1065

persequere: gaudet magnus aerumnas dolor  
tractare totas. ede et enarra omnia.

NVNT. Est una magna turris e Troia super,  
assueta Priamo, cuius e fastigio

summisque pinnis arbiter belli sedens 1070

regebat acies. turre in hac blando sinu  
fovens nepotem, cum metu versos gravi

Danaos fugaret Hector et ferro et face,  
paterna puero bella monstrabat senex.

haec nota quondam turris et muri decus, 1075

nunc saeva cautes, undique adfusa duem  
plebisque turba cingitur; totum coit

ratibus relictis vulgus. his collis procul  
aciem patenti liberam praebet loco,

his alta rupes, cuius in cacumine 1080

erecta summos turba libravit pedes.

hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit  
et tota populo silva suspenso tremuit.

extrema montis ille praerupti petit,

semusta at ille tecta vel saxum imminens 1085

muri cadentis pressit, atque aliquis (nefas)

tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.

per spatia late plena sublimi gradu

incedit Ithacus parvulum dextra trahens

1058 quod A $\tau$  || 1062 hecuba E || 1066 prosequere g. animus  
aer. meus A || 1067 narra  $\tau$  || 1068 magna bis E || 1076 sola cautes  
Leo cf. I 195 n. 3 | effusa  $\psi$  || 1079 patente A || 1080 hic E |  
e cac. A e fastigio (cf. v. 1069) F. A. Lange Quaest. metr. p. 24 ||  
1081 summo E || 1082 tegit A || 1083. tremuit  $\tau$  || 1085 semiusta A

Priami nepotem, nec gradu segni puer 1090  
 ad alta pergit moenia. ut summa stetit  
 pro turre, vultus huc et huc acres tulit  
 intrepidus animo. qualis ingentis ferae  
 parvus tenerque fetus et nondum potens  
 saevire dente — iam tamen tollit minas 1095  
 morsusque inanes temptat atque animis tumet:  
 sic ille dextra pressus hostili puer  
 ferox †superbe. moverat vulgum ac duces  
 ipsumque Vlixen. non flet e turba omnium  
 qui fletur; ac, dum verba fatidici et preces : 1100  
 concipit Vlixes vatis et saevos ciet  
 ad sacra superos, sponte desiluit sua  
 in media Priami regna. —

ANDR. Quis Colchus hoc, quis sedis incertae Scythia  
 commisit, aut quae Caspium tangens inare 1105  
 gens iuris expers ausa? non Busiridis  
 puerilis aras sanguis aspersit feri,  
 nec parva gregibus membra Diomedes suis  
 epulanda posuit. quis tuos artus leget  
 tumuloque tradet? NVNT. Quos enim praeceps locus 1110  
 reliquit artus? ossa disiecta et gravi  
 elisa casu; signa clari corporis,  
 et ora et illas nobiles patris notas,  
 confudit inam pondus ad terram datum;  
 soluta cervix silicis impulsu, caput 1115  
 ruptum cerebro penitus expresso — iacet  
 deforme corpus. ANDR. Sic quoque est similis patri.  
 NVNT. Praeceptus ut altis cecidit e muris puer  
 flevitque Achivum turba quod fecit nefas,  
 idem ille populus aliud ad facinus redit 1120

1093 intrepidus E || 1094 parvusque tenerque f. sed E ||  
 1098 superbus τ superne Dan. Heinsius, superbit Leo || 1102 dis-  
 siluit Aτ || 1104 cholcus E | hec ψ | sedit E || 1109 teget ω corr.  
 Heusinger (cf. J. H. A. Schulze, Erkl. Anm. z. Enc. d. lat. Class.  
 1790 I 341), Bentley || 1111 disiecta E | et om. A || 1113 patri E ||  
 1115 incursu A || 1116 penitus excusso τ || 1117 hic quoque A ||  
 1118 cedit E || 1119 fleuit achivum vel fleuit et ach. Aτ

tumulumque Achillis. cuius extremum latus  
 Rhoetea leni verberant fluctu vada;  
 adversa cingit campus et clivo levi  
 erecta medium vallis includens locum  
 crescit theatri more. concursus frequens 1125  
 implevit omne litus: hi classis moram  
 hac morte solvi rentur, hi stirpem hostium  
 gaudent recidi. magna pars vulgi levis  
 odit scelus spectatque; nec Troes minus  
 suum frequentant funus et pavidum metu 1130  
 partem ruentis ultimam Troiae vident:  
 cum subito thalami more praecedunt faces  
 et pronuba illi Tyndaris, maestum caput  
 demissa. 'tali nubat Hermione modo'  
 Phryges precantur 'sic viro turpis suo 1135  
 reddatur Helena.' terror attonitos tenet  
 utrosque populos. ipsa deiectos gerit  
 vultus pudore, sed tamen fulgent genae  
 magisque solito splendet extremus decor,  
 ut esse Phoebi dulcius lumen solet 1140  
 iamiam cadentis, astra cum repetunt vices  
 premiturque dubius nocte vicina dies.  
 stupet omne vulgus — et fere cuncti magis  
 peritura laudant. hos movet formae decus,  
 hos mollis aetas, hos vagae rerum vices; 1145  
 movet animus omnes fortis et leto obvius.  
 Pyrrhum antecedit; omnium mentes tremunt,  
 mirantur ac miserantur. ut primum ardui  
 sublime montis tetigit atque alte edito  
 iuvenis paterni vertice in busti stetit, 1150  
 audax virago non tulit retro gradum;

1121 tumultumque E | huius A || 1122 Rhretea E || 1123 auersa E ||  
 1124 post locum posuit et 1125 post more sustulit distinctionem  
 Bücheler || 1126 moras A || 1133 it pronuba A et prenuba Eψ ||  
 1134 H. face α || 1136 att. movet A || 1141 iam cadentis E || 1143 et  
 effert c. E ut fere Gruter, N. Heinsius p. 157 || 1144 perituram Aτ ||  
 1148 miserentur ac mirantur A || 1149 editus ω edito ed. Scaligeri

conversa ad ictum stat truci vultu ferox.  
 tam fortis animus omnium mentes ferit,  
 novumque monstrum est Pyrrhus ad caedem piger.  
 ut dextra ferrum penitus exactum abdidit, 1155  
 subitus recepta morte prorupit cruor  
 per vulnus ingens. nec tamen moriens adhuc  
 deponit animos: cecidit, ut Achilli gravem  
 factura terram, prona et irato impetu.  
 uterque flevit coetus; at timidum Phryges 1160  
 misere gemitum, clarius victor gemit.  
 hic ordo sacri. non stetit fusus cruor  
 humove summa fluxit: obduxit statim  
 saevusque totum sanguinem tumulus bibit.  
 HEC. Ite, ite, Danai, petite iam tuti domos; 1165  
 optata velis maria diffusis secet  
 secura classis: concidit virgo ac puer;  
 bellum peractum est. quo meas lacrimas feram?  
 ubi hanc anilis expuam leti moram?  
 natam an nepotem, coniugem an patriam fleam? 1170  
 an omnia an me sola? Mors votum meum,  
 infantibus violenta virginibus venis,  
 ubique properas, saeva: me solam times  
 vitasque, gladios inter ac tela et faces  
 quaesita tota nocte, cupientem fugis. 1175  
 non hostis aut ruina, non ignis meos  
 absumpsit artus: quam prope a Priamo steti.  
 NVNT. Repetite celeri maria, captivae, gradu:  
 iam vela puppis laxat et classis movet.

1153 del. Peiper (Bentl.) || 1155 exacta  $\omega$  corr. N. Heinsius  
 p. 157 Bentl. ad Luc. II 148 || 1159 prono N. Heinsius p. 158 ||  
 1160 fleuit egeus et E f. coetus et A corr.  $\alpha$  || 1163 abduxit  $\omega$   
 corr. Muretus V. L. X 4, Scaliger || 1166 diffusis repetat E ||  
 1171 solam E || 1173 ubicunque A || 1175 del. Peiper || 1177 stetit  $\psi$  ||  
 1178 NVNT. om. E

MARCI. LVCII. ANNEI. SENECAE. | TROADES EXPLICIT. INCIPIVNT |  
 PHOENISSAE E sequitur Medea A

PHOENISSAE

# PERSONAE

## A

OEDIPVS

ANTIGONA

NVNTIVS

SCAENA PROPE THEBAS AD CITHAERONEM VERSVS

## B

I IOCASTA

II ANTIGONA

POLYNICES

III ETEOCLES

SATELLES

SCAENA THEBIS

Nota. Scaenas Phoenissarum vel Thebaidos nomine coniunctas non unius esse tragoediae, sed ad diversa spectare argumenta, breviter statuerunt D. Heinsius (ed. 1651 p. 515), Swoboda III 276, Schoene (Allgem. Schulzeitung 1831 II 1029), B. Schmidt (de emend. Sen. trag. 76), Peiper (observ. 38), fusius probaverunt G. Richter (de Sen. tr. auct. 20 sqq.), P. Habrucker (Quaest. Ann. 22 sqq.), Helm (De P. Pap. Statii Thebaide p. 54, 57); unius tragoediae sed a poeta non ad finem perductae fragmenta esse Braum (Mus. Rh. 20, 271 sq. cf. R. Werner, De Sen. Hercule Troadibus Phoenissis quaestiones p. 39 sqq.) sibi persuasit; suasorias quasdam scaenico apparatu exornatas deprehendisse sibi visus est F. Leo (I 75 sqq. cf. Mus. Rh. 1897 p. 518 n.), cui applausit A. Pais (Il teatro di Seneca. Torino 1890 p. 75). Hanc sententiam acriter impugnare Birt (Mus. Rh. 34, 516 sqq. cf. Werneri disputationem p. 33) et mutatis ex parte argumentis Lindskog (Studien p. 63 sqq.). Quorum ille integrae unius tragoediae et choro instructae Phoenissae esse excerpta — permiro nimirum casu tragoediarum corpori intrusa — audacius quam felicius comprobare studuit (cf. Werneri refutationem p. 33 sqq.) totumque fabulae qualem olim extitisse animo informavit, decursum adumbravit, eum scilicet qui scaenae commutationem ter vel quinque admissam postulet. — Ecquando huic Sphingi suus existet Oedipus?

## A.

### OEDIPVS ANTIGONA

Caeci parentis regimen et fessi unicum  
 lateris levamen, gnata, quam tanti est mihi  
 genuisse vel sic, desere infaustum patrem.  
 in recta quid deflectis errantem gradum?  
 permitte labi; melius inveniam viam, 5  
 quam quaero solus, quae me ab hac vita extrahat  
 et hoc nefandi capitis aspectu levet  
 caelum atque terras. quantulum hac egi manu?  
 non video noxae conscium nostrae diem,  
 sed videor. hinc iam solve inhaerentem manum 10  
 et patere caecum qua volet ferri pedem.  
 ibo, ibo qua praerupta protendit iuga  
 meus Cithaeron, qua peragrato celer  
 per saxa monte iacuit Actaeon suis  
 nova praeda canibus, qua per obscurum nemus 15  
 silvanque opacae vallis instinctas deo  
 egit sorores mater et gaudens malo  
 vibrante fixum praetulit thyrsos caput;  
 vel qua cucurrit, corpus inlisum trahens,  
 Zethi iuventus, qua per horrentes rubos 20  
 tauri ferocis sanguis ostentat fugas;  
 vel qua alta maria vertice inmenso premit

PHOENISSAE E THEBAIS A

ANTIGONE A || 1 ac fessi A || 2 patris levamen  $\omega$  corr. Gronov  
 pariter Peiper || 6 cum q. s. Bentley || 9 haec E || 13 peragrata A  
 -ti  $\tau$  || 14 montis A || 16 instincta deo E inst. a deo c. M. Müller  
 p. 19 || 18 thyrsos E thyrsos praetulit fixum A || 19 invisum  $\omega$  corr.  
 Leo || 20 Ethi E | iuventus A || 21 ostendit Leo || 22 uictrice E

Inoa rupes, qua scelus fugiens novum  
 novumque faciens mater insiluit freto  
 mersura natum seque — felices quibus 25  
 fortuna melior tam bonas matres dedit.  
 est alius istis noster in silvis locus,  
 qui me reposcit, hunc petam cursu incito;  
 non haesitabit gressus, huc omni duce  
 spoliatus ibo. quid moror sedes meas? 30  
 mortem, Cithaeron, redde et hospitium mihi  
 illud meum restitue, ut expirem senex  
 ubi debui infans. recipe supplicium vetus.  
 semper cruenta saeve crudelis ferox,  
 cum occidis et cum parcis, olim iam tuum 35  
 est hoc cadaver: perage mandatum patris,  
 iam et matris. animus gestit antiqua exsequi  
 supplicia. quid me, nata, pestifero tenes  
 amore vinctum? quid tenes? genitor vocat.  
 sequor, sequor, iam parce. sanguineum gerens 40  
 insigne regni Laius rapti furit;  
 en ecce, inanes manibus infestis petit  
 foditque vultus. nata, genitorem vides?  
 ego video. tandem spiritum inimicum expue,  
 desertor anime, fortis in partem tui. 45  
 omitte poenae languidas longae moras  
 mortemque totam admitte; quid segnis traho  
 quod vivo? nullum facere iam possum scelus?  
 possum miser, praedico — discede a patre,  
 discede, virgo. timeo post matrem omnia. 50  
 ANT. Vis nulla, genitor, a tuo nostram manum  
 corpore resolvet, nemo me comitem tibi  
 eripiet unquam. Labdaci claram domum,

23 Inoque preceps A Minor rupis E corr. Gronov | fugiens suum ω corr. Peiper || 31 montem A sortem N. Heinsius p. 45 || 40 sanguinem genus A<sup>r</sup> || 42 et ecce A || 44 ANT. ego A | exue A || 45 OED. praef. A | d. animae f. inparentem tui E || 46 poenas l. l. morae ω corr. Grote || 47 m. t. recipe A m. t. recipe admitte E || 48 quid ω corr. Gronov || 52 comitem tui A



opulenta ferro regna germani petant —  
 pars summa magno patris e regno mea est, 55  
 pater ipse. non hunc auferet frater mihi  
 Thebana raptō sceptrā qui regno tenet,  
 non hunc catervas alter Argolicas agens;  
 non si revulso Iuppiter mundo tonet  
 mediumque nostros fulmen in nexus cadat, 60  
 manum hanc remittam. prohibeas, genitor, licet:  
 regam abnuentem, dirigam inviti gradum.  
 in plana tendis? vado; praerupta appetis?  
 non obsto, sed praecedo; quo vis utere  
 duce me, duobus omnis eligitur via: 65  
 perire sine me non potes, mecum potes.  
 hic alta rupes arduo surgit iugo  
 spectatque longe spatia subiecti maris:  
 vis hanc petamus? nudus hic pendet silex,  
 hic scissa tellus faucibus ruptis hiat: 70  
 vis hanc petamus? hic rapax torrens cadit  
 partesque lapsi montis exesas rotat:  
 in hunc ruamus? dum prior, quo vis eo.  
 non deprecor, non hortor. extingui cupis  
 votumque, genitor, maximum mors est tibi? 75  
 si moreris, antecedo: si vivis, sequor.  
 sed flecte mentem pectus antiquum advoca  
 victasque magno robore aerumnas doma;  
 resiste: tantis in malis vinci mori est.  
 OEDIP. Vnde in nefanda specimen egregium domo? 80  
 unde ista generi virgo dissimilis suo?  
 Fortuna, credis? aliquis est ex me pius?  
 non esset umquam, fata bene novi mea,  
 nisi ut noceret. ipsa se in leges novas

55 magni E corr. Bentley (p. una magno Gronov) pars  
 magna patris optimo regno (opt. e r. α) mea est A || 57 raptro E ||  
 58 hic A || 59 tenet E || 62 invitum A || 63 expetis A<sup>r</sup> || 65 duce  
 e duobus A || 69. 70 om. E in confinis paginarum (v. 71 incipit  
 f. 41<sup>v</sup>) || 73 pectore A || 79 inter 192 et 193 transponit Peiper |  
 vinci malum est A || 83 novit E

natura vertit: reget in fontem citas 85  
 revolutus undas amnis et noctem afferet  
 Phoebea lampas, Hesperus faciet diem;  
 ut ad miserias aliquid accedat meas,  
 pii quoque erimus. unica Oedipodae est salus,  
 non esse salvum. liceat ulcisci patrem 90  
 adhuc inultum. dextra quid cessas iners  
 exigere poenas? quicquid exactum est adhuc,  
 matri dedisti. mitte genitoris manum,  
 animosa virgo: funus extendis meum  
 longasque vivi ducis exequias patris. 95  
 aliquando terra corpus invisum tege;  
 peccas honesta mente, pietatem vocas  
 patrem insepultum trahere. qui cogit mori  
 nolentem in aequo est quique properantem impedit; 99  
 nec tamen in aequo est: alterum gravius reor: 101  
 occidere est vetare cupientem mori 100  
 malo imperari quam eripi mortem mihi. 102  
 desiste coepto, virgo: ius vitae ac necis  
 meae penes me est. regna deserui libens,  
 regnum mei retineo. si fida es comes, 105  
 ensem parenti trade, sed notum nece  
 ensem paterna. tradis? an gnati tenent  
 cum regno et illum? facinore ubicumque est opus,  
 ibi sit; relinquo. natus hunc habeat meus,  
 sed uterque. flammas potius et vastum aggerem 110  
 compone; in altos ipse me immittam rogos,  
 [haerebo ad ignes, funebrem escendam struem]  
 pectusque solvam durum et in cinerem dabo  
 hoc quicquid in me vivit. ubi saevum est mare?

85 vertet A || 94 animos E<sup>1</sup> corr. E<sup>2</sup> || 96 alinquando E ||  
 99 quisque E || 100 post 101 posuit Tachau, (post 102 posuerat  
 Richter), del. Leo coll. Hor. ad Pis. 467. cf. M. Müller p. 29sq. ||  
 105 si fides comes E || 108 faciet u. e. opus E f. u. e. scelus A  
 corr. Leo I 2 || 112 del. Richter | funebre escendam struem E  
 erectam ad ignes funebrem ascendam struem A funebri abs-  
 condar strue Leo II 378 || 113 cineres A

due ubi sit altis prorutum saxis iugum, 115  
 ubi torva rapidus ducat Ismenos vada,  
 [duc ubi ferae sunt, ubi fretum, ubi praeceps locus]  
 si dux es: illuc ire morituro placet,  
 ubi sedit alta rupe semifero dolos  
 Sphinx ore nectens. dirige huc gressus pedum, 120  
 hic siste patrem. dira ne sedes vacet,  
 monstrum repone maius. hoc saxum insidens  
 obscura nostrae verba fortunae loquar,  
 quae nemo solvat: quisquis Assyrio loca  
 possessa regi scindis et Cadmi nemus 125  
 serpente notum, sacra quo Dirce latet,  
 supplex adoras, quisquis Eurotan bibis  
 Spartamque fratre nobilem gemino colis,  
 quique Elin et Parnason et Boeotios  
 colonus agros uberis tondes soli: 130  
 adverte mentem. saeva Thebarum lues  
 luctifica caecis verba committens modis  
 quid simile posuit? quid tam inextricabile?  
 avi gener patrisque rivalis sui,  
 frater suorum liberum et fratrum parens; 135  
 uno avia partu liberos peperit viro,  
 sibi et nepotes. monstra quis tanta explicat?  
 ego ipse, victae spolia qui Sphingis tuli,  
 haerebo fati tardus interpretis mei.

\* \* \*

quid perdis ultra verba? quid pectus ferum 140  
 mollire temptas precibus? hoc animo sedet  
 effundere hanc cum morte luctantem diu  
 animam et tenebras petere: nam sceleri haec meo

115 dic A | praeruptum A || 116 torta Lipsius | volvat Peiper ||  
 117 del. N. Heinsius p. 50 | dic ubi ferae sint A || 120 gressu  
 pedem A || 122 hoc saxo A || 123 verba i. ras. 4—5 litt. (f. . . . fuit  
 fortu ut Leo putat) E<sup>1</sup> || 127 supplex ad aras A | Eurotam E -em A ||  
 128 Spartemque A(τ) Spartenque τ || 129 quicumque helin par-  
 nason A | boetios ω || 130 tondis E || 137 at sibi A(τ) (ac. s. τ) |  
 'explicitet A || 139 haereboque E | post v. 139 intercidiisse Antigoniae  
 orationem statuit Swoboda, hiatum a poeta relictum esse Leo censet

parum alta nox est: Tartaro condi iuvat,  
 et si quid ultra Tartarum est; tandem libet 145  
 quod olim oportet. morte prohiberi haud queo.  
 ferrum negabis? noxias lapsu vias  
 cludes et artis colla laqueis inseri  
 prohibebis? herbas quae ferunt letum auferes?  
 quid ista tandem cura proficiet tua? 150  
 ubique mors est. optume hoc cavit deus:  
 eripere vitam nemo non homini potest,  
 at nemo mortem; mille ad hanc aditus patent.  
 nil quaero: dextra noster et nuda solet  
 bene animus uti — dextra, nunc toto impetu, 155  
 toto dolore, viribus totis veni.  
 non destino unum vulneri nostro locum:  
 totus nocens sum: qua voles mortem exige.  
 effringe pectus corque tot scelerum capax  
 evelle, totos viscerum nuda sinus. 160  
 fractum incitatis ictibus guttur sonet  
 laceraeque fixis unguibus venae fluant.  
 aut dirige iras quo soles: haec vulnera  
 rescissa multo sanguine ac tabe inriga,  
 hac extrahe animam duram, inexpugnabilem. 165  
 et tu, parens, ubicumque poenarum arbiter  
 adstas mearum; non ego hoc tantum scelus  
 ulla expiari credidi poena satis  
 unquam, nec ista morte contentus fui,  
 nec me redemi parte: membratim tibi 170  
 perire volui — debitum tandem exige.  
 nunc solvo poenas, tunc tibi inferias dedi.  
 ades atque inertem dexteram introrsus preme  
 magisque merge: timida tunc parvo caput  
 libavit haustu vixque cupientes sequi 175  
 eduxit oculos. haeret etiam nunc mihi  
 ille animus, haeret, cum recusantem manum

147 lapso A || 154 nichil E || 159 effringe corpus  $\omega$  corr.  
 N. Heinsius p. 51 et 382 || 162 laceraeue A 168 poene E<sup>1</sup> corr. E<sup>2</sup> ||  
 171 volui perire A || 173 dextram E || 174 tum  $\omega$  corr. Leo

pressere vultus. audies verum, Oedipus:  
 minus eruisti lumina audacter tua,  
 quam praestitisti. nunc manum cerebro indue: 180  
 hac parte mortem perage qua coepi mori.  
 ANTIG. Pauca, o parens magnanime, miserandae precor  
 ut verba natae mente placata audias.  
 non te ut reducam veteris ad speciem domus  
 habitumque regni flore pollentem inclito 185  
 peto aut ut iras, temporum haut ipsa mora  
 fractas, remisso pectore ac placido feras:  
 at hoc decebat roboris tanti virum,  
 non esse sub dolore nec victum malis  
 dare terga; non est, ut putas, virtus, pater, 190  
 timere vitam, sed malis ingentibus  
 obstare nec se vertere ac retro dare.  
 qui fata proculcavit ac vitae bona  
 proiecit atque abscidit et casus suos  
 oneravit ipse, cui deo nullo est opus, 195  
 quare ille mortem cupiat aut quare petat?  
 utrumque timidi est: nemo contempsit mori  
 qui concupivit. cuius haut ultra mala  
 exire possunt, in loco tuto est situs.  
 quis iam deorum, velle fac, quicquam potest 200  
 malis tuis adicere? iam nec tu potes  
 nisi hoc, ut esse te putes dignum nece —  
 non es nec ulla pectus hoc culpa attigit.  
 et hoc magis te, genitor, insontem voca,  
 quod innocens es dis quoque invitis. quid est 205  
 quod te efferarit, quod novos suffixerit  
 stimulos dolori? quid te in infernas agit

178 Oedipum EA Oedipe  $\psi$  corr. B. Schmiät (de em. S. tr.  
 p. 32) || 180 perstitisti E | cerebro E $\psi$  || 181 coepit A || 182 mise-  
 randa A $\tau$  || 184 specimen A || 185 pollenti A $\tau$  | incliti  $\omega$   
 corr.  $\psi$  || 186 tempore aut  $\omega$  corr. Bothe || 188 et hoc  $\omega$  corr.  
 Richter || 195 ipsi ceuideo A || 196 ipse A | cupiat  $\omega$  fugiat  
 Lipsius || 197 u. t. est velle. c. A || 198 qui non concupiscit A  
 (non del.  $\psi$ ) | aut E || 205 inuisis A || 206 non uos E || 207 in  
 om.  $\psi$  ad inf.  $\tau$

sedes, quid ex his pellit? ut careas die?  
 cares; ut altis nobilem muris domum  
 patriamque fugias? patria tibi vivo perit; 210  
 natos fugis matremque? ab aspectu omnium  
 fortuna te summovit, et quicquid potest  
 auferre cuiquam mors, tibi hoc vita abstulit;  
 regni tumultus? turba fortunae prior  
 abscessit a te iussa. quem, genitor, fugis? 215  
 OEDIP. Me fugio, fugio conscium scelerum omnium  
 pectus, manumque hanc fugio et hoc caelum et deos.  
 [et dira fugio scelera quae feci innocens].  
 ego hoc solum, frugifera quo surgit Ceres,  
 premo? has ego auras ore pestifero traho? 220  
 ego laticis haustu satior aut ullo fruor  
 almae parentis munere? ego castam manum  
 nefandus incestificus execrabilis  
 attrecto? ego ullos aure concipio sonos,  
 per quos parentis nomen aut nati audiam? 225  
 utinam quidem rescindere has quirem vias.  
 manibusque adactis omne qua voces meant  
 aditusque verbis tramite angusto patet  
 eruere possem: nata, iam sensum tui,  
 quae pars meorum es criminum, infelix pater 230  
 fugissem. inhaeret ac recrudescit nefas  
 subinde, et aures ingerunt quicquid mihi  
 donastis, oculi. cur caput tenebris grave  
 non mitto ad umbras Ditis aeternas? quid hic  
 manes meos detineo? quid terram gravo 235  
 mixtusque superis erro? quid restat mali?  
 regnum parentes liberi, virtus quoque

208 quid te ex his A<sup>r</sup> || 213 hec A<sup>r</sup> || 214 post tumultus  
*interrogandi notam pro virgula posuit N. Heinsius p. 51* | for-  
 tuna E || 215 abs. ante A | iusta ψ || 218 del. de Wilamowitz |  
 nocens A || 226 quirem meas E || 227 omne quo A<sup>r</sup> || 228 um-  
 bris A<sup>r</sup> || 229 tacui E<sup>1</sup> tui E<sup>2</sup> || 230 criminum es A est crimi-  
 num E corr. Lipsius || 233 negastis A || 234 aeterni E || 235 de-  
 tineo A<sup>r</sup>

et ingeni sollertis eximium decus  
 periere, cuncta sors mihi infesta abstulit:  
 lacrimae supererant: has quoque eripui mihi. 240  
 absiste. nullas animus admittit preces  
 novamque poenam sceleribus quaerit parem.  
 et esse par quae poterit? infanti quoque  
 decreta mors est. — fata quis tam tristia  
 sortitus umquam? videram nondum diem 245  
 uterique nondum solveram clausi moras,  
 et iam timebar. protinus quosdam editos  
 nox occupavit et novae luci abstulit:  
 mors me antecessit; aliquis intra viscera  
 materna letum praecoquis fati tulit: 250  
 sed numquid et peccavit? abstrusum, abditum  
 dubiumque an essem sceleris infandi reum  
 deus egit; illo teste damnavit parens  
 calidoque teneros transiit ferro pedes 255  
 et in alta nemora pabulum misit feris  
 avibusque saevis quas Cithaeron noxius  
 cruore saepe regio tinctas alit.  
 sed quem deus damnavit, abiecit pater,  
 mors quoque refugit. praestiti Delphis fidem:  
 genitorem adortus impia stravi nece. 260  
 hoc alia pietas redimet: occidi patrem,  
 sed matrem amavi. proloqui hymenaeum pudet  
 taedasque nostras. has quoque invitum pati  
 te coge poenas: facinus ignotum efferum  
 inusitatum effare quod populi horreant, 265  
 quod esse factum nulla non aetas neget,  
 quod parricidam pudeat: in patrios toros  
 tuli paterno sanguine aspersas manus  
 scelerisque pretium maius accepi scelus.  
 leve est paternum facinus: in thalamos meos 270

240 eripuit E || 242 patrem E || 248 lucis E || 252 reus E<sup>1</sup>  
 corr. E<sup>2</sup> || 254 transtulit A || 256 anidis A | cyntheron E ||  
 257 tractas alit A || 261 aliqua *Ascensius* || 265 fare E || 270 pat.  
 scelus A

deducta mater, ne parum sceleris foret,  
 fecunda: nullum crimen hoc maius potest  
 natura ferre. si quod etiamnum est tamen,  
 qui facere possent dedimus. abiecti necis  
 pretium paternae sceptrum et hoc iterum manus 275  
 armavit alias; optime regni mei  
 fatum ipse novi: nemo sine sacro feret  
 illud cruore. magna praesagit mala  
 paternus animus. iacta iam sunt semina  
 cladis futurae: spernitur pacti fides; 280  
 hic occupato cedere imperio negat,  
 ius ille et icti foederis testes deos  
 invocat et Argos exul atque urbes movet  
 Graias in arma: non levis fessis venit  
 ruina Thebis; tela flammae vulnera 285  
 instant et istis si quod est maius malum,  
 ut esse genitos nemo non ex me sciat.  
 ANTIG. Si nulla, genitor, causa vivendi tibi est,  
 haec una abunde est, ut pater natos regas  
 graviter furentes. tu impii belli minas 290  
 avertere unus tuque vaecordes potes  
 inhibere iuvenes, civibus pacem dare,  
 patriae quietem, foederi laeso fidem.  
 vitam tibi ipse si negas, multis negas.  
 OEDIP. Illis parentis ullus aut aequi est amor, 295  
 avidis cruoris imperi armorum doli,  
 diris, scelestis, breviter ut dicam meis?  
 certant in omne facinus et pensi nihil  
 ducunt, ubi illos ira praecipites agit,  
 nefasque nullum per nefas nati putant. 300  
 non patris illos tangit afflicti pudor,  
 non patria: regno pectus attonitum furit.

271 scelerum A || 273 si om. E || 275 paternum E || 276 arma  
 uitabas E || 277 sine caro N. Heinsius p. 36 cf. v. 329 | efferet E ||  
 279 sunt iam A<sup>r</sup> || 283 agros Bentley coll. Thy. 183 || 287 ex  
 me non A<sup>r</sup> || 289 regat E || 290 ferentes E || 293 leos E ||  
 297 uiris caelestis E || 299 ipsos Leo | agat A



scio quo ferantur, quanta moliri parent,  
 ideoque leti quaero maturi viam  
 morique propero, dum in domo nemo est mea 305  
 nocentior me. nata, quid genibus meis  
 fles advoluta? quid prece indomitum domas?  
 unum hoc habet fortuna quo possim capi,  
 invictus aliis: sola tu affectus potes  
 mollire duros, sola pietatem in domo 310  
 docere nostra. nil grave aut miserum est mihi  
 quod te sciam voluisse; tu tantum impera:  
 hic Oedipus Aegaea transnabit freta  
 iubente te, flammisque quas Siculo vomit  
 de monte tellus igneos volvens globos, 315  
 excipiet ore seque serpenti offeret,  
 quae saeva furto nemoris Herculeo furit;  
 iubente te praebebit, alitibus iecur —  
 iubente te vel vivet.

### NVNTIVS \* OEDIPVS ANTIGONA

NVN. Exemplum in ingens regia stirpe editum 320  
 Thebae paventes arma fraterna invocant  
 rogantque tectis arceas patriis faces.  
 non sunt minae, iam propius accessit malum.  
 nam regna repetens frater et pactas vices  
 in bella cunctos Graeciae populos agit; 325  
 septena muros castra Thebanos premunt.  
 succurre, prohibe pariter et bellum et scelus.  
 OED. Ego ille sum qui scelera committi vetem  
 et abstineri sanguine e caro manus

304 maturam E || 305 que om. E || 313 aegae E | tranabit A ||  
 315 solvens ω corr. ψ || 317 herculei E || 320 scaena continuatur  
 praefixo Antigoniae nomine (ANT.) Eψ || 320—327 Antigone loqui-  
 tur E et sic Leo | ante 320 patris appellationem [te, pater] de-  
 siderat Leo (I 79 sq.). at cf. M. Müller Ph. p. 263 sq. || 320 exem-  
 plum ingens E (corr. Lipsius) om. A | edite A || 327 b. et nefas A ||  
 328 sceptrā A<sup>r</sup> | comitti E

doceam? magister iuris et amoris pii 330  
 ego sum? meorum facinorum exempla appetunt,  
 me nunc secuntur; laudo et agnosco libens,  
 exhortor, aliquid ut patre hoc dignum gerant.  
 agite, o propago cara, generosam indolem  
 probate factis, gloriam ac laudes meas 335  
 superate et aliquid facite propter quod patrem  
 adhuc iuuet vixisse. facietis, scio:  
 sic estis orti. scelere defungi haut levi,  
 haut usitato tanta nobilitas potest.  
 ferte arma, facibus petite penetrales deos 340  
 frugemque flamma metite natalis soli,  
 miscete cuncta, rapite in exitium omnia,  
 disicite passim moenia, in planum date,  
 templis deos obruite, maculatos lares  
 conflante, ab imo tota considat domus; 345  
 urbs concremetur — primus a thalamis meis  
 incipiat ignis.

NVNT. Mitte violentum impetum  
 doloris ac te publica exorent mala  
 auctorque placidae liberis pacis veni.  
 OEDIP. Vides modestae deditum menti senem 350  
 placidaeque amantem pacis ad partes vocas?  
 tumet animus ira, fervet immensus dolor,  
 maiusque quam quod casus et iuvenum furor  
 conatur aliquid cupio. non satis est adhuc  
 civile bellum: frater in fratrem ruat; 355  
 nec hoc sat est: quod debet, ut fiat nefas  
 de more nostro, quod meos deceat toros:  
 date arma matri. nemo me ex his eruat

331 exempla facinorum A || 334 clara A || 338 aut E ||  
 340 penetries E || 341 frigiamque flammam et eterias tali  
 soli E || 342 exilium A || 343 dissicite E discite A<sup>r</sup> exc. R 10  
 (descite) || 347 ANT. mitte u. i. E ante u. i. (om. mitte) A (ante  
 ex om. Antig. nomine ortum. Nuntium loqui evicit M. Müller  
 l. n.) || 348 dolores A<sup>r</sup> || 350 quid me N. Heinsius p. 53 || 352 im-  
 mensum A || 353 cassus hic N. Heinsius p. 54 || 356 satis est E ||  
 358 patri ω corr. Gronov patriae Bentley

silvis: latebo rupis exesae cavo  
 aut sepe densa corpus abstrusum tegam. 360  
 hinc aucupabor verba rumoris vagi  
 et saeva fratrum, bella, quod possum, audiam.

## B.

## IOCASTA SATELLES

Felix Agaue: facinus horrendum manu,  
 qua fecerat, gestavit et spolium tulit  
 cruenta nati maenas in partes dati; 365  
 fecit scelus, sed misera non ultro suo  
 sceleri occucurrit. hoc leve est quod sum nocens:  
 feci nocentes. hoc quoque etiamnunc leve est:  
 peperit nocentes. derat aerumnis meis,  
 ut et hostem amarem. bruma ter posuit nives 370  
 et tertia iam falce decubuit Ceres,  
 ut exul errat natus et patria caret  
 profugusque regum auxilia Graiorum rogat.  
 gener est Adrasti, cuius imperio mare  
 quod scindit Isthmos regitur; hic gentes suas 375  
 septemque secum regna ad auxilium trahit  
 genero. quid optem quidve decernam haut scio.  
 regnum reposcit: causa repetentis bona est,  
 mala sic petentis. vota quae faciam parens?  
 utrimque natum video: nil possum pie 380  
 pietate salva facere: quodcumque alteri  
 optabo nato fiet alterius malo.  
 sed utrumque quamvis diligam affectu pari,  
 quo causa melior sorsque deterior trahit

363 IOCASTA · SATELLES · POLYNICES · ETHEOCLES E scaena con-  
 tinuatur A || 366 ultra  $\omega$  corr. N. Heinsius p. 55 ultra defendit  
 M. Müller p. 20 | suum A || 367 scelus hoc cucurrit A sceleri  
 occurrit E corr. Gronov || 368 etiam non A<sup>r</sup> (exc. Vd.) || 375 cin-  
 git  $\omega$  corr. Gronov | isthmos E hismon A || 377 generi A ||  
 380 utrumque  $\omega$  corr. Bothe (Bentley) | nichil E

inclinat animus semper infirmo favens:	385
miseros magis fortuna conciliat suis.	
SAT. Regina, dum tu flebiles questus cies	
terisque tempus, saeva nudatis adest	
acies in armis; aera iam bellum cient	
aquilaque pugnam signifer mota vocat.	390
septena reges bella dispositi parant,	
animo pari Cadmea progenies subit,	
cursu citato miles hinc atque hinc ruit.	
vide ut atra nubes pulvere abscondat diem	
fumoque similes campus in caelum erigat	395
nebulas, equestri fracta quas tellus pede	
summittit et, si vera metuentes vident,	
infesta fulgent signa, subrectis adest	
frons prima telis, aurea clarum nota	
nomen ducum vexilla praescriptum ferunt.	400
i, redde amorem fratribus, pacem omnibus,	
et impia arma matris oppositu impedi.	

### ANTIGONA IOCASTA NVNTIVS

Perge, o parens, et concita celerem gradum,	
compesce tela, fratribus ferrum excute,	
nudum inter enses pectus infestos tene:	405
aut solve bellum, mater, aut prima excipe.	
IOC. Ibo ibo et armis obvium opponam caput,	
stabo inter arma; petere qui fratrem volet,	
petat ante matrem. tela, qui fuerit pius,	
rogante ponat matre; qui non est pius	410
incipiat a me. fervidos iuvenes anus	
tenebo, nullum teste me fiet nefas;	

387 pro satellite Nuntius per totam scaenam A || 388 salua E  
 corr. Gronov tota A | nudatis stetit A || 394 uide ut A uiden  
 ut E uiden? Lachmann ad Lucr. p. 194 | abscondit EA corr. ψ ||  
 395 erigat ω cf. Tro. 945 H u 1207 || 403 continuatur scaena  
 om. Antigona nota ante v. 403 E | perge o p. perge et concita  
 c. gr. E p. o p. perge et cita Leo. cf. Ag. 913 || 409 fuerat E ||  
 410 om. E rubricator in mg. adscripsit R

aut si aliquod et me teste committi potest,  
 non fiet unum. ANT. Signa collatis micant  
 vicina signis, clamor hostilis fremit; 415  
 scelus in propinquo est: occupa, mater, preces.  
 et ecce motos fletibus credas meis,  
 sic agmen armis segne compositis venit.  
 SAT. Procedit acies tarda, sed properant duces.  
 IOC. Quis me procellae turbine insano vehens 420  
 volucer per auras ventus aetherias aget?  
 quae Sphinx vel atra nube subtexens diem  
 Stymphalis avidis praepetem pinnis feret?  
 aut quae per altas aeris rapiet vias  
 Harpyia saevi regis observans famem 425  
 et inter acies proiciet raptam duas?  
 SAT. Vadit furenti similis aut etiam furit.  
 sagitta qualis Parthica velox manu  
 excussa fertur, qualis insano ratis  
 premente vento rapitur aut qualis cadit 430  
 delapsa caelo stella, cum stringens polum  
 rectam citatis ignibus rumpit viam,  
 attonita cursu fugit et binas statim  
 diduxit acies. victa materna prece  
 haesere bella, iamque in alternam necem 435  
 illinc et hinc miscere cupientes manus  
 librata dextra tela suspensa tenent.  
 paci favetur, omnium ferrum iacet  
 cessatve tectum; vibrat in fratrum manu.  
 laniata canas mater ostendit comas, 440  
 rogat abnuentes, irrigat fletu genas.  
 negare matri qui diu dubitat, potest.

413 si aliquot E si quod A || 414 ANT. om. E || 416 pre-  
 ceptis A<sup>r</sup> || 417 motus A || 419 pers. not. om. ω nuntio dedit  
 Bothe || 420 pers. not. om. E | insane A || 422 spynx E ||  
 423 pennis A || 424 rapiat E || 425 arpyla E arpia A | famen E ||  
 429 insono E || 431 delapso E || 434 deduxit A<sup>r</sup> || 436 ma-  
 num A || 437 uibrata ω corr. N. Heinsius p. 57 u. tela con-  
 tinent dextra sua A || 438 latet A || 439 cessatque ω corr.  
 N. Heinsius p. 57 || 441 abnuentis A

## IOCASTA POLYNICES ETEOCLES

In me arma et ignes vertite, in me omnis ruat  
 unam iuventus quaeque ab Inachio venit  
 animosa muro quaeque Thebana ferox 445  
 descendit arce; civis atque hostis simul  
 hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro.  
 haec membra passim spargite ac divellite:  
 ego utrumque peperit — ponitis ferrum ocius?  
 an dico et ex quo? dexteras matri date, 450  
 date dum pisae sunt. error invitos adhuc  
 fecit nocentes, omne Fortunae fuit  
 peccantis in nos crimen: hoc primum nefas  
 inter scientes geritur. in vestra manu est,  
 utrum velitis: sancta si pietas placet, 455  
 †donate matri pacem, si placuit scelus,  
 maius paratum est: media se opponit parens.  
 proinde bellum tollite aut belli moram.  
 sollicita cui nunc mater alterna prece  
 verba admovebo? misera quem amplectar prius? 460  
 in utramque partem ducor affectu pari.  
 hic afuit; sed pacta si fratrum valent,  
 nunc alter aberit. ergo iam numquam duos  
 nisi sic videbo? iunge complexus prior,  
 qui tot labores totque perpessus mala 465  
 longo parentem fessus exilio vides.  
 accede propius, clude vagina impium  
 ensem et trementem iamque cupientem excuti

443 nova scaena: IOCASTA POLYNICES A *Eteoclis nomen addidit Richter* | *continuatur scaena E* || 444 una A | inachio A<sup>τ</sup> || 446 descendit a. cives a. hostes s. E || 448 mea membra A | sparsim spargite A<sup>τ</sup> || 450 dexteras A<sup>τ</sup> || 456 donate matri pacem ω matrem pace α matri pacta L. Müller matri, facere Peiper date arma matri saeva Tachau domate Martem pace M. Müller Ph. p. 264 || 458 proinde iam bellum E || 459 cui nunc sollicita E cui sollicita nunc A corr. ψ || 462 abfuit A || 465 tu qui tot. lab. A<sup>τ</sup> || 468 excute A(τ)

hastam solo defige; maternum tuo  
 coire pectus pectori clipeus vetat: 470  
 hunc quoque repone. vinculo frontem exue  
 tegumenque capitis triste belligeri leva  
 et ora matri redde. quo vultus refers  
 acieque pavida fratris observas manum?  
 affusa totum corpus amplexu tegam, 475  
 tuo cruori per meum fiet via.  
 quid dubius haeres? an times matris fidem?  
 POL. Timeo; nihil iam iura naturae valent.  
 post ista fratrum exempla ne matri quidem  
 fides habenda est. IOC. Redde iam capulo manum, 480  
 astringe galeam, laeva se clipeo inserat;  
 dum frater exarmatur, armatus mane.  
 tu pone ferrum, causa qui ferri es prior.  
 si pacis odium est, furere si bello placet:  
 inducias te mater exiguas rogat, 485  
 ferat ut reverso post fugam nato oscula  
 vel prima vel suprema. dum pacem peto,  
 audite inermes. ille te, tu illum times?  
 ego utrumque, sed pro utroque. quid strictum abnuis  
 recondere ensem? qualibet gaude mora: 490  
 id gerere bellum cupitis, in quo est optimum  
 vinci. vereris fratris infesti dolos?  
 quotiens necesse est fallere aut falli a suis,  
 patiare potius ipse quam facias scelus.  
 sed ne verere: mater insidias et hinc 495  
 et rursus illinc abiget. exoro? an patri  
 invideo vestro? veni ut arcerem nefas  
 an ut viderem propius? hic ferrum abdidit,  
 reclinis hasta est, arma defixa incubant.  
 ad te preces nunc, nate, maternas feram, 500

470 coiere E || 472 tegmen vel tegimen A || post 477 legitur  
 v. 480 E || 480 IOC. om. ω, add. ψ || 481 IOC. praef. E om. A |  
 ingerat A<sup>r</sup> || 483 IOC. A om. E || 485 rogas E || 493 a tuis N. Hein-  
 sius p. 57 (sic ecl. Lugd.) || 499 recliuis haste. et arma A re-  
 clinis hastae arma E corr. Leo

sed ante lacrimas. teneo longo tempore  
 petita votis ora. te profugum solo  
 patrio penates regis externi tegunt,  
 te maria tot diversa, tot casus vagum  
 egere, non te duxit in thalamos parens 505  
 comitata primos nec sua festas manu  
 ornavit aedes nec sacra laetas faces  
 vitta revinxit; dona non auro graves  
 gazas socer, non arva, non urbes dedit:  
 dotale bellum est. hostium es factus gener, 510  
 patria remotus hospes alieni laris,  
 externa consecutus, expulsus tuis,  
 sine crimine exul. ne quid e fatis tibi  
 dasset paternis, hoc quoque ex illis habes,  
 errasse thalamis. nate post multos mihi 515  
 remisse soles, nate suspensae metus  
 et spes parentis, cuius aspectum deos  
 semper rogavi, cum tuus reditus mihi  
 tantum esset erepturus, adventu tuo  
 quantum daturus: 'quando pro te desinam' 520  
 dixi 'timere?' dixit inridens deus:  
 'ipsum timebis.' nempe nisi bellum foret,  
 ego te carerem; nempe si tu non fores,  
 bello carerem. a, triste conspectus datur  
 pretium tui durumque, sed matri placet. 525  
 hinc modo recedant arma, dum nullum nefas  
 Mars saevus audet: hoc quoque est magnum nefas,  
 tam prope fuisse. stupeo et exsanguis tremo,  
 cum stare fratres hinc et hinc video duos  
 sceleris sub ictu. membra quassantur metu: 530

501 cedante lacr. E || 502 petite E || 504 t. m. tot tam diu. E ||  
 506 festa E letas A(τ) corr. τ || 507 nec sua ω corr. Leo |  
 laetas faces i. ras. ex festas manus E<sup>1</sup> || 508 uita E | auro et  
 graues A || 509 galeas E | arma ω corr. ψ || 510 hostium est E ||  
 513 nequit de E || 515<sup>b</sup>. 516<sup>a</sup> (nate — soles) om. E || 516 sollicite  
 metus A || 518 serper E || 524 carerem triste A carerem patris  
 te E corr. I. Gronov || 526 redeant arma A<sup>τ</sup> || 527 om. ψ



quam paene mater maius aspexi nefas,  
 quam quod miser videre non potuit pater.  
 licet timore facinoris tanti vacem  
 videamque iam nil tale, sum infelix tamen  
 quod paene vidi. per decem mensum graves 535  
 uteri labores perque pietatem inclitae  
 precor sororis et per irati sibi  
 genas parentis, scelere quas nullo nocens,  
 erroris a se dira supplicia exigens,  
 hausit: nefandas moenibus patriis faces 540  
 averte, signa bellici retro agminis  
 flecte — ut recedas, magna pars sceleris tamen  
 vestri peracta est: vidit hostili grege  
 campos repleri patria, fulgentes procul  
 armis catervas vidit, equitatu levi 545  
 Cadmea frangi prata et excelsos rotis  
 volitare proceres, igne flagrantibus trabes  
 fumare, cineri quae petunt nostras domos,  
 fratresque (facinus quod novum et Thebis fuit)  
 in se ruentes: totus hoc exercitus, 550  
 hoc populus omnis, utraque hoc vidit soror  
 genetrixque vidi: nam pater debet sibi  
 quod ista non spectavit. occurrat tibi  
 nunc Oedipus, quo iudice erroris quoque  
 poenae petuntur. ne, precor, ferro erue 555  
 patriam ac penates neve, quas regere expetis,  
 everte Thebas. quis tenet mentem furor?  
 petendo patriam perdis? ut fiat tua,  
 vis esse nullam? quin tuae causae nocet  
 ipsum hoc quod armis uris infestis solum 560  
 segetesque adultas sternis et totos fugam  
 edis per agros: nemo sic vastat sua;

533 timere f. t. uicem A<sup>r</sup> || 535 mensium A || 536 pietate  
 inclitas A || 537 sorores A || 539 dura A<sup>r</sup> || 548 petant N. Heinsius  
 p. 58 || 551 et populus A (sic Bentley) | utramque E et utraque A  
 corr. Peiper (h. p. utrimque o. L. Müller) || 552 uidit ω corr.  
 I. Gronov || 553 om. A<sup>r</sup> || 560 armis uestris A<sup>r</sup> || 561 adustas A

quae corripī igne, quae meti gladio iubes  
 aliena credis. rex sit ex vobis uter,  
 manente regno quaerite. haec telis petis 565  
 flammisque tecta? poteris has Amphionis  
 quassare moles? nulla quas struxit manus  
 stridente tardum machina ducens onus,  
 sed convocatus vocis et citharae sono  
 per se ipse summas venit in turres lapis: 570  
 haec saxa franges? victor hinc spolia auferes  
 vinctosque duces patris aequales tui,  
 matresque ab ipso coniugum raptas sinu  
 saevus catena miles imposita trahet?  
 adulta virgo, mixta captivo gregi, 575  
 Thebana nuribus munus Argolicis eat?  
 an et ipsa, palmas vincta postergum datas,  
 mater triumphī praeda fraterni vehar?  
 potesne cives leto et exilio datos  
 videre passim? moenibus caris potes 580  
 hostem admovere, sanguine et flamma potes  
 implere Thebas? tam ferus durum geris  
 saevumque in iras pectus? et nondum imperas.  
 quid scepra facient? pone vaesanos, precor,  
 animi tumores teque pietati refer. 585  
 POL. Vt profugus errem? semper ut patria arcear  
 opemque gentis hospes externae sequar?  
 quid paterer aliud, si fefellissem fidem?  
 si peierassem? fraudis alienae dabo  
 poenas, at ille praemium scelerum feret? 590  
 iubes abire: matris imperio obsequor —  
 da quo revertar. regia frater meus

564 e vob. A || 565 petes A (petis τ) || 570 turres uenit in  
 summas A || 571 post victor *distinguit* A || 572 uictosque A  
 (uinctos τ) || 573 ab ipso matres A (matres ab i. α) || 574 tradet E ||  
 575 ut adulta A || 577 post tergum A || 579 leto et exitio E  
 letus exitio A *corr. O. Rosbach* || 582 ferum et durum A ||  
 586 post semper *dist. A* || 590. 591 *inverso ordine E* || 592—595 *recte*  
*distinxit M. Müller Ph. p. 265* || 592 mea A

habitat superba: parva me abscondat casa?  
 hanc date repulso; liceat exiguo lare  
 pensare regnum? coniugi donum datus 595  
 arbitria thalami dura felicis feram  
 humilisque socerum lixa dominantem sequar?  
 in servitutum cadere de regno grave est.  
 IOC. Si regna quaeris nec potest sceptro manus  
 vacare saevo, multa quae possunt peti 600  
 in orbe toto quaelibet tellus dabit.  
 hinc nota Baccho Tmolus attollit iuga,  
 qua lata terris spatia frugiferis iacent  
 et qua trahens opulenta Pactolus vada  
 inundat auro rura; nec laetis minus 605  
 Maeandros arvis flectit errantis aquas  
 rapidusque campos fertiles Hermus secat;  
 hinc grata Cereri Gargara et dives solum  
 quod Xanthus ambit nivibus Idaeis tumens;  
 hinc qua relinquit nomen Ionii mare 610  
 faucesque Abydo Sestos opposita premit,  
 aut quae latus iam propior orienti dedit  
 tutamque crebris portibus Lyciam videt:  
 haec regna ferro quaere, in hos populos ferat  
 socer arma fortis, has tuo sceptro paret 615  
 tradatque gentes. hoc adhuc regnum puta  
 tenere patrem. melius exilium est tibi  
 quam reditus iste: crimine alieno exulas,

593 habitet A | abscondet ψ || 594 dare rep. E da rep. A ||  
 602 h. tota bacho t. attulit i. E || 605 latis Bentley || 606 errantes  
 (-es ex -is) E<sup>s</sup> || 607 hebrus ω corr. Gronov || 610 ionii maris ω  
 corr. Bentley (Ionium Thetis ci. Bücheler qua reliquit nomen Inois  
 mari de Wilamowitz numen Peiper (Io, cf. Stanley ad Aesch.  
 Prom. 839 Schol. Apoll. Rhod. 4, 308); Ionii i. e. Aegaei i. cf.  
 Ov. fast. IV 566 Val. Flacc. I 24) || 611 fauces abydos (Abydi α)  
 sestos opposite pr. A || 612 aut qua ω corr. Peiper (Rhodus ins.  
 significatur) aut q. Thetis se pr. o. d. N. Heinsius p. 16. 58  
 aut qua Rhodus ante v. 612 intercidisse coniecit de Wilamowitz ||  
 613 tutamque Cyprus intacto v. 612 ci. Leo | portibus A<sup>r</sup> || 614 hic  
 Gronov, Bentley hac Bothe || 615 paret sceptro tuo A

tuo redibis. melius istis viribus  
 nova regna nullo scelere maculata appetes. 620  
 quin ipse frater arma comitatus tua  
 tibi militabit. vade et id bellum gere  
 in quo pater materque pugnanti tibi  
 favere possint. regna cum scelere omnibus  
 sunt exilis graviora. nunc belli mala 625  
 propone, dubias Martis incerti vices:  
 licet omne tecum Graeciae robur trahas,  
 licet arma longe miles ac late explicet,  
 fortuna belli semper ancipiti in loco est.  
 quodcumque Mars decernit; exaequat duos, 630  
 licet impares sint, gladius; et spes et metus  
 Fors caeca versat. praemium incertum petis,  
 certum scelus. favisse fac votis deos  
 omnes tuis: cessere et aversi fugam  
 petiere cives, clade funesta iacens 635  
 obtexit agros miles — exultes licet  
 victorque fratris spolia deiecti geras:  
 frangenda palma est. quale tu hoc bellum putas,  
 in quo execrandum victor admittit nefas,  
 si gaudet? hunc quem vincere infelix cupis, 640  
 cum viceris, lugebis. infaustas age  
 dimitte pugas, libera patriam metu,  
 luctu parentes. POL. Sceleris et fraudis suae  
 poenas nefandus frater ut nullas ferat?  
 IOC. Ne metue. poenas et quidem solvet graves: 645  
 regnabit. est haec poena. si dubitas, avo  
 patrique crede: Cadmus hoc dicet tibi  
 Cadmique proles. sceptra Thebano fuit  
 impune nulli gerere, nec quisquam fide

619 mel. usus vir. A || 627 regie robur A<sup>r</sup> || 630 decrevit τ ||  
 631 gladio E || 632 sors ω corr. N. Heinsius p. 59 (cf. Verg.  
 ecl. 9, 5) | petit ψ || 635 petiere. Cives c. f. iacent. Rutgers  
 p. 601 (coll. Aesch. Septem 200) || 636 miles agros E || 638 tu  
 id b. A || 643 luctu par. scel. et om. E (habet: POL. fr. s.) | POL.  
 om. A || 645 ioc. om. A || 646 haec est ψ || 648 Thebarum α ||  
 649 Imp. n. g. | Nec q. f. E


rupta tenebit illa: iam numeres licet  
fratrem inter istos. 650

ET. Numeret, est tanti mihi  
cum regibus iacere. te turbæ exulum  
ascribo. POL. Regna, dummodo invisus tuis.  
ET. Regnare non vult esse qui invisus timet:  
simul ista mundi conditor posuit deus, 655  
odium atque regnum: regis hoc magni reor,  
odia ipsa premere. multa dominantem vetat  
amor suorum; plus in iratos licet.

qui vult amari, languida regnat manu.  
IOC. Invisa numquam imperia retinentur diu. 660  
ET. Præcepta melius imperi reges dabunt;  
exilia tu dispone. pro regno velim —  
IOC. Patriam penates coniugem flammis dare?  
ET. Imperia pretio quolibet constant bene.

650 tenebat A | numeres ex numeris E<sup>1</sup> || 651 istos. POL.  
numero et est ω corr. B. Schmidt de em. Sen. trag. p. 20 (POL.  
Numero. ET. Me est tanti mihi Birt p. 523) || 652 iacere et  
urbi exulum E | te t. e. et v. 653 Iocastae dantur A || 653 as-  
scribi E | verba Regna — tuis Polynici dat Bothe || 654 POL. ω  
corr. Grote || 656 regis et A (ecl. Lugd.) || 657 ista A (ecl.  
Lugd.) || 660—662<sup>a</sup> Iocastae, 662<sup>b</sup>—664 Polynici dantur A,  
660 Iocastae, 661 Polynici (corr. Grote), 663 Iocastae, 664 Poly-  
nici (corr. Leo) dat E || 662 oppone E

PHOENISSARVM TRAGOEDIA FINIT | INCIPIT MEDEA E sequitur  
Hippolytus A



M E D E A

PERSONAE

I MEDEA

II IASON

CREO

III NVTRIX

NVNTIVS

CHORVS CORINTHIORVM

SCAENA CORINTHI



## MEDEA

Di coniugales tuque genialis tori,  
 Lucina, custos quaeque domituram freta  
 Tiphyn novam frenare docuisti ratem,  
 et tu, profundi saeve dominator maris,  
 clarumque Titan dividens orbi diem, 5  
 tacitisque praebens conscium sacris iubar  
 Hecate triformis, quosque iuravit mihi  
 deos Iason, quosque Medae magis  
 fas est precari: noctis aeternae chaos,  
 aversa superis regna manesque impios 10  
 dominumque regni tristis et dominam fide  
 meliore raptam, voce non fausta precor.  
 nunc, nunc adeste, sceleris ultrices deae,  
 crinem solutis squalidae serpentibus,  
 atram cruentis manibus amplexae facem, 15  
 adeste, thalamis horridae quondam meis  
 quales stetitistis: coniugi letum novae  
 letumque socero et regiae stirpi date,  
 date peius aliud, quod precer sponso malum:  
 vivat, per urbes erret ignotas egens 20  
 exul pavens invisus incerti laris,  
 iam notus hospes limen alienum expetat, 22<sup>a</sup> 22<sup>b</sup>  
 me coniugem optet quoque non aliud queam 22<sup>a</sup> 23<sup>b</sup>

2 domitorem freti A || 10 adversa A || 13 adeste adeste A ||  
 19 mihi peius aliquid (aliquod α) ω corr. Richter symb. p. 33  
 (mens p. agitat Tachau m. p. a. q. p. sp. manet Leo) || 22<sup>a</sup> et  
 23<sup>a</sup> transposuit Leo

peius precari, liberos similes patri  
 similesque matri. parta iam, parta ultio est: 25  
 peperit. querelas verbaque in cassum sero?  
 non ibo in hostes? manibus excutiam faces  
 caeloque lucem. spectat hoc nostri sator  
 Sol generis, et spectatur, et curru insidens  
 per solita puri spatia decurrit poli? 30  
 non redit in ortus et remetitur diem?  
 da, da per auras curribus patriis vehi,  
 committe habenas, genitor, et flagrantibus  
 ignifera loris tribue moderari iuga:  
 gemino Corinthos litore opponens moras 35  
 cremata flammis maria committat duo.  
 hoc restat unum, pronubam thalamo feram  
 ut ipsa pinum postque sacrificas preces  
 caedam dicatis victimas altaribus.  
 per viscera ipsa quaere supplicio viam, 40  
 si vivis, anime, si quid antiqui tibi  
 remanet vigoris; pelle femineos metus  
 et inhospitalem Caucasum mente indue.  
 quodcumque vidit Pontus aut Phasis nefas,  
 videbit Isthmos. effera ignota horrida, 45  
 tremenda caelo pariter ac terris mala  
 mens intus agitat: vulnera et caedem et vagum  
 funus per artus — levia memoravi nimis:  
 haec virgo feci; gravior exurgat dolor:  
 maiora iam me scelera post partus decent. 50  
 accingere ira teque in exitium para  
 furore toto. paria narrentur tua  
 repudia thalamis: quo virum linques modo?  
 hoc quo secuta es. rumpe iam segnes moras:  
 quae scelere parta est, scelere linquenda est domus. 55

25 pariat. iam p. ultio est E || 26 fero A || 29 spectator A |  
 currus E || 32 patris A || 33 comitte E || 35 corinthus A | litori ω  
 corr. Gronov || 36 committet Lipsius || 37 prenubam E ψ || 43 causa  
 summente E || 44 phasis aut pontus A || 53 linquis ω corr. τ ||  
 55 pacta A | linquetur domus A linquatur d. τ

## CHORVS

Ad regum thalamos numine prospero  
 qui caelum superi quique regunt fretum  
 assint cum populis rite faventibus.  
 primum sceptriferis colla Tonantibus  
 taurus celsa ferat tergore candido; 60  
 Lucinam nivei femina corporis  
 intemptata iugo placet et asperi  
 Martis sanguineas quae cohibet manus,  
 quae dat belligeris foedera gentibus  
 et cornu retinet divite copiam, 65  
 donetur tenera mitior hostia.  
 et tu, qui facibus legitimis ades,  
 noctem discutiens auspice dextera  
 huc incede gradu marcidus ebrio,  
 praecingens roseo tempora vinculo. 70  
 et tu quae, gemini praevia temporis,  
 tarde, stella, redis semper amantibus:  
 te matres, avide te cupiunt nurus  
 quamprimum radios spargere lucidos.

Vincit virgineus decor 75  
 longe Cecropias nurus,  
 et quas Taygeti iugis  
 exercet iuvenum modo  
 muris quod caret oppidum,  
 et quas Aonius latex 80  
 Alpheosque sacer lavat.

Si forma velit aspici,  
 cedent Aesonio duci

59 primus A || 61 feminam E || 73 avidae E corr. de Wilamowitz || 75—81 choro virginum, 82—92 iuvenum, 93 sqq. virginum choro attribuit Bentley. Cf. Leo Mus. Rhen. 1897 p. 511 n. 3 || 75 uicit A<sup>r</sup> (exc. B 10) || 77 quae A || 78 exercent A || 81 Alpheusque A || 82 post 83 A

proles fulminis improbi  
 aptat qui iuga tigribus, 85  
 nec non, qui tripodas movet,  
 frater virginis asperae,  
 cedit Castore cum suo  
 Pollux caestibus aptior.  
 sic, sic, caelicolae, precor, 90  
 vincat femina coniuges,  
 vir longe superet viros.

Haec cum femineo constitit in choro,  
 unius facies praenitet omnibus.  
 sic cum sole perit sidereus decor, 95  
 et densi latitant Pleiadum greges  
 cum Phoebe solidum lumine non suo  
 orbem circuitis cornibus alligat.

\* \* \*

ostro sic niveus puniceo color  
 perfusus rubuit, sic nitidum iubar 100  
 pastor luce nova roscidus aspicit.  
 ereptus thalamis Phasidis horridi,  
 effrenae solitus pectora coniugis  
 invita trepidus prendere dextera,  
 felix Aeoliam corripe virginem , 105  
 nunc primum soceris, sponse, volentibus.  
 concesso, iuvenes, ludite iurgio,  
 hinc illinc, iuvenes, mittite carmina:  
 rara est in dominos iusta licentia.

Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei, 110  
 multifidam iam tempus erat succendere pinum:  
 excute sollemnem digitis marcentibus ignem.

93 uirgineo A<sup>τ</sup> || 94 praeeminet τ preminet A(τ) || 95 sideribus A || 97 solitum A || post 98 hanc fere sententiam desiderat Leo: talem dum iuuenis conspicit, en rubor | perfudit subito purpureus genas cf. *Mus. Rhen.* 1897 p. 515 n. 2 || 99 pheniceo ψ || 102 horridis A || 105 Aoniam prendito virginem A || 106 socero E

festa dicax fundat convicia fescenninus,  
 solvat turba iocos — tacitis eat illa tenebris,  
 si qua peregrino nubit fugitiva marito. 115

## MEDEA NVTRIX

Occidimus, aures pepulit hymenaeus meas.  
 vix ipsa tantum, vix adhuc credo malum.  
 hoc facere Iason potuit, erepto patre  
 patria atque regno, sedibus solam exteris  
 deserere durus? merita contempsit mea, 120  
 qui scelere flammam viderat vinci et mare?  
 adeone credit omne consumptum nefas?  
 incerta, vaecors, mente vaesana feror  
 partes in omnes; unde me ulcisci queam?  
 utinam esset illi frater! est coniunx: in hanc 125  
 ferrum exigatur. hoc meis satis est malis?  
 si quod Pelasgae, si quod urbes barbarae  
 novere facinus quod tuae ignorent manus,  
 nunc est parandum. scelera te hortentur tua  
 et cuncta redeant! inclitum regni decus 130  
 raptum et nefandae virginis parvus comes  
 divisus ense, funus ingestum, patri  
 sparsumque ponto corpus, et Peliae senis  
 decocta aeno membra: funestum impie  
 quam saepe fudi sanguinem, et nullum scelus 135  
 irata feci: suasit infelix amor.

Quid tamen Iason potuit, alieni arbitri  
 iurisque factus? debuit ferro obvium  
 offerre pectus — melius, a melius, dolor  
 furiose, loquere. si potest, vivat meus, 140

115 fugitura A furtiva N. Heinsius p. 120 || 116 MEDEA  
 NVTRIX Eψ om. A || 121 scelera E || 122 credet E || 123 non  
 sana A || 126 sat est A || 127 urbis E || 128 ignorant A || 129 pa-  
 trandum Bothe || 132 incestum A || 135 vidi E || 136 saevit ω  
 corr. Peiper coll. Ov. M. VII 18, VIII 90 (movit Leo) || 139 af-  
 ferre E | ac melius d. E

ut fuit, Iason; si minus, vivat tamen  
 memorque nostri muneris parcat mihi.  
 culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens  
 coniugia solvit quique genetricem abstrahit  
 gnatis et arto pignore astrictam fidem 145  
 dirimit: petatur solus hic, poenas luat  
 quas debet. alto cinere cumulabo domum;  
 videbit atrum verticem flammis agi  
 Malea longas navibus flectens moras.  
 NVTR. Sile, obsecro, questusque secreto abditos 150  
 manda dolori. gravia quisquis vulnera  
 patiente et aequo mutus animo pertulit,  
 referre potuit: ira quae tegitur nocet;  
 professa perdunt odia vindictae locum.  
 MED. Levis est dolor qui capere consilium potest 155  
 et clepere sese: magna non latitant mala.  
 libet ire contra. NVTR. Siste furialem impetum,  
 alumna: vix te tacita defendit quies.  
 MED. Fortuna fortes metuit, ignavos premit.  
 NVTR. Tunc est probanda, si locum virtus habet. 160  
 MED. Numquam potest non esse virtuti locus.  
 NVTR. Spes nulla rebus monstrat afflictis viam.  
 MED. Qui nil potest sperare, desperet nihil.  
 NVTR. Abiere Colchi, coniugis nulla est fides  
 nihilque superest opibus e tantis tibi. 165  
 MED. Medea superest, hic mare et terras vides  
 ferrumque et ignes et deos et fulmina.  
 NVTR. Rex est timendus. MED. Rex meus fuerat pater.  
 NVTR. Non metuis arma? MED. Sint licet terra edita.  
 NVTR. Moriere. MED. Cupio. NVTR. Profuge. MED. Pae-  
 nituit fugae. 170

142 muneri A m. nostri m. parcam meo Gronov m. n. vul-  
 neri p. m. M. Müller p. 21 | meo ω corr. Richter cf. 435 ||  
 144 genetricem E || 152 motus A || 154 produunt ecl. Lugd. ψ ||  
 156 om. A(α) (exc. R 10) del. Bentley || 163 qui nichil E || 168<sup>a</sup> et  
 172<sup>b</sup> singulis versibus scripti, 168<sup>b</sup>—172<sup>a</sup> et 173 sic, ut binos  
 unusquisque versus habeat sermones E || 170 fuge A

NVTR. Medéa — MED. Fiam. NVTR. Mater es. MED. Cui  
sim vides.

NVTR. Profugere dubitas? MED. Fugiam, ut ulciscar  
prius.

NVTR. Vindex sequetur. MED. Forsan inveniam moras.

NVTR. Compesce verba, parce iam, demens, minis  
animosque minue: tempori aptari decet. 175

MED. Fortuna opes auferre, non animum potest.

sed cuius ictu regius cardo strepit?

ipse est Pelasgo tumidus imperio Creó.

### CREO MEDEA

Medea, Colchi noxium Aetæe genus,  
nondum meis exportat e regnis pedem? 180

molitur aliquid: nota fraus, nota est manus.

cui parcat illa quemve securum sinet?

abolere propere pessimam ferro luem

equidem parabam: precibus evicit gener.

concessa vita est, liberet fines metu 185

abeatque tuta. fert gradum contra ferox

minaxque nostros propius affatus petit.

arcete, famuli, tactu et accessu procul,

iubete sileat. regium imperium pati

aliquando discat. vade veloci fuga 190

monstrumque saevum horribile iamdudum avehe.

MED. Quod crimen aut quæ culpa multatur fuga?

CR. Quæ causa pellat, innocens mulier rogat.

MED. Si iudicas, cognosce, si regnas, iube.

CR. Aequum atque iniquum regis imperium feras. 195

MED. Iniqua numquam regna perpetuo manent.

171 fugiam A *cf. N. Heinsius p. 121* || 172 fugiam sed EA  
corr. α || 173 forsitan A<sup>r</sup> || 178 est om. A<sup>r</sup> || *supra* 179 CREO  
IDEM E || 179 *ęte i. ras. 3 litt. E<sup>s</sup> oete A<sup>r</sup>* || 180 e om. E ||  
181, minus E || 190 ualde u. fuga E uade u. uia A || 193 roget  
M. Müller Ph. p. 265 || 194<sup>b</sup> Creonti dat, deleto v. 195 Leo; at  
*cf. Richter symb. p. 33* || 196—274 extant B

CR. I, querere Colchis. MED. Redeo: qui advexit, ferat.  
CR. Vox constituto sera decreto venit.

MED. Qui statuit aliquid parte inaudita altera,  
aequum licet statuerit, haud aequus fuit. 200

CR. Auditus a te Pelia supplicium tulit?  
sed fare, causae detur egregiae locus.

MED. Difficile quam sit animum ab ira flectere  
iam concitatum quamque regale hoc putet  
sceptris superbas quisquis admovit manus, 205  
qua coepit ire, regia didici mea.

quamvis enim sim clade miseranda obruta,  
expulsa supplex sola deserta, undique  
adflcta, quondam nobili fulsi patre  
avoque clarum Solè deduxi genus. 210

quodcumque placidis flexibus Phasis rigat  
Pontusque quicquid Scythicus a tergo videt,  
palustribus qua maria dulcescunt aquis,  
armata peltis quicquid exterret cohors  
inclusa ripis vidua Thermodontiis, 215

hoc omne noster genitor imperio regit.  
generosa, felix, decore regali potens  
fulsi: petebant tunc meos thalamos proci,  
qui nunc petuntur. rapida fortuna ac levis  
praecepsque regno eripuit, exilio dedit. 220

confide regnis, cum levis magnas opes  
huc ferat et illuc casus — hoc reges habent  
magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies:  
prodesse miseris, supplices fido lare  
protegere. solum hoc Colchico regno extuli, 225  
decus illud ingens Graeciae et florem inclitum,

197<sup>a</sup> et 197<sup>b</sup> duobus versibus R | cholchis E | auexit ψ ||  
200 aecum R | haut aecus R || 201 Pelias ω corr. α || 204 hoc  
caput EA || 205 cf. Leo II 378 || 208 suplex R || 209 afflcta EA  
adflcta R || 211 riga[t obducta] R || 213 durescunt RE || 214 peltis:  
t ras. ex l (ut vid.) E<sup>2</sup> | exercet ψ || 218 tum BA | thal. uiri A ||  
219 tunc E | rabida BE || 220 erip. et ex. EA | et om. R ||  
226 illut R | Graeciae florem R gloriae florem EA corr. Stude-  
mund | inclutum R



praesidia Achivae gentis et prolem deum,  
 servasse memet. munus est Orpheus meum,  
 qui saxa cantu mulcet et silvas trahit,  
 geminumque numen Castor et Pollux meum est 230  
 satique Borea quique trans Pontum quoque  
 summota Lynceus lumine inmisso videt,  
 omnesque Minyae: nam dueem taceo ducum,  
 pro quo nihil debetur: hunc nulli imputo;  
 vobis revexi ceteros, unum mihi. 235  
 incesse nunc et cuncta flagitiaingere.  
 fatebor: obici crimen hoc solum potest,  
 Argo reversa. virgini placeat pudor  
 paterque placeat: tota cum ducibus ruet  
 Pelasga tellus, hic tuus primum gener 240  
 tauri ferocis ore flammanti occidet.  
 fortuna causam quae volet nostram premat,  
 non paenitet servasse tot regum decus.  
 quodcumque culpa praemium ex omni tuli,  
 hoc est penes te. si placet, damna ream; 245  
 sed redde crimen. sum nocens, fateor, Creο:  
 talem sciebas esse, cum genua attigi  
 fidemque supplex praesidis dextrae peti;  
 terra hac miseriis angulum ac sedem rogo  
 latebrasque viles: urbe si pelli placet, 250  
 detur remotus aliquis in regnis locus.  
 CR. Non esse me qui scepra violentus geram  
 nec qui superbo miserias calcem pede,  
 testatus equidem videor haud clare parum  
 generum exulem legendo et adflictum et gravi 255

230 munus  $\omega$  corr. Richter symb. p. 34 || 232 inmisso R im-  
 misso EA || 233 ducum taceo ducem BA || 234 nullum puto E ||  
 236 flammaingere A<sup>r</sup> || 238 Argos A<sup>r</sup> || 240 primus A || 241 fra-  
 glanti R flagranti A || 242 qua *et* || 244 tulit E(R?) || 248 su-  
 plex R | dextra EE || 249 terram BE terra A | ac BA hac  $\psi$   
 om. E | iterum m. Leo cf. Richter symb. p. 10 | miseris R $\tau$  | et se-  
 dem BA || 252 violenter A || 254 video R | aut BA | dare A ||  
 255 adflictum R afflictum: u *ex* e E<sup>1</sup> || 255 sq. tui Amore p. q.  
 quam Bentley

- terrore pavidum, quippe quem poenae expetit  
 letoque Acastus regna Thessalica optinens.  
 senio trementem debili atque aevo gravem  
 patrem peremptum queritur et caesi senis  
 discissa membra, cum dolo captae tuo 260  
 piae sorores impium auderent nefas.  
 potest Iason, si tuam causam amoves,  
 suam tueri: nullus innocuum cruor  
 contaminavit, a fuit ferro manus  
 proculque vestro purus a coetu stetit. 265  
 tu, tu malorum machinatrix facinorum,  
 cui feminae nequitia ad audenda omnia,  
 robur virile est, nulla famae memoria,  
 egredere, purga regna, letales simul  
 tecum aufer herbas, libera cives metu, 270  
 alia sedens tellure sollicita deos.  
 MED. Profugere cogis? redde fugienti ratem  
 vel redde comitem — fugere cur solam iubes?  
 non sola veni. bella si metuis pati,  
 utrumque regno pelle. cur sontes duos 275  
 distinguis? illi Pelia, non nobis iacet;  
 fugam, rapinas adice, desertum patrem  
 lacerumque fratrem, quicquid etiam nunc novas  
 docet maritus coniuges, non est meum:  
 totiens nocens sum facta, sed numquam mihi. 280  
 CR. Iam exisse decuit. quid seris fando moras?  
 MED. Supplex recedens illud extremum precor,  
 ne culpa natos matris insontes trahat.  
 CR. Vade: hos paterno ut genitor excipiam sinu.  
 MED. Per ego auspicatos regii thalami toros, 285

256 quippe quem R quippe om. E quippe te A || 260 discissa E | coeptae E || 263 nullus (sic) innocuus R || 266 sed tu A || 267 cui feminae (litt. e incerta) R cui feminea EA feminea cui Bothe | audenda RE<sup>2</sup> audende E<sup>1</sup> audendum A || 268 virile robur (om. est) A || 272 ratim (i non certa) R || 273 vel redde ω, et r. Leo || 276 Pelias Eψ || 278 nunc nota E || 279 conuoces E

- per spes futuras perque regnorum status,  
 Fortuna varia dubia quos agitat vice,  
 precor, brevem largire fugienti moram,  
 dum extrema natis mater infigo oscula,  
 fortasse moriens. CR. Fraudibus tempus petis. 290  
 MED. Quae fraus timeri tempore exiguo potest?  
 CR. Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.  
 MED. Parumne miserae temporis lacrimis negas?  
 CR. Etsi repugnat precibus infixus timor,  
 unus parando dabitur exilio dies. 295  
 MED. Nimis est, recidas aliquid ex isto licet:  
 et ipsa propero. CR. Capite supplicium lues,  
 clarum priusquam Phoebus attollat diem  
 nisi cedis Isthmo. sacra me thalami vocant,  
 vocat precari festus Hymenaeo dies. 300

## CHORVS

- Audax nimium qui freta primus  
 rate tam fragili perfida rupit  
 terrasque suas posterga videns  
 animam levibus credidit auris,  
 dubioque secans aequora cursu 305  
 potuit tenui fidere ligno  
 inter vitae mortisque vias  
 nimium gracili limite ducto. 308  
 Candida nostri saecula patres 329  
 videre, procul fraude remota. 330  
 sua quisque piger litora tangens  
 patrioque senex factus in arvo,  
 parvo dives, nisi quas tulerat

287 quo sagittat E || 294 infelix t. A || 296 nimis est et ex hoc aliquid abscondas licet A || 297 CRE. et i. propera | Capite (novo versu) A || 298 clarus A || 300 om. E || 301 adfert *Diomedes*. Cf. *praef. cap. II* || 301—379 *dimetri tribus monometris* (317 nomen h., 328 sip. v., 379 ult. Th.) ω || 303 post terga A cf. *Thomas, Hermes 28, 309* || 305. 306 *del. Leo* || post v. 308 *Richter reposituit vv. 329—334, traditum ordinem defendit M. Müller p. 21 sq.*

natale solum, non norat opes:	334
nondum quisquam sidera norat,	309
stellisque quibus pingitur aether	310
non erat usus, nondum pluvias	.
Hyadas poterat vitare ratis,	
non Oleniae lumina caprae,	
nec quae sequitur flectitque senex	
Attica tardus plaustra Bootes,	315
nondum Boreas,	
nondum Zephyrus nomen habebant.	
Ausus Tiphys pandere vasto	
carbasa ponto	
legesque novas scribere ventis:	320
nunc lina sinu tendere toto,	
nunc prolato pede transversos	
captare notos, nunc antemnas	
medio tutas ponere malo,	
nunc in summo religare loco,	325
cum iam totos avidus nimium	
navita flatus optat et alto	
rubicunda tremunt sipara velo.	328
bene dissaepti foedera mundi	335
traxit in unum Thessala pinus	
iussitque pati verbera pontum,	
partemque metus fieri nostri	
mare sepositum.	
dedit illa graves improba poenas	340
per tam longos ducta timores,	
cum duo montes, claustra profundi,	
hinc atque illinc subito impulsu	
velut aetherio gement sonitu,	
nubesque ipsas	
mare deprensam spargeret austris.	345

312 poterant v. rates A || 213 sidera caprae A || 314 non quae A | defletque EA corr. ψ || 315 arctica A | boetes A || 320 nautis ci. Richter symb. p. 34 || 328 suppara A || 345 spargeret astra A sp. astris E sp. arcis Madvig II 123 corr. Peiper

palluit audax Tiphys et omnes labente manu misit habenas, Orpheus tacuit torpente lyra ipsaque vocem perdidit Argo. quid cum Siculi virgo Pelori,	350
rabidos utero succincta canes, omnis pariter solvit hiatus? quis non totos horruit artus totiens uno latrante malo? quid cum Ausonium dirae pestes voce canora mare mulcerent, cum Pieria resonans cithara Thracius Orpheus solitam cantu retinere rates paene coegit Sirena sequi?	355
quod fuit huius pretium cursus? aurea pellis	360
maiusque mari Medea malum, merces prima digna carina.	361 <sup>b</sup>
Nunc iam cessit pontus et omnes patitur leges: non Palladia compacta manu regum referens inclita remos quaeritur Argo — quaelibet altum cumba pererrat; terminus omnis motus et urbes muros terra posuere nova, nil qua fuerat sede reliquit pervius orbis:	365
Indus geliidum potat Araxen, Albin Persae Rhenumque bibunt. venient annis saecula seris, quibus Oceanus vincula rerum laxet et ingens pateat tellus	370
	375

*coll. Ovid. Tr. I 10, 33, turbatum dipodiarum ordinem restituit  
Richter | depressum EA<sup>r</sup> corr. Lipsius (ψ?) || 349 Argos A<sup>r</sup> ||  
352 omnes A || 359 ratem E || 366 regumque ferens ci. Madvig  
l. n. || 369 metus E || 370 novos A || 371 nichil E*

Tethysque novos detegat orbes  
nec sit terris ultima Thule.

### NVTRIX MEDEA

Alumna, celerem quo rapis tectis pedem? 380  
resiste et iras comprime ac retine impetum.

Incerta qualis entheos gressus tulit  
cum iam recepto maenas insanit deo  
Pindi nivalis vertice aut Nysae iugis,  
talis recursat huc et huc motu efferro, 385  
furoris ore signa lymphati gerens.

flammata facies spiritum ex alto citat,  
proclamat, oculos uberi fletu rigat,  
renidet: omnis specimen affectus capit.

quo pondus animi vergat, ubi ponat minas, 391

haeret: minatur aestuat queritur gemit. 390

ubi se iste fluctus franget? exundat furor. 392

non facile secum versat aut medium scelus;  
se vincet: irae novimus veteris notas.

magnum aliquid instat, efferum immane impium: 395

vultum furoris cerno. di fallant metum!

MED. Si quaeris odio, misera, quem statuas modum :  
inuitare amorem. regias egone ut faces  
inulta patiar? segnis hic ibit dies,  
tanto petitus ambitu, tanto datus? 400

dum terra caelum media libratum feret  
nitidusque certas mundus evolvit vices  
numerusque harenis derit et solem dies,  
noctem sequentur astra, dum siccas polus

378 Tiphysque A || 379 tyle vel tile A || 382 pentheos E  
ethneos A (cf. Tro. 674) corr. ψ | cursus A || 384 P. iugalis A ||  
385 huc et illuc Az || 386 lymphatici A || 383 procl. o superi,  
oculos fl. r. A || 391 q. p. istud verget? ubi ponet minas A ||  
390 et 391 commutavit Leo; 390 om. ψ || 394 se iungit E | ue-  
teres A || 398 emitare E metire N. Heinsius p. 122, Madvig  
II 123. Obloquitur Leo II 379

versabit Arctos, flumina in pontum cadent, 405  
 numquam meus cessabit in poenas furor  
 crescetque semper. quae ferarum immanitas,  
 quae Scylla, quae Charybdis Ausonium mare  
 Siculumque sorbens quaeve anhelantem premens  
 Titana tantis Aetna fervebit minis? 410

non rapidus amnis, non procellosum mare  
 Pontusve coro saevus aut vis ignium  
 adiuta flatu possit inhibere impetum  
 irasque nostras: sternam et evertam omnia.

Timuit Creontem ac bella Thessalici ducis? 415  
 amor timere neminem verus potest.

sed cesserit coactus et dederit manus:  
 adire certe et coniugem extremo alloqui  
 sermone potuit — hoc quoque extimuit ferox;  
 laxare certe tempus inmitis fugae 420  
 genero licebat — liberis unus dies

datus est duobus. non queror tempus breve:  
 multum patebit. faciet hic faciet dies

quod nullus umquam taceat — invadam deos  
 et cuncta quatiā. NVTR. Recipe turbatum malis, 425

era, pectus, animum mitiga. MED. Sola est quies,  
 mecum ruina cuncta si video obruta:

mecum omnia abeant. trahere, cum pereas, libet.  
 NVTR. Quam multa sint timenda, si perstas, vide:

nemo potentes aggredi tutus potest. 430

## IASON MEDEA

O dura fata semper et sortem asperam,  
 cum saevit et cum parcit ex aequo malam!

408 ionium m. A || 409 quaeque A || 410 ethne A<sup>r</sup> | ferbuit  
*Madvig. At cf. Richteri disputationem symb. p. 34* || 412 pontus-  
 que A || 413 imitari imp. *Leo, refutat Richier l. n.* || 417 ces-  
 sarit A<sup>r</sup> | conuictus A || 418 ad c. coniugem et E || 422 est  
*om.* A || 423 fac. h. dies faciet E || 430 potentem E || 431 IASON.  
 IDEM (*cf. v. 179*) || 432 mala E

remedia quotiens invenit nobis deus  
 periculis peiora: si vellem fidem  
 praestare meritis coniugis, leto fuit 435  
 caput offerendum; si mori nollem, fide  
 misero carendum. non timor vicit fidem,  
 sed trepida pietas: quippe sequeretur necem  
 proles parentum. sancta si caelum incolis  
 Iustitia, numen invoco ac testor tuum: 440  
 nati patrem vicere. quin ipsam quoque,  
 etsi ferox est corde nec patiens iugi,  
 consulere natis malle quam thalamis reor.  
 constituit animus precibus iratam aggredi.  
 atque ecce, viso memet exiluit, furit, 445  
 fert odia prae se: totus in vultu est dolor.

MED. Fugimus, Iason: fugimus --- hoc non est novum,  
 mutare sedes; causa fugiendi nova est:  
 pro te solebam fugere. discedo exeo,  
 penatibus profugere quam cogis tuis: 450  
 at quo remittis? Phasin et Colchos petam  
 patriumque regnum quaeque fraternus cruor  
 perfudit arva? quas peti terras iubes?  
 quae maria monstras? Pontici fauces freti  
 per quas revexi nobilem regum manum 455  
 adulterum secuta per Symplegadas?  
 parvanne Iolcon, Thessala an Tempe petam?  
 quascumque aperui tibi vias, clausi mihi ---  
 quo me remittis? exuli exilium imperas

433 totiens A || 434 vicem Gronov. || 436 nolim A || 437 ca-  
 rendum est A | uincit uirum A || 438 nece E, sed evanuisse  
 videtur lineola super e (neci in E et Gronov et Ribbeck lege-  
 runt) || 439 o sancta u sancta ω || 447 cf. Leo II 379 || 451 ad  
 quos ω corr. Leo || 453 verba quas p. t. iubes citat Quintilianus  
 cf. praef. cap. II || 455 nobiles regum manus A || 456 adalterum E<sup>1</sup>  
 corr. E<sup>3</sup> || 457 colon E colchon A corr. ψ | ante paepetam E ||  
 459 adfert Ennodius cf. praef. cap. II | exul E exuli Ennodius  
 cum A quo me remittis exulem? exilium imp. Usener Mus.  
 Rhen. 28 p. 391 n. 1.



nec das. eatur. regius iussit gener:	460
nihil recusato. dira suppliciaingere:	
merui. cruentis paelicem poenis premat	
regalis ira, vinculis oneret manus	
clausamque saxo noctis aeternae obruat:	
minora meritis patiar — ingratum caput,	465
revolvat animus igneos tauri halitus	
[interque saevos gentis indonitae metas	
armifero in arvo flammeum Aetiae pecus,]	
hostisque subiti tela, cum iussu meo	
terrigena miles mutua caede occidit;	470
adice expetita spolia Phrixei arietis	
somnoque insum lumina ignoto dare	
insomne monstrum, traditum fratrem neci	
et scelere in uno non semel factum scelus,	
ausasque natas fraude deceptas mea	475
secare membra non revicturi senis:	
per spes tuorum liberum et certum larem,	478
per victa monstra, per manus, pro te quibus	
numquam peperci, perque praeteritos metus,	480
per caelum et undas, coniugi testes mei,	
miserere, redde supplici felix vicem.	482
aliena quaerens regna deserui mea:	477
ex opibus illis, quas procul raptas Scythae	483
usque a perustis Indiae populis agunt,	
quas quia referta vix domus gaza capit,	485
ornamus auro nemora, nil exul tuli	
nisi fratris artus: hos quoque impendi tibi;	
tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor —	
hac dote nupsi. redde fugienti sua.	

465 o ingratum A || 467. 468 del. Leo I 211 || 468 aetiae E  
oete A corr. α || 472 summoque E || 475 iussasque ω corr.  
IV Heinsius p. 123 cf. v. 261 || 477 posuit Leo post v. 482 (post  
v. 487 Delrio) | aliena sequens A || 483 sitbae E || 484 petunt A ||  
485 quasque ref. A | gazas ω corr. de Wilamowitz (gaza vel  
gazis Bentley) || 486 nichil E || 488 tibi pater tibi frater E tibi  
frater pater A corr. α

- IAS. Perimere cum te vellet infestus Creo, 490  
 lacrimis meis evictus exilium dedit.
- MED. Poenam putabam: munus ut video est fuga.
- IAS. Dum licet abire, profuge teque hinc eripe:  
 gravis ira regum est semper. MED. Hoc suades mihi,  
 praestas Creusae: paelicem invisam amoves. 495
- IAS. Medea amores obicit? MED. Et caedem et dolos.
- IAS. Obicere tandem quod potes crimen mihi?
- MED. Quodcumque feci. IAS. Restat hoc unum insuper,  
 tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.
- MED. Tua illa, tua sunt illa: cui prodest scelus 500  
 is fecit — omnes coniugem infamem arguant,  
 solus tuere, solus insontem voca:  
 tibi innocens sit quisquis est pro te nocens.
- IAS. Ingrata vita est cuius acceptae pudet.
- MED. Retinenda non est cuius acceptae pudet. 505
- IAS. Quin potius ira concitum pectus doma,  
 placare natis. MED. Abdico eiuro abruo —  
 meis Creusa liberis fratres dabit?
- IAS. Regina natis exulum, afflictis potens.
- MED. Ne veniat umquam tam malus miseris dies, 510  
 qui prole foeda misceat prolem inclitam.  
 [Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus]
- IAS. Quid, miscra, meque teque in exitium trahis?  
 abscede quaeso. MED. Supplicem audivit Creo.
- IAS. Quid facere possim, loquere. MED. Pro me? vel  
 scelus. 515
- IAS. Hinc rex et illinc — MED. Est (et hic maior metus)  
 Medea. nos †configere. certemus sine,  
 sit pretium Iason. IAS. Cedo defessus malis.

496 mores E | obicis  $\psi$  || 497 potest E | crimen quod p. t. A ||  
 501 sontem et vel Colchidem Bentley || 507 abiuro Bentley ||  
 509 Medae continuatur  $\psi$  || 510 non A cf. Richter symb. p. 6 |  
 malis E<sup>1</sup> corr. E || 512 sisyphi E versus del. Richter || 513 exi-  
 lium  $\omega$  corr.  $\alpha$  || 516 Est et his  $\omega$  corr. M. Müller Ph. p. 265 ||  
 vv. 516 — 520 interpolatori tribuendos esse statuit Leo II 379 ||  
 517 confige  $\alpha$  cum rege Bücheler

et ipsa casus saepe iam expertos time.

MED. Fortuna semper omnis infra me stetit. 520

IAS. Acastus instat. MED. Propior est hostis Creο:

utrumque profuge. non ut in socerum manus

armes nec ut te caede cognata inquines

Medea cogit: innocens mecum fuge.

IAS. Et quis resistet, gemina si bella ingruant, 525

Creο atque Acastus arma si iungant sua?

MED. His adice Colchos, adice et Aeeten ducem,

Scythas Pelasgis iunge: demersos dabo.

IAS. Alta extimesco sceptrā. MED. Ne cupias vide.

IAS. Suspecta ne sint, longa colloquia amputa. 530

MED. Nunc summe toto Iuppiter caelo tona,

intende dextram, vindices flammās para

omnemque ruptis nubibus mundum quate.

nec deligenti tela librentur manu

vel me vel istum: quisquis e nobis cadet 535

nocens peribit, non potest in nos tuum

errare fulmen. IAS. Sana meditari incipe

et placida fare. si quod ex soceri domo

potest fugam levare solamen, pete.

MED. Contemnere animus regias, ut scis, opes 540

potest soletque; liberos tantum fugae

habere comites liceat in quorum sinu

lacrimas profundam. te novi nati manent.

IAS. Parere precibus cupere me fateor tuis;

pietas vetat: namque istud ut possim pati, 545

non ipse memet cogat et rex et socer.

haec causa vitae est, hoc perusti pectoris

curis levamen. spiritu citius queam

carere, membris, luce. MED. Sic natos amat?

520 intra A || 521 MED. non hoc loco sed ante v. 522  
habet A || 522 nolo ut A || 525 ingruant E || 527 aetem E  
oetem A corr. α || 534 diligenti α corr. Bothe ex Ascensiana |  
manum E || 535 in me vel i. A || 538 si quid A || 545 istud non  
possum (haud p. ψ). A || 546 non ei ipse A || 549 signatos E si  
hic natos A

bene est, tenetur, vulnere patuit locus. — 550  
 suprema certe liceat abeuntem loqui  
 mandata, liceat ultimum amplexum dare:  
 gratum est et illud. voce iam extrema peto,  
 ne, si qua noster dubius effudit dolor,  
 maneant in animo verba: melioris tibi 555  
 memoria nostri sedeat; haec irae data  
 oblitterentur. IAS. Omnia ex animo expuli  
 precorque et ipse, fervidam ut mentem regas  
 placideque tractes: miserias lenit quies.

MED. Discessit. itane est? vadis oblitus mei 560  
 et tot meorum facinorum? excidimus tibi?  
 numquam excidemus. hoc age, omnis advoca  
 vires et artes. fructus est scelerum tibi  
 nullum scelus putare. vix fraudi est locus:  
 timemur. hac aggredere, qua nemo potest 565  
 quicquam timere. perge, nunc aude, incipe  
 quicquid potest Medea, quicquid non potest.

Tu, fida nutrix, socia maeroris mei  
 variisque casus, misera consilia adiuva.  
 est palla nobis, munus aetherium, domus 570  
 decusque regni, pignus Aetæ datum  
 a Sole generis, est et auro textili  
 monile fulgens quodque gemmarum nitor  
 distinguit aurum, quo solent cingi comae.  
 haec nostra nati dona nubenti ferant, 575  
 sed ante diris inlita ac tincta artibus.  
 vocetur Hecate. sacra letifica appara:  
 statuantur arae, flamma iam tectis sonet.

554 ne qua si A<sup>r</sup> || 555 melior (sed m. ψ) A || 556 sub-  
 eat A || 558 ipsa ψ || 562 excides E | omnes A || 566 perge  
 nunc, aude Lco || 567 potes — pōtes A | Medea om. E ||  
 570 aethereae A || 571 aete E oete A corr. α || 572 a. S. gem-  
 mis ψ || 573 quique ci. Gronov, Bentley || 577 luctifica A ||  
 578 struantur A

## CHORVS

Nulla vis flammae tumidive venti  
 tanta, nec teli metuenda torti, 580  
 quanta cum coniunx viduata taedis  
 ardet et odit;

non ubi hibernos nebulosus imbres  
 Auster advexit properatque torrens 585  
 Hister et iunctos vetat esse pontes  
 ac vagus errat;

non ubi impellit Rhodanus profundum,  
 aut ubi in rivos nivibus solutis  
 sole iam forti medioque vere  
 tabuit Haemus. 590

caecus est ignis stimulatus ira  
 nec regi curat patiturve frenos  
 aut timet mortem: cupit ire in ipsos  
 obuius enses.

parcite, o divi, veniam precamur, 595  
 vivat ut tutus mare qui subegit.  
 sed furit vinci dominus profundi  
 regna secunda.

ausus aeternos agitare currus  
 immemor metae iuvenis paternae 600  
 quos polo sparsit furiosus ignes  
 ipse recepit.

579—594 extant in *Thuaneo* || 579 tumidi euenti T tumi-  
 dique uenti A || 580 tanta necta lima uendat sic T || 581 taedis  
 om. T || 583 nubilosus T || 584 aduxit T || 585 cunctos T | e(sse  
 pontes om.) T || 586 erat T || 587 ubi pellit E ubi pullit T ||  
 589 forte ex fortis T || 590 tabuit themuf T || 593 haud A |  
 cupit in ras. pr. m. T || 597 sat f. M. Müller Ph. p. 266 || 599 ae-  
 terno sagittare E

constitit nulli via nota magno:  
vade qua tutum populo priori,  
rumpe nec sacro violente sancta  
foedera mundi. 605

Quisquis audacis tetigit carinae  
nobiles remos nemorisque sacri  
Pelion densa spoliavit umbra,  
quisquis intravit scopulos vagantes 610  
et tot emensus pelagi labores  
barbara funem religavit ora  
raptor externi rediturus auri,  
exitu diro temerata ponti  
iura piavit. 615

exigit poenas mare provocatum:  
Tiphys in primis, domitor profundi,  
liquit indocto regimen magistro;  
litore externo, procul a paternis  
occidens regnis tumuloque vili 620  
tectus ignotas iacet inter umbras.  
Aulis amissi memor inde regis  
portibus lentis retinet carinas  
stare querentes.

ille vocali genitus Camena, 625  
cuius ad chordas modulante plectro  
restitit torrens, siluere venti,  
cum suo cantu volucris relicto  
adfuit tota comitante silva,  
Thracios sparsus iacuit per agros, 630

605 r. n. sancti violente mundi A r. n. prisci *ci. F. Ritschl* ||  
606 foedera sacra A || 608 nobiles ramos nemoris sacrati A  
mobiles remos *ci. Gronov* || 610 extremo *ci. Bothe* || 622 auris  
amissae A<sup>r</sup> || 627 siluae repertenti E || 628 cum suo A<sup>r</sup> tum  
suo E | uolucres E

at caput tristi fluitavit Hebro:  
contigit notam Styga Tartarumque,  
non rediturus.

stravit Alcides Aquilone natos,  
patre Neptuno genitum necavit 635  
sumere innumeras solitum figuras:  
ipse post terrae pelagique pacem,  
post feri Ditis patefacta regna,  
vividus ardenti recubans in Oeta  
praebuit saevis sua membra flammis, 640  
tabe consumptus gemini cruoris  
munere nuptae.

stravit Ancaeam violentus ictu  
saetiger; fratrem, Meleagre, matris  
impius mactas morerisque dextra 645  
matris iratae. meruere cuncti  
morte quod crimen tener expiavit  
Herculi magno puer inreperitus,  
raptus, heu, tutas puer inter undas.  
ite nunc, fortes, perarate pontum 650  
fonte timendo.

Idmonem, quamvis bene fata nosset,  
condidit serpens Libycis harenis;  
omnibus verax, sibi falsus uni  
concidit Mopsus caruitque Thebis. 655  
ille si vere cecinit futura,  
exul errabit Thetidis maritus 657

631 ad caput tractus fluuiialis Hebri A ad caput tristis fluitavit Hebri E corr. Gronov || 636 inversas ci. Burmann, inmanes Peiper || 641 gemini prioris E gemina prioris N. Heinsius ad Her. 133 || 643 Antaeum ω corr. α || 644 fratres ψ || 647 mortem A || 649 raptus est A || 651 sorte timenda A (arte t. ci. Koetschau) ponte timendo E corr. Gronov || 653 Lyciis (fluminis Lyci) har. ci. Koetschau || 655 morsus E || 657 erravit ω corr. Gruter, versum del. Leo

fulmine et ponto moriens Oileus	661
* * patrioque pendet	660
crimine poenas:	
igne fallaci nociturus Argis	658
Nauplius praeceps cadet in profundum,	659
coniugis fatum redimens Pheraei	662
uxor impendes animam marito.	
ipse qui praedam spoliūque iussit	
aureum prima revehi carina,	665
arsit accenso Pelias aeno.	
[ustus angustas vagus inter undas.]	
iam satis, divi, mare vindicastis:	
parcite iusso.	

## NVTRIX

Pavet animus, horret, magna perniciēs adest. 670  
 immane quantum augescit et semet dolor  
 accendit ipse vimque praeteritam integrat.  
 vidi furentem saepe et aggressam deos,  
 caelum trahentem: maius his, maius parat  
 Medea monstrum. namque ut attonito gradu 675  
 evasit et penetrabile funestum attigit,  
 totas opes effundit et quicquid diu  
 etiam ipsa timuit promit atque omnem explicat  
 turbam malorum, arcana secreta abdita,

658 ille fallaci E || 658 et 659 post 660 posuit Peiper, eorum in locum v. 661 cum hemistichii lacuna revocato v. 660 || 659 cadit ω corr. Gruter || 660 patrioque pendet (pendit A) crimine poenas uno versu ω crimini poenas patrio rependet crimine patris ci. Bentley. de Wilamowitz, ut Leo refert, post v. 659 (non deletō v. 657) intercisisse coniecit adonium cum strophā heroas nunc Aulide morantes (cf. Leo I 135) recensente et reliquos Argonautarum propinquos scelerisque participes adserente; strophae frustula esse v. 660. 661 (patrioque — Oileus) || 663 impendens E corr. Gronov impendit A || 666 sq. prima verba (ustus et arsit) commutavit, alterum v. delevit Richter || 670 NVTRIX. MEDEA ω || 671 augescit E || 677 effudit ω corr. Leo



et triste laeva congregans sacrum manu 680  
 pestes vocat quascumque ferventis creat  
 harena Libyae quasque perpetua nive  
 Taurus cohercet frigore Arctoo rigens,  
 et omne monstrum. tracta magicis cantibus  
 squamifera latebris turba desertis adest. 685  
 hic saeva serpens corpus immensum trahit  
 trifidamque linguam exertat et quaerit quibus  
 mortifera veniat: carmine audito stupet  
 tumidumque nodis corpus aggestis plicat  
 cogitque in orbis. 'parva sunt' inquit 'mala 690  
 et vile telum est, ima quod tellus creat:  
 caelo petam venena. iam iam tempus est  
 aliquid movere fraude vulgari altius.  
 huc ille vasti more torrentis iacens  
 descendat anguis, cuius immensos duae, 695  
 maior minorque, sentiunt nodos ferae  
 (maior Pelasgis apta, Sidoniis minor)  
 pressasque tandem solvat Ophiuchus manus  
 virusque fundat; adsit ad cantus meos  
 lacessere ausus gemina Python numina. 700  
 et Hydra et omnis redeat Herculea manu  
 succisa serpens, caede se reparans sua.  
 tu quoque relictis pervigil Colchis ades,  
 sopite primum cantibus, serpens, meis.'  
 Postquam evocavit omne serpentum genus, 705  
 congerit in unum frugis infaustae mala:  
 quaecumque generat invius saxis Eryx,  
 quae fert opertis hieme perpetua iugis

680 *comprecans* E *complicans* A (*comparans Bücheler* *com-*  
*primens Koetschau*) *corr. Richter* || 681 *pestesque* A<sup>r</sup> *feruenti* EA  
*corr. ψ (τ Vd.)* || 682 *arcto oriens* E || 684 *coit omne ci. Peiper*  
*en o. m. Koetschau* || 685 *squamea lat. A* || 686 *sera* A || 687 *quae-*  
*rens* A || 692 *iam nunc t. e* A *iam t. e* E *corr. Gronov* || 694—708 *et*  
*722—744 extant in R* || 696 *post 701 R* || 698 *ophiucus* RE *ophi-*  
*ulcus* A<sup>r</sup> || 699 *fundat* R<sup>2</sup> *eandat* R<sup>1</sup> || 700 *phyton* EA || 701 *ma-*  
*nus* RE || 702 *succisa (ante a expuncta t vel i ut vid.)* R | *sede* E ||  
 703 *colchis* R || 706 *contigit (i. e. conligit)* A<sup>r</sup> | *frugiis infaustae* R

sparsus cruore Caucasus Promethei, 711  
 et quis sagittas divites Arabes linunt 711  
 pharetraque pugnax Medus aut Parthi leves, 710  
 aut quos sub axe frigido sucos legunt 712  
 lucis Suebae nobiles Hyrcaniis;  
 quodcumque tellus vere nidifico creat  
 aut rigida cum iam bruna discussit decus 715  
 nemorum et nivali cuncta constrinxit gelu,  
 quodcumque gramen flore mortifero viret  
 cuiusve tortis sucus in radicibus  
 causas nocendi gignit, attrahat manu.  
 Haemonius illas contulit pestes Athos, 720  
 has Pindus ingens, illa Pangaei iugis  
 teneram cruenta falce deposuit comam;  
 has aluit altum gurgitem Tigris premens,  
 Danuvius illas, has per arentes plagas  
 tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis, 725  
 nomenque terris qui dedit Baetis suis  
 Hesperia pulsans maria languenti vado.  
 haec passa ferrum est, dum parat Phoebus diem,  
 illius alta nocte succisus frutex;  
 at huius ungue secta cantato seges. 730

Mortifera carpit gramina ac serpentium  
 saniem exprimit miscetque et obscenas aves  
 maestique cor bubonis et raucae strigis  
 exsecta vivae viscera. haec scelerum artifex  
 discreta ponit; his rapax vis ignium, 735  
 his gelida pigri frigoris glacies inest.

709—721 *om.* R || 709 sparsas E || 710. 711 *transposuit Gronov* ||  
 710 Parthus leuis A || 711 qui EAR *corr.* ψ (α) || 712 quo E ||  
 713 sueui A | hircaneis A<sup>r</sup> hercyeniis α || 714 quodcumque E || 715 de-  
 cussit *Gronov* (*Verg. G. II 404*), *et cf. H. II 383* || 718 dirusve  
 tortis A uirusque tortis E *corr.* *Vahlen* (cuiusque M. Müller

p. 24 || 721 panchaei E || 724 danubius EA *corr.* R | hisperarintes  
 plagis R *ut vid.* || 725 gemmifer (*altera r exp.*) R || 728 est  
*om.* R || 729 succisu R || 730 ad R | ungue R || 731 ac *om.* E |  
 serpentum A<sup>r</sup> || 732 et *om.* R || 734 exsecta R || 735 hic R ||  
 736 dis gel. E

addit venenis verba non illis minus  
metuenda. sonuit ecce vaesano gradu  
canitque. mundus vocibus primis tremit.

## MEDEA

Comprecor vulgus silentum vosque ferales deos 740  
et Chaos caecum atque opacam Ditis umbrosi domum.  
Tartari ripis ligatae squalido Mortis specu  
supplicis, animae, remissis currite ad thalamos novos:  
rota resistat membra torquens, tangat Ixion humum,  
Tantalus securus undas hauriat Pirenidæ. 745  
vos quoque, urnis quas foratis inritus ludit labor, 748  
Danaides, coite: vestras hic dies quaerit manus. 749  
gravior uni poena sedeat coniugis socero mei: 746  
lubricus per saxa retro Sisyphum volvat lapis.  
nunc meis vocata sacris, noctium sidus, veni 750  
pessimos induta vultus, fronte non una minax.

Tibi more gentis vinculo solvens comam  
secreta nudo nemora lustravi pede  
et evocavi nubibus siccis aquas  
egique ad imum maria, et Oceanus graves 755  
interius undas aestibus victis dedit;  
pariterque mundus lege confusa aetheris  
et solem et astra vidit et vetitum mare  
tetigistis, ursae. temporum flexi vices:  
aestiva tellus floruit cantu meo, 760  
coacta messem vidit hibernam Ceres;  
violenta Phasis vertit in fontem vada

740 MEDEA om. ω MED. *versui praef.* E | Vos precor A com-  
precor è vulgus (*pr. m. e exp.*) R | vos quoque R *ut vid.* || 741 ad-  
que R || 742 ligatos squalidae ω *corr.* Peiper | specus ω *corr.*  
F. Haase | ligati — specu Leo || 743 supplicis animae ω sup-  
plicis, manes Leo | at th. R *ut vid.* || 744 oxyon E || *post v.* 745  
Bothe *posuit* 748 sq. || 746 uni om. A || 748 uosque u. q. ψ (uōs-  
que q. u. α) || 761 messem coacta A

et Hister, in tot ora divisus, truces  
compressit undas omnibus ripis piger.

Sonuere fluctus, tumuit insanum mare 765  
tacente vento; nemoris antiqui domus  
emisit umbras vocis imperio meae.  
die relicto Phoebus in medio stetit  
Hyadesque nostris cantibus motae labant:  
adesse sacris tempus est, Phoebe, tuis. 770

tibi haec cruentaserta texuntur manu,  
novena quae serpens ligat,  
tibi haec Typhoeus membra quae discors tulit,  
qui regna concussit Iovis.  
vectoris istic perfidi sanguis inest, 775  
quem Nessus expirans dedit.  
Oetaeus isto cinere defecit rogos,  
qui virus Herculeum bibit.  
piaesoreris, impiae matris, facem  
ultricis Althaeae vides. 780  
reliquit istas invio plumas specu  
Harpyia, dum Zeten fugit.  
his adice pinnae sauciae Stymphalidos  
Lernaea passae spicula.  
sonuistis, arae, tripodas agnosco meos 785  
favente commotos dea.

Video Triviae currus agiles,  
non quos pleno lucida vultu  
pernox agitat,

766 n. a. decus domus E || 767 amisit  $\omega$  corr. M. Müller  
p. 26 | umbram A || 768 meae | die relata N. Heinsius p. 130  
m. | d. reducto Leo cf. M. Müller l. n. || 773 qui  $\alpha$  ( $\psi$ ) | discors  
N. Heinsius || 775 vectoris  $\psi$  || 783 pennas A( $\tau$ ) || 785 sonuistis  
á. é. trip. (apices 2 m. add.) E || 787—842 dimetri insertis mono-  
metris 811 (perc. dedi), 816 (semper Iason), 839 (nova n. faces) EA,  
praeterea monometri in A 800 (sust. ignes), 803 (vitta cap.)

sed quos facie lurida maesta,	790
cum Thessalicis vexata minis	
caelum freno propiore legit.	
sic face tristem pallida lucem	
funde per auras,	793 <sup>b</sup>
horrore novo terre populos	
inque auxilium, Dictynna, tuum	795
pretiosa sonent aera Corinthi.	
tibi sanguineo caespite sacrum	
sollemne damns,	
tibi de medio rapta sepulchro	
fax nocturnos sustulit ignes,	800
tibi nota caput	800 <sup>b</sup>
flexa voces cervice dedi,	
tibi funereo de more iacens	
passos cingit vitta capillos,	
tibi iactatur	
tristis Stygia ramus ab unda,	805
tibi nudato pectore maenas	
sacro feriam bracchia cultro.	
manet noster sanguis ad aras:	
assuesce, manus, stringere ferrum	
carosque pati posse cruores.	810
sacrum laticem percussa dedi.	
quodsi nimium saepe vocari	
quereris votis, ignosce precor:	
causa vocandi, Persei, tuos	
saepius arcus una atque eadem est	815
semper Iason.	
tu nunc vestes tinge Creusae,	
quas cum primum sumpserit, inas	
urat serpens flamma medullas.	
ignis fulvo clusus in auro	820
latet obscurus, quem mihi caeli	

790 lur. metat E || 791 terram Bentley coll. Ag. 107 ||  
 794 terrae E || 803 p. vincit A || 818 inmas E || 819 repens A(x) ||  
 821 obscura E

qui furta luit viscere feti  
 dedit et docuit condere vires  
 arte, Prometheus. dedit et tenui  
 sulphure tectos Mulciber ignes, 825  
 et vivacis fulgura flammae  
 de cognato Phaethonte tuli.  
 habeo en dirae dona Chimaerae,  
 habeo flammam  
 usto tauri gutture raptas, 830  
 quas permixto felle Medusae  
 tacitum iussi servare malum.  
 adde venenis stimulos, Hecate,  
 donisque meis  
 semina flammae condita serva. 835  
 fallant visus tactusque ferant,  
 meet in pectus venasque calor,  
 stillent artus ossaque fument  
 vincatque suas 838<sup>b</sup>  
 flagrante coma nova nupta faces.  
 Vota tenentur: ter latratus 840  
 audax Hecate dedit et sacros  
 edidit ignes face lucifera.

Peracta vis est omnis: huc natos voca,  
 pretiosa per quos dona nubenti feram.  
 ite, ite, nati, matris infaustae genus, 845  
 placate vobis munere et multa prece  
 dominam ac novercam. vadite et celeres domum  
 referte gressus, ultimo amplexu ut fruam.

## CHORVS

Quonam cruenta maenas  
 praeceps amore saevo 850  
 rapitur? quod impotenti

824 artem A | tenuit A || 828 mediae ω corr. Koetschau |  
 clymerae E || 837 stillet E || 842 luctifera A || 844 feras ω corr.  
 Bentley || 847 et nov. A

facinus parat furore? —  
 vultus citatus ira  
 riget et caput feroci  
 quatiens superba motu 855  
 regi minatur ultro.  
 quis credat exulem?

flagrant genae rubentes,  
 pallor fugat ruborem,  
 nullum vagante forma 860  
 servat diu colorem. —  
 huc fert pedes et illuc,  
 ut tigris orba natis  
 cursu furente lustrat  
 Gangeticum nemus. 865

frenare nescit iras  
 Medea, non amores;  
 nunc ira amorque causam  
 iunxere: quid sequetur?  
 quando efferet Pelasgis 870  
 nefanda Colchis arvis  
 gressum metuque solvet  
 regnum simulque reges? —  
 nunc, Phoebe, mitte currus  
 nullo morante loro, 875  
 nox condat alma lucem,  
 mergat diem timendum  
 dux noctis Hesperus.

### NVNTIVS CHORVS NVTRIX MEDEA IASON

Periere cuncta, concidit regni status.  
 nata atque genitor cinere permixto iacent. 880

853 caecatus E || 860—878 versus binorum colorum distinctis  
 colorum initiis E || 865 ganticum E || 866 non scit Bentley ||  
 879 NVTRIX om. E cf. Leo I 83

CHOR. Qua fraude capti? NVNT. Qua solent reges capi:  
 donis. CHOR. In illis esse quis potuit dolus?  
 NVNT. Et ipse miror vixque iam facto malo  
 potuisse fieri credo. CHOR. Quis cladis modus?  
 NVNT. Avidus per omnem regiae partem furit 885  
 ut iussus ignis: iam domus tota occidit,  
 urbi timetur. CHOR. Unda flammam opprimat.  
 NVNT. Et hoc in ista clade mirandum accidit:  
 alit unda flammam, quoque prohibetur magis,  
 magis ardet ignis: ipsa praesidia occupat. 890

NVTR. Effer citatum sede Pelopea gradum,  
 Medea, praeceps quaslibet terras pete.  
 MED. Egone ut recedam? si profugissem prius,  
 ad hoc redirem. nuptias specto novas.  
 quid, anime, cessas? sequere felicem impetum. 895  
 pars ultionis ista, qua gaudes, quota est?  
 amas adhuc, furiosa, si satis est tibi  
 caelebs Iason. quaere poenarum genus  
 haut usitatum iamque sic temet para:  
 fas omne cedat, abeat expulsus pudor; 900  
 vindicta levis est quam ferunt purae manus.  
 incumbe in iras teque languentem excita  
 penitusque veteres pectore ex imo impetus  
 violenter hauri. quicquid admissum est adhuc,  
 pietas vocetur. hoc agam et faxo sciant 905  
 quam levia fuerint quamque vulgaris notae  
 quae commodavi scelera. prolusit dolor  
 per ista noster: quid manus poterant rudes  
 audere magnum? quid puellaris furor?  
 Medea nunc sum; crevit ingenium malis. 910

882 totus choro datur E || 884 qu. cl. m. nuntio continuat  
 Leo || 886 inmissus ignis Gronov || 889<sup>b</sup>. 890<sup>a</sup> om. ψ (Ag. Vd.) ||  
 891 NVTR. om. E || 897 furiose Leo (coll. 904), Bentley || 899 haustu  
 citatum E || 901 parvae manus A || 904 violentus E violentius A(ε)  
 corr. Richter | adm. adhuc est E || 905 age et faxo ω age et  
 faxis Leo, corr. Richter



Iuvat, iuvat rapuisse fraternum caput;  
 artus iuvat secuisse et arcano patrem  
 spoliasse sacro, iuvat in exitium senis  
 armasse natas. quaere materiam, dolor:  
 ad omne facinus non rudem dextram afferes. 915

Quo te igitur, ira, mittis, aut quæ perfido  
 intendis hosti tela? nescio quid ferox  
 decrevit animus intus et nondum sibi  
 audet fateri. stulta properavi nimis:  
 ex paelice utinam liberos hostis meus 920  
 aliquos haberet — quicquid ex illo tuum est,  
 Creusa peperit. placuit hoc poenae genus,  
 meritoque placuit: ultimum, agnosco, scelus  
 animo parandum est — liberi quondam mei,  
 vos pro paternis sceleribus poenas date. 925

Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu  
 pectusque tremuit. ira discessit loco  
 materque tota coniuge expulsa redit.  
 egone ut meorum liberum ac prolis meae  
 fundam cruorem? melius, a, demens furor! 930  
 incognitum istud facinus ac dirum nefas  
 a me quoque absit; quod scelus miseri luent?  
 scelus est Iason genitor et maius scelus  
 Medea mater — occidant, non sunt mei;  
 pereant, mei sunt. crimine et culpa carent, 935  
 sunt innocentes: fateor, et frater fuit.  
 quid, anime, titubas? ora quid lacrimae rigant  
 variamque nunc huc ira, nunc illuc amor  
 diducit? anceps aestus incertam rapit;  
 ut saeva rapidi bella cum venti gerunt 940  
 utrimque fluctus maria discordes agunt  
 dubiumque fervet pelagus, haut aliter meum

912 ortus E || 915 afferens  $\psi$  || 922 pepirit E || 923 ult.  
 magno sc. A || 924 parandum E anime patrandum Gronov ||  
 930 a om. E || 938 huc sup. vers. E<sup>1</sup> || 939 deducit  $\omega$  corr.  $\psi$  ||  
 942 pelagus feruet A

cor fluctuatur. ira pietatem fugat  
iramque pietas — cede pietati, dolor.

Huc, cara proles, unicum afflictæ domus 945  
solamen, huc vos ferte et infusos mihi  
coniungite artus. habeat incolumes pater,  
dum et mater habeat. urguet exilium ac fuga.

iam iam meo rapiuntur avulsi e sinu,  
flentes, gementes osculis pereant patri, 950  
periere matri. rursus increscit dolor

et fervet odium, repetit invitam manum  
antiqua Erinys. ira, qua ducis, sequor.  
utinam superbæ turba Tantalidos meo  
exisset utero bisque septenos parens 955  
natos tulissem! sterilis in poenas fui —  
fratri patrique quod sat est, peperit duos.

Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?  
quem quaerit aut quo flammeos ictus parat,  
aut cui cruentas agræen infernum faces 960  
intentat? ingens anguis excusso sonat

tortus flagello. quem trabe infesta petit  
Megaera? cuius umbra dispersis venit  
incerta membris? frater est, poenas petit:  
dabimus, sed omnes. fige luminibus faces, 965  
lania, perure, pectus en Furiis patet.

Discedere a me, frater, ultrices deas  
manesque ad imos ire securas iube:  
mihi me relinque et utere hac, frater, manu  
quæ strinxit ensem — victima manes tuos 970  
placamus ista. quid repens affert sonus?

948 et fuga A | post habeat duo hemistichia intercidisse  
*Richter suspicatur, velut talia: d. e. m. habeat, <at matri eripuit  
pater, | dum exilia iussit>: u. e. e. f. symb. p. 23 sq. || 949 euulsi A ||  
950 osculis pereant patri E oculis pereant patris A(τ) o scelus  
p. patri Gronov, fac scelus Peiper, osculis — parcam patri?  
periere matri Richter || 951 pariere E | inressit E || 952 in-  
visam ω corr. Gronov || 953 erinis E mentis E || 958 turba  
funerum A(τ) || 961 intendat? igne. sanguis E || 964 petis?  
Bentley || 969 relinquere (alterum re exp.) E | et om. E*

parantur arma meque in exitium petunt.  
 excelsa nostrae tecta conscendam domus  
 caede incohata. perge tu mecum comes.  
 tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aveham. 975  
 nunc hoc age, anime: non in occulto tibi est  
 perdenda virtus; approba populo manum.

IAS. Quicumque regum cladibus fidus doles,  
 concurre, ut ipsam sceleris auctorem horridi  
 capiamus. huc, huc fortis, armiferi cohors 980  
 conferte tela, vertite ex imo domum.

MED. Iam iam recepi sceptrum germanum patrem,  
 spoliūque Colchi pecudis auratae tenent;  
 rediere regna, rapta virginitas redit.

o placida tandem numina, o festum diem, 985  
 o nuptialem! vade, perfectum est scelus,  
 vindicta nondum: perage, dum faciunt manus.

quid nunc moraris, anime? quid dubitas potens?  
 iam cecidit ira. paenitet facti, pudet.

quid, misera, feci? misera? paeniteat licet, 990  
 feci — voluptas magna me invitam subit,  
 et ecce crescit. derat hoc unum mihi,  
 spectator iste. nil adhuc facti reor:

quicquid sine isto fecimus sceleris perit. 995  
 IAS. En ipsa tecti parte praecipiti imminet.

huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat  
 suis perusta. MED. Congere extremum tuis  
 natis, Iason, funus, ac tumulum strae:

coniunx socerque iusta iam functis habent,  
 a me sepulti; gnatus hic fatum tulit, 1000  
 hic te vidente dabitur exitio pari.

IAS. Per numen omne perque communes fugas

975 ipse — avehe A || 977 perpenda E || 978 doles (es corr.  
 ex et) E<sup>1</sup> regum es cl. f. dolens A || 980 armigeri A || 982 re-  
 cipi E || 985 nomina E || 986 perf. sc. est E || 987 perge ψ ||  
 991 me et invitam E me invisam A || 993 ipse A | nihil E |  
 factum A || 998 n. I. et f. a. t. s. *singulis versibus* E

torosque, quos non nostra violavit fides,  
iam parce nato. si quod est crimen, meum est:  
me dedo morti; noxium macta caput. 1005

MED. Hac qua recusas, qua doles, ferrum exigam.  
i nunc, superbe, virginum thalamos pete,  
relinque matres. IAS. Vnus est poenae satis.

MED. Si posset una caede satiari haec manus,  
nullam petisset. ut duos perimam, tamen 1010  
nimium est dolori numerus angustus meo.

[in matre si quod pignus etiamnunc latet,  
scrutabor ense viscera et ferro extraham.]

IAS. Iam perage coeptum facinus, haut ultra precor,  
moramque saltem supplicis dona meis. 1015

MED. Perfruere lento scelere, ne propera, dolor:  
meus dies est; tempore accepto utimur.

IAS. Infesta, memet perime. MED. Misereri iubes.  
bene est, peractum est. plura non habui, dolor,  
quae tibi litarem. lumina huc tumida alleva, 1020

ingrate Iason. coniugem agnoscis tuam?  
sic fugere soleo. patuit in caelum via:

squamosa gemini colla serpentes iugo  
summissa praebent. recipe iam gnatos, parens;  
ego inter auras aliti curru vehar. 1025

IAS. Per alta vade spatia sublimi aethere,  
testare nullos esse, qua veheris, deos.

1005 dede A || 1009 satiari manus A satiariamanus (sat.  
a m.) E corr. Gronov || 1012. 1013 del. Leo I 208 || 1013 fetum  
extr. L. Müller *Fleckeis. ann.* 89 p. 424 || 1014 perge E | aut E ||  
1016 sceleri E || 1026 aetheri E aetheris A corr. Leo

MARCI · LVCHII · ANNEI · SENECAE · MEDEA · | EXPLICIT · INCIPIT  
PHAEDRA · LEGE · INNOCENTI · FELICITER · E sequitur Agamemnon A

P H A E D R A

**PERSONAE**

**I PHAEDRA  
THESEVS**

**II HIPPOLYTVS**

**III NVNTIVS  
NVTRIX  
CHORVS**

**SCAENA ATHENIS VEL PROPE ATHENAS**

## HIPPOLYTUS

Ite, umbrosas cingite silvas summaque montis iuga, Cecropii! celeri planta lustrate vagi, quae saxosae loca Parnetho subiecta iacent,	5
quae Thriasiis vallibus amnis rapida currens verberat unda; scandite colles	5 <sup>b</sup>
semper canos nive Riphaea; hac, Aegalei qua nemus alta textitur alno, qua prata iacent	10
quae rorifera mulcens aura Zephyrus vernas evocat herbas, ubi per graciles levis Ilisos	13 (14)
labitur agros piger et steriles amne maligno radit harenas;	15

PHAEDRA E Priscianus (vide ad v. 710) HIPPOLYTUS A

*Canticum dimetris decurrit E his insertis monometris: 22 durus Ach. 38<sup>b</sup> cava s. s. 43 impr. tenet 47 terr. feras 80 turba tr. 84 camp. iter. Descriptio codicum ordinis A variat, sed ita, ut antiqua recensio meris dimetris carmen discipissee videatur. (v. 42—84 trimetri A<sup>r</sup>) || 1 in marg. Yppolitus E || 2 Cecropii vocativum esse monuit Bücheler || 4 saxosa E corr. Leo coll. schol. Ar. Nub. 323 saxoso loca Parnethi Scaliger saxa solo carpaneto A || 5 quae tristis E et quae tiasis (thriasiis α) A corr. Raphaeling (I. Scoppa collect. c. 35) || 8 riphea EA || 9 hac, hac alii ω corr. W. Froehner Mus. Rhen. 1892 p. 311 || 13 (14) ubi per glaciiles I. illissos E corr. I. Pontanus ubi Maeander super inaequalis A (u. Maeandros per i. M. Haupt opusc. I p. 149)*

vos qua Marathon tramite laevo  
 saltus aperit,  
 qua comitatae gregibus parvis  
 nocturna petunt pabula fetae; 20  
 vos qua tepidis subditus austris  
 frigora mollit durus Acharneus.  
 alius rupem dulcis Hymetti,  
 parvas alius calcet Aphidnas:  
 pars illa diu vacat immunis, 25  
 qua curvati litora ponti  
 Synion urget.  
 si quem tangit gloria silvae,  
 vocat hunc Phlyus:  
 hic versatur, metus agricolis, 30  
 vulnere multo iam notus aper. 30<sup>b</sup>  
 at vos laxas  
 canibus tacitis mittite habenas;  
 teneant acres lora Molossos  
 et pugnaces tendant Cretes  
 fortia trito vincula collo. 35  
 at Spartanos 35<sup>b</sup>  
 (genus est audax avidumque ferae)  
 nodo cautus propiore liga:  
 veniet tempus,  
 cum latratu cava saxa sonent;  
 nunc dimissi nare sagaci 40  
 captent auras 40<sup>b</sup>  
 lustraque presso quaerant rostro,  
 dum lux dubia est, dum signa pedum  
 roscida tellus impressa tenet.

17 quem arathon E || 20 fere A || 22 Acharnan E acar-  
 nam A corr. Gronov || 24 athytnas E ephidnas A corr. α ||  
 27 synion E || 29 filius E philipis A Phlyeus ci. Gronov, Phlyis  
 (Φλυαί), vel Phlyas de Wilamowitz, Phlye Leo, Alaeus Peiper  
 (coli. Stat. Theb. XII 622), at Phlyunta poeta per errorem pro  
 Phlyas posuisse arguendus videtur || 34 creasse A<sup>r</sup> || 36 cautas α ||  
 39 demissi A || 40 captent E



alius raras

cervice gravi portare plagas, 45

alius teretes properet laqueos. 45<sup>b</sup>

picta rubenti linea pinna

vano cludat terrore feras.

tibi vibretur missile telum,

tu grave dextra laevaue simul

robur lato dirige ferro, 50

tu praecipites clamore feras

subsessor ages; tu iam victor

curvo solves viscera cultro.

Ades en comiti, diva virago,

cuius regno 55

pars terrarum secreta vacat, 55<sup>b</sup>

cuius certis petitur telis

fera quae gelidum

potat Araxen

et quae stanti ludit in Histro.

tua Gaetulos dextra leones, 60

tua Cretaeas sequitur cervas; 60<sup>b</sup>

nunc veloces figis dammas

leviore manu.

tibi dant variae pectora tigres,

tibi villosi terga bisontes

latisque feri cornibus uri. 65

quicquid solis pascitur arvis,

sive illud Arabs divite silva

sive illud inops novit Garamans

sive ferocis iuga Pyrenes

sive Hyrcani celant saltus, 70

vacuisque vagus Sarmata campis,

arcus metuit, Diana, tuos.

tua si gratus numina cultor

45 rotare A || 48 libretur A || 60<sup>b</sup> cresseas E crissaeas  
*Gronov*, cresaetas (*carias*) *Peiper suppl. p. 33* || 62 figit E ||  
 65 tauri A<sup>r</sup> || 67 post 68 A || 71 vacuisve *Bentley* | 71 post v. 68  
*traiecit Leo*

tulit in saltus,  
 retia vinctas tenuere feras, 75  
 nulli laqueum rupere pedes:  
 fertur plaustro praeda gementi;  
 tum rostra canes sanguine multo  
 rubicunda gerunt repetitque casas  
 rustica longo turba triumpho. 80  
 en, diva, faves:  
 signum arguti misere canes.  
 vocor in silvas. hac, hac pergam  
 qua via longum compensat iter.

## PHAEDRA NVTRIX

O magna vasti Creta dominatrix freti, 85  
 cuius per omne litus innumeræ rates  
 tenere †pontum quicquid Assyria tenus  
 tellure Nereus pervius rostris secat,  
 cur me in penates obsidem invisos datam  
 hostique nuptam degere aetatem in malis 90  
 lacrimisque cogis? profugus en coniunx abest  
 praestatque nuptae quam solet Theseus fidem.  
 fortis per altas invii retro lacus  
 vadit tenebras miles audacis proci,  
 solio ut revulsam regis inferni abstrahat; 95  
 pergit furoris socius, haud illum timor  
 pudorque tenuit — stupra et illicitos toros  
 Acheronte in imo quaerit Hippolyti pater.  
 Sed maior alius incubat maestae dolor.  
 non me quies nocturna, non altus sopor 100  
 solvere curis: alitur et crescit malum  
 et ardet intus qualis Aetnaeo vapor

77 trementi A || 78 cum ψ || 81 fave EA corr. ψ || post  
 v. 84 PHAERA · NVTRIX E PHAEDRA · NVTRIX A Nut. om. ψ || 87 por-  
 tum ψ portus ci. Leo, tuentur omne Richter || 88 pervium A ||  
 97 pudorve Bentley, Bothe || 98 Hyppoliti E || 102 ethneus A<sup>r</sup>

exundat antro. Palladis telae vacant  
 et inter ipsas pensa labuntur manus;  
 non colere donis templa votivis libet, 105  
 non inter aras, Atthidum mixtam choris,  
 iactare tacitis conscias sacris faces,  
 nec adire castis precibus aut ritu pio  
 adiudicatae praesidem terrae deam:  
 iuvat excitatas consequi cursu feras 110  
 et rigida molli gaesa iaculari manu.

Quo tendis, anime? quid furens saltus amas?  
 fatale miserae matris agnosco malum:  
 peccare noster novit in silvis amor.  
 genetrix, tui me miseret: infando malo 115  
 correpta pecoris efferum saevi ducem  
 audax amasti; torvus, impatiens iugi  
 adulter ille, ductor indomiti gregis —  
 sed amabat aliquid. quis meas miserae deus  
 aut quis iuvare Daedalus flammam queat? 120  
 non si ipse remeet, arte Mopsopia potens  
 qui nostra caeca monstra conclusit domo,  
 promittat ullam casibus nostris opem.  
 stirpem perosa Solis invisit Venus  
 per nos catenas vindicat Martis sui 125  
 suasque, probris omne Phoebeum genus  
 onerat nefandis: nulla Minois levi  
 defuncta amore est, iungitur semper nefas.

NVT. Thesea coniunx, clara progenies Iovis,  
 nefanda casto pectore exturba ocius, 130  
 extingue flammam neve te dirae spei  
 praebe obsequentem: quisquis in primo obstitit  
 pepulitque amorem, tutus ac victor fuit;

103 andro E | tela A<sup>r</sup> || 106 choros E choro Bentley ||  
 109 adiudicatam A || 112 animae E | quidue A<sup>r</sup> || 115 miseret  
 me A<sup>r</sup> || 116 efferi saevum A || 120 levare N. Heinsius p. 62 ||  
 121 ille ω corr. Leo || 123 promittet E || 124 perosam E | ne-  
 mus E<sup>1</sup> corr. E<sup>2-3</sup> || 130 casto nefandas Bentley coll. 173. 596

qui blandiendo dulce nutritivum malum,  
sero recusat ferre quod subiit iugum. 135

Nec me fugit, quam durus et veri insolens  
ad recta flecti regius nolit tumor.

quemcumque dederit exitum casus feram:  
fortem facit vicina libertas senem.

Honesta primum est velle nec labi via, 140  
pudor est secundus nosse peccandi modum.

quo, misera, pergis? quid domum infamem aggravas  
superasque matrem? maius est monstro nefas:

nam monstra fato, moribus scelera imputes.  
si, quod maritus supera non cernit loca, 145

tutum esse facinus credis et vacuum metu,  
erras; teneri crede Lethaeo abditum

Thesea profundo et ferre perpetuam Stygys:  
quid ille, lato maria qui regno premit

populisque reddit iura centenis, pater? 150  
latere tantum facinus occultum sinet?

sagax parentum est cura. credamus tamen  
astu doloque tegere nos tantum nefas:

quid ille rebus lumen infundens suum  
matris parens? quid ille qtri mundum quatit 155

vibrans corusca fulmen Aetnaeum manu,  
sator deorum? credis hoc posse effici,

inter videntes omnia ut lateas avos?  
sed ut secundus numinum abscondat favor

coitus nefandos utque contingat stupro 160  
negata magnis sceleribus semper fides:

quid poena praesens, conscius mentis pavor  
animusque culpa plenus et semet timens?

scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.

138. 139 *Phaedrae sunt*  $\omega$  corr.  $\psi$  || 140 non ista pr. E corr. N. Heinsius (apud Gronov. coll. 598) obstare pr. A || 141 gradus est 'ci. Richter || 142 grauas A || 143 maius es N. Heinsius p. 62 m. hoc Bentley || 147 e. tamen tu cr. A || 148 prof. ferre perpetuam stygem A prof. et ferri perpetua in styga E (inter a et in ras. 2 m. facta E) || 153 doloque decipere A<sup>r</sup> || 155 quid ille bis E || 162 conscie noctis A<sup>r</sup>

compesce amoris impii flammās, precor, 165  
 nefasque quod non ulla tellus barbara  
 commisit umquam, non vagi campis Getae  
 nec inhospitalis Taurus aut sparsus Scythes;  
 expelle facinus mente castifica horridum  
 memorque matris metue concubitus novos. 170  
 miscere thalamos patris et gnati apparatus  
 uteroque prolem capere confusam impio?  
 perge et nefandis verte naturam ignibus —  
 cur monstra cessant? aula cur fratris vacat?  
 prodigia totiens orbis insueta audiet, 175  
 natura totiens legibus cedit suis,  
 quotiens amabit Cressa? PH. Quae memoras scio  
 vera esse, nutrix; sed furor cogit sequi  
 peiora. vadit animus in praecipitum sciens  
 remeatque frustra sana consilia appetens. 180  
 sic cum gravatam navita adversa ratem  
 propellit unda, cedit in vanum labor  
 et victa prono puppis aufertur vado.  
 quid ratio possit? vicit ac regnat furor  
 potensque tota mente dominatur deus. 185  
 hic volucer omni pollet in terra impotens  
 ipsumque flammis torret indomitis Iovem;  
 Gradivus istas belliger sensit faces,  
 opifex trisulci fulminis sensit deus,  
 et qui furentis semper Aetnaeis iugis 190  
 versat caminos igne tam parvo calet;  
 ipsumque Phoebum, tela qui nervo regit,  
 figit sagitta certior missa puer  
 volitatque caelo pariter et terris gravis.  
 NVTR. Deum esse amorem turpis et vitio favens 195

167 uagus campis geta A || 171 gnata (gnato m. rec.) E ||  
 172 cap. fusam A<sup>r</sup> || 174 patris E || 184 quod ratio pescit  
 vincit A || 186 omni regnat A | potens *α* corr. N. Heinsius  
 p. 62 nocens Gronov || 187 laesumque fl. E || 190 furentes A ||  
 195 turpi servitio A furentis E turpiter vitio favens *α* || 195sq. (Deum  
 —libido) adfert *Augustinus cf. praef. c. II* (vitio favens)

finxit libido, quoque liberior foret  
 titulum furori numinis falsi addidit.  
 natum per omnis scilicet terras vagum  
 Erycina mittit, ille per caelum volans  
 proterva tenera tela molitur manu 200  
 regnumque tantum minimus e superis habet:  
 vana ista demens animus ascivit sibi  
 Venerisque numen finxit atque arcus dei.  
 quisquis secundis rebus exultat nimis  
 fluitque luxu, semper insolita appetit. 205  
 tunc illa magnae dira fortunae comes  
 subit libido: non placent suetae dapes,  
 non tecta saui moris aut vilis scyphus.  
 cur in penates rarius tenues subit  
 haec delicatas eligens pestis domos? 210  
 cur sancta parvis habitat in tectis Venus  
 mediumque sanos vulgus affectus tenet  
 et se coercent modica? contra divites  
 regnoque fulti plura quam fas est petunt?  
 quod non potest vult posse qui nimium potest. 215  
 quid deceat alto praeditam solio vides:  
 metuae ac verere sceptrā remeantis viri.  
 PH. Amoris in me maximum regnum puto  
 reditusque nullos metuo: non umquam amplius  
 convexa tetigit supera qui mersus semel 220  
 adiit silentem nocte perpetua domum.  
 NVTR. Ne crede Diti. clausurit regnum licet  
 canisque diras Stygius observet fores:  
 solus negatas invenit Theseus vias.  
 PH. Veniam ille amori forsitan nostro dabit. 225  
 NVTR. Immitis etiam coniugi castae fuit:

198 omnes A || 199 volans per caelum A<sup>r</sup> || 201 in superis A<sup>r</sup> || 205 appetens A || 206 hinc illa Bentley || 207 subiit Bentley || 208 vilis cibus A ullus cibus E corr. J. Gronov (v. sinus Withof) || 209 venit Bentley || 213 coernent modica E coerccet modico A<sup>r</sup> || 216 perditam E | vide O. Rosbach coll. Oed. 836 || 218 regnum fero A || 222 ditis A || 224 inveniet τ

experta saevam est barbara Antiope manum.  
 sed posse flecti coniugem iratum puta:  
 quis huius animum flectet intractabilem?  
 exosus omne feminae nomen fugit, 230  
 immitis annos caelibi vitae dicat,  
 conubia vitat: genus Amazonium scias.  
 PH. Hunc in nivosi collis haerentem iugis,  
 et aspera agili saxa calcantem pede  
 sequi per alta nemora, per montes placet. 235  
 NVTR. Resistet ille seque mulcendum dabit  
 castosque ritus Venere non casta exuet?  
 tibi ponet odium, cuius odio forsitan  
 persequitur omnes? precibus haud vinci potest.  
 PH. Ferus est? amore didicimus vinci feros. 240  
 NVTR. Fugiet. PH. Per ipsa maria si fugiet, sequar.  
 NVTR. Patris memento. PH. Meminimus matris simul.  
 NVTR. Genus omne profugit. PH. Paelicis careo metu.  
 NVTR. Aderit maritus — PH. Nempe Perithoi comes?  
 NVTR. Aderitque genitor. PH. Mitis, Ariadnae pater. 245  
 NVTR. Per has senectae splendorum simplex comas  
 fessumque curis pectus et cara ubera  
 precor, furorem siste teque ipsa adiuva:  
 pars sanitatis velle sanari fuit.  
 PH. Non omnis animo cessit ingenuo pudor. 250  
 paremus, altrix. qui regi non vult amor  
 vincatur. haud te, fama, maculari sinam.  
 haec sola ratio est, unicum effugium mali:  
 virum sequamur, morte praeventam nefas.  
 NVTR. Moderare, alumna, mentis effrenae impetus, 255  
 animos coerce. dignam ob hoc vita reor  
 quod esse temet autumas dignam nece.  
 PH. Decreta mors est: quaeritur fati genus.

227 est om. E || 229 animum huius A<sup>r</sup> || 231 immunis Bentley || 232 amazonum A<sup>r</sup> || 236.237 Phaedrae continuantur E || 239<sup>b</sup> (pr. h. v. p.) Phaedrae sunt A || 240 NVTR. f. e. PH. a. d. v. f. A || 241 si fugiat A || 245 adriane A<sup>r</sup> || 246 splendida E || 248 ipsam A || 249 par s. E || 256 ultra reor E

laqueone vitam finiam an ferro incubem?	
an missa praeceps arce Palladia cadam?	260
NVTR. Sic te senectus nostra praecipiti sinat	262
perire leto? siste furibundum impetum.	
[haud quisquam ad vitam facile revocari potest]	
PH. Prohibere nulla ratio periturum potest:	266
ubi qui mori constituit et debet mori.	
proin castitatis vindicem armemus manum.	261
NVTR. Solamen annis unicum fessis, era,	267
si tam protervus incubat menti furor,	
contemne famam — fama vix vero favet,	
peius merenti melior et peior bono.	270
temptemus animum tristem et intractabilem.	
meus iste labor est aggredi iuvenem ferum	
mentemque saevam flectere immitis viri.	

## CHORVS CRESSAE

Diva non miti generata ponto,	
quam vocat matrem geminus Cupido,	275
[impotens flammis simul et sagittis]	
iste lascivus puer et renidens	
tela quam certo moderatur arcu!	
[labitur totas furor in medullas	
igne furtivo populante venas.]	280
non habet latam data plaga frontem,	
sed vorat tectas penitus medullas.	
nulla pax isti puero: per orbem	
spargit effusas agilis sagittas;	
quaeque nascentem videt ora solem,	285

261 *post v.* 266 *reposuit Gronov* | NVTR. *proh castitatis A* ||  
 262 *si te s. A<sup>r</sup>* | *sinet τ* || 264 *om. τ del. Scaliger* | *auram Bessel*  
*p. 63* || 265 *perituram A<sup>r</sup>* || 266 *quis A* || 269 *contemne E* ||  
 274 CRESSAE *om. A* || 276 *ut falsum 'gemini Cupidinis' inter-*  
*pretamentum del. M. Müller p. 29, qui recte de Erote et Ant-*  
*erote cogitat* || 277 *iste puer lascivus et acre nitens A* || 278 *iacu-*  
*latur A* || 279. 280 *om. τ del. Bothe (cf. 642, Oed. 124)*



quaeque ad Hesperias iacet ora metas,  
 si qua ferventi subiecta cancro,  
 si qua Parrhasiae glacialis ursae  
 semper errantes patitur colonos,  
 novit hos aestus. iuvenum feroces 290  
 concitat flammās senibusque fessis  
 rursus extinctos revocat calores,  
 virginum ignoto ferit igne pectus  
 et iubet caelo superos relicto  
 vultibus falsis habitare terras. 295  
 Thessali Phoebus pecoris magister  
 egit armentum positoque plectro  
 impari tauros calamo vocavit.  
 induit formas quotiens minores  
 ipse qui caelum nebulasque ducit: 300  
 candidas ales modo movit alas,  
 dulcior vocem moriente cygno;  
 fronte nunc torva petulans iuvenus  
 virginum stravit sua terga ludo,  
 perque fraternos nova regna fluctus 305  
 ungula lentos imitante remos  
 pectore adverso domuit profundum,  
 pro sua vector timidus rapina.  
 arsit obscuri dea clara mundi  
 nocte deserta nitidosque fratri 310  
 tradidit currus aliter regendos:  
 ille nocturnas agitare bigas  
 discit et gyro breviorē flecti, 313  
 dum tremunt axes graviorē curru; 316  
 nec suum tempus tenuere noctes 314

286 quaeque ad occasus iacet ora seros A sic Peiper  
 287—289 del. Peiper || 287 cancro est ω est del. Leo || 288 si  
 qua maioris gl. u. A || 290 hestus E || 296—298 post 308 po-  
 nendos censet Peiper || 300 fecit E volvit Peiper cogit Leo flectit  
 Koetschau coll. Hor. c. II 19, 17 || 302 voce EA<sup>r</sup> corr. ψ  
 305 mala regna A vaga r. ci. Peiper nova ad arva Koetschau  
 316 post v. 313 traiecit Leo

et dies tardo remeavit ortu.	315
natus Alcmena posuit pharetras	317
et minax vasti spolium leonis,	
passus aptari digitis zmaragdos	
et dari legem rudibus capillis;	320
crura distincto religavit auro,	
luteo plantas cohibente socco;	
et manu, clavam modo qua gerebat,	
fila deduxit properante fuso:	
Vidit Persis ditique ferox	325
Lydia regno	
deiecta feri terga leonis	
umerisque, quibus sederat alti	
regia caeli,	
tenuem Tyrio stamine pallam.	330
sacer est ignis (credite laesis)	330 <sup>b</sup>
nimumque potens. qua terra salo	
cingitur alto quaque per ipsum	
candida mundum sidera currunt:	
haec regna tenet puer immitis,	
spicula cuius sentit in imis	335
pervius undis rex Nereidum	
flammanque nequit relevare mari.	
ignes sentit genus aligerum;	
Venere instinctus suscipit audax	
grege pro toto bella iuventus;	340
si coniugio timuere suo,	
poscunt timidi proelia cervi.	
Poeni quatiant colla leones	348

321 discinctus Bentley distento N. Heinsius p. 65 || 323 clavam ex dauam E<sup>1</sup> || 325—357 dimetri ω || 325 ad marg. 1 m. R; E cf. Leo I 37 | Perses ditisque A | ferax ω corr. Bothe || 326 regni A | reiecta E || 327 Leo intercidisse coniecit tale quid: <sumptamque armis> cf. I 106 at cf. Birt p. 545 M. Müller p. 35 || 330<sup>b</sup> laesi E || 331 terra mari A || 332 quaque ethereo A || 333 mundo A || 336 cerulus undis grex A || 339 Venere instincti quam magna gerunt A || 340 iuventi A

cum movit Amor,	349
et mugitu dant concepti	343
signa furoris.	343 <sup>b</sup>
tunc virgatas India tigris	
decolor horret;	345
tunc vulnificos acuit dentes	
aper et toto est spumeus ore;	347
tum silva gemit murmure saevo.	350
amat insani belua ponti	
Lucaeque boves: vindicat omnes	
natura. sibi nihil immune est,	
odiumque perit, cum iussit Amor;	
veteres cedunt ignibus irae.	355
quid plura canam?	
vincit saevas cura novercas.	

altrix, profare quid feras; quonam in loco est  
regina? saevis ecquis est flammis modus?.

## NVTRIX PHAEDRA CHORVS

Spes nulla tantum posse leniri malum,	360
finisque flammis nullus insanis erit.	
torretur aestu tacito et inclusus quoque,	
quamvis tegatur, proditur vultu furor;	
erumpit oculis ignis et lassae genae	
lucem recusant, nil idem dubiae placet	365
artusque varie iactat incertus dolor.	
nunc ut soluto labitur moriens gradu	

343 et — furoris post v. 348 traiecit Leo I 107 | mugitus A |  
344—347 post 343<sup>b</sup> posuit Birt (idem 351. 352<sup>a</sup> [amat — boves]  
post 338 [aligerum] poni voluit, quos Peiper versum 347 [sp. ore]  
sequi iussit) || 352 lucique A | omlem | sibi naturam ci. Bücheler ||  
356 q. pl. c. om. E || 358 PHE. praef. A<sup>r</sup> (nova scaena cui in-  
scriptum Phaedra Nutrix vel Phaed. Nut. Hippol. ψ) || 359 post  
v. 404 legitur A | et quis ω corr. ψ || post 359 novae scaenae  
inscriptionem om. A<sup>r</sup> || 360 NV. praef. ψ, om. A<sup>r</sup> | lenire E ||  
365 nihil E || 367 genu Bentley

et vix labante sustinet collo caput,  
 nunc se quieti reddit et, somni immemor,  
 noctem querelis ducit; attolli iubet 370  
 iterumque poni corpus et solvi comas  
 rursusque fingi: semper impatiens sui  
 mutatur habitus. nulla iam Cereris subit  
 cura aut salutis; vadit incerto pede,  
 iam viribus defecta: non idem vigor, 375  
 non ora tinguens nitida purpureus rubor;  
 [populatur artus cura, iam gressus tremunt  
 tenerque nitidi corporis cecidit decor.]  
 et qui ferebant signa Phoebeae facis  
 oculi nihil gentile nec patrium micant. 380  
 lacrimae cadunt per ora et assiduo genae  
 rore irrigantur, qualiter Tauri iugis  
 tepido madescunt imbri percussae nives. 383  
 CHOR. Sepone questus: non levat miseros dolor; 404  
 agreste placā virginis numen deae. 405  
 Sed en, patescunt regiae fastigia. 384  
 reclinis ipsa sedis auratae toro 385  
 solitos amictus mente non sana abnuat.

PH. Removete, famulae, purpura atque auro inlitas  
 vestes, procul sit muricis Tyrii rubor,  
 quae fila ramis ultimi Seres legunt:  
 brevis expeditos zona constringat sinus, 390  
 cervix monili vacua, nec niveus lapis  
 deducat auris, Indici donum maris;  
 odore crinis sparsus Assyrio vacet.  
 sic temere iactae colla perfundant comae  
 umerosque summos, cursibus motae citis 395  
 ventos sequantur. laeva se pharetrae dabit,  
 hastile vibret dextra Thessalicum manus.

368 at vix Bentley || 377. 378 del. Leo || 379 tenebant A ||  
 383 hymbrae E | perfuse A | v. 404 sq. huc revocavit Richter  
 cf. ad v. 403 || 384 post fastigia add. domus A<sup>r</sup> || 392 aures A

[talī severi mater Hippolyti fuit.]  
 qualis relictis frigidi Ponti plagis  
 egit catervas Atticum pulsans solum 400  
 Tanaitis aut Maeotis et nodo comas  
 coegit emisitque, lunata latus  
 protecta pelta: talis in silvas ferar. 403

## NVTRIX HIPPOLYTVS

Regina nemorum, sola quae montes colis 406  
 et una solis montibus coleris dea,  
 converte tristes ominum in melius minas.  
 o magna silvas inter et lucos dea  
 clarumque caeli sidus et noctis decus, 410  
 cuius relucet mundus alterna vice,  
 Hecate triformis, en ades coeptis favens.  
 animum rigentem tristis Hippolyti doma:  
 det facilis aures; mitiga pectus ferum:  
 amare discat, mutuos ignes ferat. 415  
 inflecte mentem: torvus aversus ferox  
 in iura Veneris redeat. huc vires tuas  
 intende: sic te lucidi vultus ferant  
 et nube rupta cornibus puris eas,  
 sic te regentem frena nocturni aetheris 420  
 detrahere numquam Thessali cantus queant  
 nullusque de te gloriam pastor ferat.  
 ades invocata, iam fave votis, dea:

398 del. N. Heinsius p. 66, post v. 403 transposuit O. Rofs-  
 bach || 401 tanais alti aut E tanatois vel tanais  $\psi$  corr.  $\tau$  ||  
 404 NVTR. A | depone A | post 404 legitur v. 359 A | 404 vel  
 405 om.  $\psi$  || post 403 nova scaena  $\omega$  HIPPOLITVS NVTRIX E Nu-  
 trix Ipolitus A<sup>r</sup> (exc. Vd. ubi solum: Nutrix sup. lin.) v. 403  
 finiri scaenam et v. 404 sq. non chori esse sed nutricis secum  
 loquentis in silvestri regione M. Müller opinatur p. 30 sq. sed cf.  
 ad v. 383. Richtero videtur dubitari posse, an Hippolyti canti-  
 cum quod prologi vicem in libris tenet, pristinam sedem post  
 v. 403 habuisse putandum sit. || 411 alterna face A || 414 post  
 415 A || 416 innecte E inuerte  $\alpha$ , corr. Koetschau || 420 nocturnis  
 rotis vel aquis Bentley || 423 fauet A faues  $\alpha$

ipsum intuoꝛ solempne venerantem sacrum  
 nullo latus comitante — quid dubitas? dedit 425  
 tempus locumque casus: utendum artibus.  
 trepidamus? haud est facile mandatum scelus  
 audere, verum iussa qui regis timet,  
 deponat omne et pellat ex animo decus:  
 malus est minister regii imperii pudor. 430

HIPP. Quid huc seniles fessa moliris gradus,  
 o fida nutrix, turbidam frontem gerens  
 et maesta vultu? sospes est certe parens  
 sospesque Phaedra stirpis et geminae iugum?  
 NVTR. Metus remitte. prospero regnum in statu est 435  
 domusque florens sorte felici viget.  
 sed tu beatīs mitior rebus veni:  
 namque anxiam me cura sollicitat tui,  
 quod te ipse poenis gravibus infestus domas.  
 quem fata cogunt, ille cum venia est miser; 440  
 at si quis ultro se malis offert volens  
 seque ipse torquet, perdere est dignus bona  
 quis nescit uti. potius annorum memor  
 mentem relaxa: noctibus festis facem  
 attolle, curas Bacchus exoneret graves; 445  
 aetate frui: mobili cursu fugit.  
 nunc facile pectus, grata nunc iuveni Venus:  
 exultet animus. cur toro viduo iaces?  
 tristem iuventam solve; nunc cursus rape,  
 effunde habenas, optimos vitae dies 450  
 effluere prohibe. propria descripsit deus  
 officia et aevum per suos duxit gradus:  
 laetitia iuvenem, frons decet tristis senem.

428 audire A<sup>r</sup> | iusta qui reges ω corr. N. Heinsius p. 66 ||  
 429 et om. ω corr. N. Heinsius l. n., Bentley || 433 uultus A ||  
 438 anxia E | sollicitat E || 439 infestus grauas A | quid te —  
 domas? Bentley || 440 cogunt hic quidem uiuat miser AE<sup>2-3</sup>  
 in mg. || 441 antiquis ultro E || 443 qui nescit ψ || 444 mon-  
 tibus A motibus α || 445 bachus E || 449 luxus (vel lusus) A ||  
 451 describit A<sup>r</sup>

quid te coherces et necas rectam indolem?  
 seges illa magnum fenus agricolae dabit 455  
 quaecumque laetis tenera luxuriat satis,  
 arborque celso vertice evincet nemus  
 quam non maligna caedit aut resecat manus:  
 ingenia melius recta se in laudes ferunt,  
 si nobilem animum vegeta libertas alit. 460  
 truculentus et silvester ac vitae inscius  
 tristem iuventam Venere deserta coles?  
 hoc esse munus credis indictum viris,  
 ut dura tolerant, cursibus domitent equos  
 et saeva bella Marte sanguineo gerant? 465  
 quam varia leti genera mortalem trahunt 475  
 carpuntque turbam, pontus et ferrum et doli!  
 providit ille maximus mundi parens, 476  
 cum tam rapaces cerneret Fati manus,  
 ut damna semper subole repararet nova.  
 sed fata credas desse: sic atram Styga 477  
 iam petimus ultro. caelibem vitam probet  
 sterilis iuventus: hoc erit, quicquid vides,  
 unius aevi turba et in semet ruet. 480  
 excedat aedum rebus humanis Venus, 469  
 quae supplet ac restituit exhaustum genus: 470  
 orbis iacebit squalido turpis situ,  
 vacuum sine ullis piscibus stabit mare,  
 alesque caelo derit et silvis fera  
 solis et aer pervius ventis erit. 474  
 proinde vitae sequere naturam ducem: 481  
 urbem frequenta, civium coetum cole.  
 HIPPOCRATES. Non alia magis est libera et vitio carens

454 cohercets E || 457 euincit A || 459 r. in l. se ferunt A<sup>r</sup> ||  
 461 et uitae A || 462 colis A || 464 doment A<sup>r</sup> || post v. 465 cum  
 Leone collocavit Richter 475—480, interpositis tamen cum Peipero  
 inter 476 et 477 versibus 466—468 || 477 sed ista Leo || 467 fati  
 minas A || 468 sobole ex subole E<sup>2</sup> || 470 restituet E | huma-  
 num g. A || 472 ullis classibus ω corr. Leo (Bentley) || 478 pe-  
 nitus A<sup>r</sup>

ritusque melius vita quae priscos colat,  
 quam quae relictis moenibus silvas amat. 485  
 non illum avarae mentis inflammat furor  
 qui se dicavit montium insontem iugis,  
 non aura populi et vulgus infidum bonis,  
 non pestilens invidia, non fragilis favor;  
 non ille regno servit aut regno imminens 490  
 vanos honores sequitur aut fluxas opes,  
 spei metusque liber, haud illum niger  
 edaxque livor dente degeneri petit;  
 nec scelera populos inter atque urbes sata  
 novit nec omnes conscius strepitus pavet 495  
 aut verba fingit; mille non quaerit tegi  
 dives columnis nec trabes multo insolens  
 suffigit auro; non cruor largus pias  
 inundat aras, fruge nec sparsi sacra  
 centena nivei colla summittunt boves: 500  
 sed rure vacuo potitur et aperto aethere  
 innocuus errat. callidas tantum feris  
 struxisse fraudes novit et fessus gravi  
 labore niveo corpus Iliso fovet:  
 nunc ille ripam celeris Alpei legit, 505  
 nunc nemoris alti densa metatur loca,  
 ubi Lerna puro gelida perlucet vado,  
 sedesque mutas: hinc aves querulae fremunt  
 ornique ventis lene percussae tremunt  
 veteresque fagi. iuvit aut amnis vagi 510  
 pressisse ripas, caespitem aut nudo leves  
 duxisse somnos, sive fons largus citas  
 defundit undas sive per flores novos

490 et (vel ac) A<sup>r</sup> imminet A || 494 atque inter A<sup>r</sup> | sita ω  
 corr. τ (N. Heinsius p. 66) || 496 haud (vel aut) A | mille haud  
 (vel aut) A<sup>r</sup> || 498 sufficit E || 503 graui (gr in ras.) E  
 504 l. vivo Rutgers p. 602 | eliso E<sup>r</sup> || 505 celerisale et legit E ||  
 508 sedemque mutat A sedesque mutat E corr. Leo I 223 |  
 hic A || 509 ramique E | u. l. percussi ω corr. N. Heinsius p. 67.  
 Peiper traditam tuctur scripturam, unum post 509 excidisse  
 versum ratus || 510 iuvat ω corr. G. Fabricius



fugiente dulcis murmurat rivo sonus.  
 excussa silvis poma compescunt famem 515  
 et fraga parvis vulsa dumetis cibos  
 faciles ministrant. regios luxus procul  
 est impetus fugisse: sollicito bibunt  
 auro superbi; quam iuvat nuda manu  
 captasse fontem! certior somnus premit 520  
 securo duro membra versantem toro.  
 non in recessu furta et obscuro improbus  
 quaerit cubili seque multiplici timens  
 domo recondit: aethera ac lucem petit  
 et teste caelo vivit. hoc equidem reor 525  
 vixisse ritum prima quos mixtos deis  
 profudit aetas. nullus his auri fuit  
 caecus cupido, nullus in campo sacer  
 divisit agros arbiter populis lapis;  
 nondum secabant credulae pontum rates: 530  
 sua quisque norat maria; non vasto aggere  
 crebraque turre cinxerant urbes latus;  
 non arma saeva miles aptabat manu  
 nec torta clausas fregerat saxo gravi  
 ballista portas, iussa nec dominum pati 535  
 iuncto ferebat terra servitium bove:  
 sed arva per se feta poscentes nihil  
 pavere gentes, silva nativas opes  
 et opaca dederant antra nativas domos.  
 rupere foedus impius lucri furor 540  
 et ira praecipua quaeque succensas agit  
 libido mentes; venit imperii sitis  
 cruenta, factus praeda maiori minor:  
 pro iure vires esse. tum primum manu  
 bellare nuda saxaque et ramos rudes 545  
 vertere in arma: non erat gracili levis

516 pulsa A<sup>r</sup> || 518 bibant A || 521 securo dura A<sup>r</sup> | uer-  
 santur A<sup>r</sup> || 522 recessu ψ (R 10 Vd.) || 527 perfudit E ||  
 533 aptarat Bentley || 541 precesp E || 543 cruentum facinus  
 pr. A<sup>r</sup> || 545 post nuda duo hemistichia excidisse Leo statuit

armata ferro cornus aut longo latus  
 mucrone cingens ensis aut crista procul  
 galeae comantes: tela faciebat dolor.  
 invenit artes bellicus Mavors novas 550  
 et mille formas mortis. hinc terras cruor  
 infecit omnis fusus et rubuit mare.  
 tum scelera dempto fine per cunctas domos  
 iere, nullum caruit exemplo nefas:  
 a fratre frater, dextera gnati parens 555  
 cecidit, maritus coniugis ferro iacet  
 perimuntque fetus impiae matres suos;  
 [taceo novercas. mitius nil est feris]  
 sed dux malorum femina: haec scelerum artifex  
 obsedit animos, huius incestis stupris 560  
 fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt  
 et versa ab imo regna tot populos premunt.  
 sileantur aliae: sola coniunx Aegei,  
 Medea, reddet feminas dirum genus.  
 NVTR. Cur omnium fit culpa paucarum scelus? 565  
 HIPP. Detestor omnis, horreo fugio execror.  
 sit ratio, sit natura, sit dirus furor:  
 odisse placuit. ignibus iunges aquas  
 et amica ratibus ante promittet vada  
 incerta Syrtis, ante ab extremo sinu 570  
 Hesperia Tethys lucidum attollet diem  
 et ora damnis blanda praebebunt lupi,  
 quam victus animum feminae mitem geram.  
 NVTR. Saepe obstinatis induit frenos Amor  
 et odia mutat. regna materna aspice: 575  
 illae feroces sentiunt Veneris iugum;

548 aut triste caput A (criste  $\psi$ ) || 552 omnes A || 558 no-  
 vercam: mitior *Leo coll. Eurip. Alc. 309; versum a iuvenis*  
*animo qualis tunc est erga novercam alienissimum (cf. 434. 608.*  
*632 sq.) del. Richter coll. Ovid. her. X 1 || 559 femina et A ||*  
*560 huius incesti E corr. I. Gronov cuius inceste A || 562 euer-*  
*sa  $\psi$  || 565 eor E (corr. rubricator) || 566 et 579 omnes A ||*  
*567 durus  $\omega$  corr.  $\alpha$  || 574 NVTR. om. E (add. al. m.)*

testaris istud unicus gentis puer.

HIPP. Solamen unum matris amissae fero,  
odisse quod iam feminas omnis licet.

NVTR. Vt dura cautes undique intractabilis 580  
resistit undis et lacessentes aquas

longe remittit, verba sic spernit mea.

Sed Phaedra praeceps graditur, impatiens morae.

quo se dabit fortuna? quo verget furor?

terrae repente corpus exanimum accidit 585

et ora morti similis obduxit color.

attolle vultus, dimove vocis moras:

tuus en, alumna, temet Hippolytus tenet.

PHAEDRA IDEM

Quis me dolori reddit atque aestus graves  
reponit animo? quam bene excideram mihi! 590

HIPP. Cur dulce munus redditae lucis fugis?

PH. Aude, anime, tempta, perage mandatum tuum.

intrepida constant verba: qui timide rogat

docet negare. magna pars sceleris mei

olim peracta est; serus est nobis pudor: 595

amavimus nefanda. si coepta exsequor,

forsan iugali crimen abscondam face:

honestam quaedam scelera successus facit —

en incipe, anime! — Commodus paulum, precor,

secretus aures. si quis est abeat comes. 600

HIPP. En locus ab omni liber arbitrio vacat.

PH. Sed ora coeptis transitum verbis negant;

vis magna vocem mittit et maior tenet.

vos testor omnis, caelites, hoc quod volo —

[me nolle] 605

577 genitus puer A || 582 *detersus paene totus* E || 584 uer-  
git E || 585 repente terre A | cadit A || 588 alumnus A<sup>r</sup> ||  
589 PHAEDRA ET IDEM E *om.* A Phed. Ypol. Nut. ψ || 591 sq. *per-*  
*sonarum notas om.* A || 598 non ista q. sc. E || 600 secretas E ||  
603 emittit A || 604 omnes A || 604. 605 *uno versu ω* me nolle  
*del. α*

HIPP. Animusne cupiens aliquid effari nequit?

PH. Curae leves loquuntur, ingentes stupent.

HIPP. Committe curas auribus, mater, meis.

PH. Matris superbum est nomen et nimium potens:  
nostros humilius nomen affectus decet; 610

me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca,  
famulamque potius: omne servitium feram.

non me per altas ire si iubeas nives,

pigeat gelatis ingredi Pindi iugis;

non, si per ignes ire et infesta agmina, 615  
cuncter paratis ensibus pectus dare.

mandata recipe sceptrā, me famulam accipe:

[te imperia regere, me decet iussa exequi]

muliebri non est regna tutari urbium;

tu qui iuventae flore primaevō viges 620

cives paterno fortis imperio rege,

sinu receptam supplicem ac servam tege.

miserere viduae — HIPP. Summus hoc omen deus  
avertat. aderit sospes actutum parens.

PH. Regni tenacis dominus et tacitae Stygis 625

nullam relictos fecit ad superos viam:

thalami remittet ille raptorem sui?

nisi forte amori placidus et Pluton sedet.

HIPP. Illum quidem aequi caelites reducem dabunt.

sed dum tenebit vota in incerto deus, 630

pietate caros debita fratres colam

et te merebor esse ne viduam putes

ac tibi parentis ipse supplebo locum.

PH. O spes amantum credula, o fallax Amor!'

satisne dixi? precibus admotis agam. 635

Miserere, tacitae mentis exaudi preces —

libet loqui pigetque. HIPP. Quodnam istud malum est?

PH. Quod in novercam cadere vix credas malum.

HIPP. Ambigua voce verba perplexa iacis:

618 del. Peiper, tuetur Ludeck p. 72 n. 3 || 619 tutari  
patris A α || 622 servam rege A z || 632 et te tuebor A || 633 hac  
N. Heinsius p. 67 || 635 dixit A

effare aperte. PH. Pectus insanum vapor 640  
 amorque torret. intimis fervet ferus  
 [penitus medullas atque per venas meat]  
 visceribus ignis mersus et venas latens  
 ut agilis altas flamma percurrit trabes.  
 HIPP. Amore nempe Thesei casto furis? 645  
 PH. Hippolyte, sic est: Thesei vultus amo  
 illos priores quos tulit quondam puer,  
 cum prima puras barba signaret genas  
 monstrique caecam Gnosii vidit domum  
 et longa curva fila collegit via. 650  
 quis tum ille fulsit! presserant vittae comam  
 et ora flavus tenera tinguebat pudor;  
 inerant lacertis mollibus fortes tori;  
 tuaeque Phoebes vultus aut Phoebi mei,  
 tuusque potius — talis, en talis fuit 655  
 cum placuit hosti, sic tulit celsum caput:  
 in te magis refulget incomptus decor;  
 est genitor in te totus et torvae tamen  
 pars aliqua matris miscet ex aequo decus:  
 in ore Graio Scythicus apparet rigor. 660  
 si cum parente Creticum intrasses fretum,  
 tibi fila potius nostra nevisset soror.  
 te te, soror, quacumque siderei poli  
 in parte fulges, invoco ad causam parem:  
 domus sorores una corripuit duas, 665  
 te genitor, at me gnatus. en supplex iacet  
 adlapsa genibus regiae proles domus.  
 respersa nulla labe et intacta, innocens  
 tibi mutor uni. certa descendi ad preces:

641 amore torret E<sup>1</sup> amorque torret AE<sup>2</sup> | intimis ferit  
 ferus E<sup>1</sup> corr. Peiper intima ferus vorat E<sup>2</sup> intimas seuus  
 uorat A || 642 om. E (adscriptis al. m.) || 643 uenis ω corr.  
 Bothe || 651 presserunt (correpta paenultima) Bentley | vittae E |  
 652 ting. rubor A || 654 tuaeue ω corr. Bothe || 655 tuusve  
 Bothe || 658 et genitor ω corr. N. Heinsius p. 67 | in te tor-  
 uus A || 662 neuidisset E || 662 siderea E || 665 duas corr. ex  
 imas E<sup>1</sup> || 669 mittor A | discendi E

finem hic dolori faciet aut vitae dies. 670  
 miserere amantis — HIPP. Magne regnator deum,  
 tam lentus audis scelera? tam lentus vides?  
 et quando saeva fulmen emittes manu,  
 si nunc serenum est? omnis impulsus ruat 675  
 aether et atris nubibus condat diem,  
 ac versa retro sidera obliquos agant  
 retorta cursus. tuque, sidereum caput,  
 radiate Titan, tu nefas stirpis tuae  
 speculari? lucem merge et in tenebras fuge.  
 cur dextra, divum rector atque hominum, vacat 680  
 tua nec trisulca mundus ardescit face?  
 in me tona, me fige, me velox cremet  
 transactus ignis — sum nocens, merui mori:  
 placui novercae. dignus en stupris ego?  
 scelerique tanto visus ego solus tibi 685  
 materia facilis? hoc meus meruit rigor?  
 o scelere vincens omne femineum genus,  
 [o maius ausa matre monstifera malum]  
 genetrice peior! illa se tantum stupro  
 contaminavit, et tamen tacitum diu 690  
 crimen biformi partus exhibuit nota  
 scelusque matris arguit vultū truci  
 ambiguus infans — ille te venter tulit.  
 o ter quaterque prospero fato dati  
 quos hausit et peremit et leto dedit 695  
 odium dolusque — genitor, invideo tibi:  
 Colchide noverca maius haec, maius malum est.  
 PH. Et ipsa nostrae fata cognosco domus:  
 fugienda petimus; sed mei non sum potens.  
 te vel per ignes, per mare insanum sequar 700

671<sup>b</sup> PHAED. magna E (corr. al. m.) || 673 ecquando α |  
 emittis E (probat Leo p. 381) || 676 ac uestra E || 677 syde-  
 rium E || 678 radiate tantum ne nefas E || 682 in me fige A ||  
 684 dignus an A || 688 del. Bothe || 691 biformis A triformi E ||  
 694 sati N. Heinsius p. 68 || 695 om. ψ | ausit E || 696 in-  
 uidet A<sup>r</sup> || 697 cholchide E | hoc ω corr. N. Heinsius p. 68

rūpesque et amnes, unda quos torrens rapit;  
quacumque gressus tuleris hac amens agar —  
iterum, superbe, genibus advolvor tuis.

HIPP. Procul impudicos corpore a casto amove  
tactus — quid hoc est? etiam in amplexus ruit? 705  
stringatur ensis, merita supplicia exigat.

en impudicum crine contorto caput  
laeva reflexi: iustior numquam focis  
datus tuis est sanguis, arquitenens dea.

PH. Hippolyte, nunc me compotem voti facis; 710  
sanas furentem. maius hoc voto meo est,  
salvo ut pudore manibus immoriar tuis.

HIPP. Abscede, vive ne quid exores, et hic  
contactus ensis deserat castum latus.

quis eluet me Tanais aut quae barbaris 715  
Maeotis undis Pontico incumbens mari?

non ipse toto magnus Oceano pater  
tantum expiarit sceleris. o silvae, o ferae!

NVTR. Deprensa culpa est. anime, quid segnis stupes?  
regeramus ipsi crimen atque ultro impiam 720

Venerem arguamus: scelere velandum est scelus;  
tutissimum est inferre, cum timeas, gradum.

ausae priores simus an passae nefas,  
secreta cum sit culpa, quis testis sciet?

Adeste, Athenae! fida famulorum manus, 725  
fer opem! nefandi raptor Hippolytus stupri

instat premitque, mortis intentat metum,  
ferro pudicam terret — en praeceps abit  
ensemque trepida liquit attonitus fuga.

pignus tenemus sceleris. hanc maestam prius 730  
recreate. crinis tractus et lacerae comae.

ut sunt remaneant, facinoris tanti notae.  
perferte in urbem. recipe iam sensus, era.

702 amens sequar A || 707 et impud. E || 710 adfert Priscianus cf. praef. cap. II | facies E facias Prisciani Halberstad. et Caroliruh. || 712 soluo E || 729 trepidam E || 732 notas A || 733 referte A | hera A<sup>r</sup>

quid te ipsa lacerans omnium adspectus fugis?  
mens inpudicam facere, non casus solet.

735

## CHORVS

Fugit insanae similis procellae,  
ocior nubes glomerante Coro,  
ocior cursum rapiente flamma,  
stella cum ventis agitata longos  
porrigit ignes.

740

Conferat tecum decus omne priscum  
fama miratrix senioris aevi:

pulchrior tanto tua forma lucet,  
clarior quanto micat orbe pleno  
cum suos ignes coeunte cornu

745

iunxit et curru properante pernox  
exerit vultus rubicunda Phoebe  
nec tenent stellae faciem minores;  
talis est, primas referens tenebras,  
nuntius noctis, modo lotus undis  
Hesperus, pulsus iterum tenebris

750

Lucifer idem.

Et tu, thyrsigera Liber ab India,  
intonsa iuvenis perpetuum coma,  
tigres pampinea cuspide territans  
ac mitra cohibens cornigerum caput,  
non vinces rigidas Hippolyti comas.

755

ne vultus nimium suspicias tuos:  
omnis per populos fabula distulit,  
Phaedrae quem Bromio praetulerit soror.

760

Anceps forma bonum mortalibus,  
exigui donum breve temporis,  
ut velox celeri pede laberis!

734 quit E | laceras E | aspectum A || 740 corripit A ||  
747 exeret E || post 748 quaedam intercidissee statuit Peiper ||  
749 qualis ω corr. Leo || 753—760 post 808 collocavit Swoboda ||  
755 pampinea E || 758 nec A || 759 omnes A



Non sic prata novo vere decentia  
 aestatis calidae despoliat vapor, 765  
 saevit solstitio cum medius dies  
 et noctes brevibus praecipitant rotis  
 languescunt folio et lilia pallido:  
 ut gratae capiti deficiunt comae  
 et fulgor teneris qui radiat genis 770  
 momento rapitur nullaque non dies  
 formonsi spolium corporis abstulit.  
 res est forma fugax: quis sapiens bono  
 confidat fragili? dum licet, utere.  
 tempus te tacitum subruit, horaque 775  
 semper praeterita deterior subit.  
 Quid deserta petis? tutior aviis  
 non est forma locis: te nemore abdito,  
 cum Titan medium constituit diem,  
 cingent turba licens Naides improbae, 780  
 formonsos solitae claudere fontibus,  
 et somnis facient insidias tuis  
 [lascivae nemorum deae]  
 Panas quae Dryades montivagos petunt.  
 aut te stellifero despiciens polo 785  
 sidus post veteres Arcadas editum  
 currus non poterit flectere candidos.  
 et nuper ruit, nullaque lucidis  
 nubes sordidior vultibus obstitit;  
 at nos solliciti numine turbido, 790

764 sqq. cf. *Richteri disputationem symb. p. 35 sq.* || 764 vere  
 novo prata A || 765 despoliat  $\psi$  || 767 sed noctem A $\tau$  | praeci-  
 cipitat  $\omega$  corr. Gronov || 768 ut E om. A corr. Richter || 769 et  $\omega$   
 corr. Richter | deficiunt rosae A || 770 ut fulgor  $\omega$  corr. Richter |  
 genis: i ex u E || 772 formosi A || 774 confidit  $\omega$  corr.  $\alpha$   
 775 tempus sed A | subruet E corr.  $\psi$  || 778 abditum A || 780 cing-  
 get A cingnet E corr. Richter | Naiades A || 780. 781 sic dis-  
 positi: c. t. l. | N. i. f. s. | c. f.  $\omega$  || 783 lasc. n. d. montivagive  
 Panes A del. Leo I 141 cf. *Mus. Rh. 1897 p. 515 n. 3* (lascivae  
 n. montivagae deae  $\psi$   $\alpha$  frondiferum deae *Peiper*) || 784 om.  $\psi$   
 ( $\tau$ . Ag.) || 788 en nuper  $\psi$  || 790 lumine A

tractam Thessalicis carminibus rati,  
tinnitus dedimus: tu fueras labor  
et tu causa morae, te dea noctium  
dum spectat celeres sustinuit vias.

Vexent hanc faciem frigora parcus, 795  
haec solem facies rarius appetat:

lucebit Pario marmore clarius.

quam grata est facies torva viriliter

et pondus veteris triste supercili!

Phoebo colla licet splendida compares: 800

illum caesaries nescia colligi

perfundens umeros ornat et integit;

te frons hirta decet, te brevior coma

nulla lege iacens; tu licet asperos

pugnacesque deos viribus audeas 805

et vasti spatio vincere corporis:

aequas Herculeos nam iuvenis toros,

Martis belligeri pectore latior.

si dorso libeat cornipedis vehi,

frenis Castorea mobilior manu 810

Spartanum poteris flectere Cyllaron.

augmentum digitis tende prioribus

et totis iaculum dirige viribus:

tam longe, dociles spicula figere,

non mittent gracilem Cretes harundinem. 815

aut si tela modo spargere Parthico

in caelum placeat, nulla sine alite

descendent, tepido viscere condita

praedam de mediis nubibus afferent.

Raris forma viris (saecula perspice) 820

impunita fuit. te melior deus

tutum praetereat formaque nobilis

deformis senii monstret imaginem.

791 tactam *Heins. ad her. p. 78* || 794 rotas *Bentley* ||  
804 sq. asperas p. feras *Bentley* || 805 arceas **A** || 807 iuvenes **E** ||  
810 nobilior **E** || 811 cillarum **A** || 817 sine aue **E** || 819 afferes **A**  
auferent *Gronov* || 820 prospice **A** || 823 def. sen. limina transeat **A**

Quid sinat inausum feminae praeceps furor?  
 nefanda iuveni crimina insonti apparat. 825  
 en scelera! quaerit crine lacerato fidem,  
 decus omne turbat capitis, umectat genas:  
 instruitur omni fraude feminea dolus.

Sed iste quisnam est, regium in vultu decus  
 gerens et alto vertice attollens caput? 830  
 ut ora iuveni paria Perithoo gerit,  
 ni languido pallore canderent genae  
 staretque recta squalor incultus coma.  
 en ipse Theseus redditus terris adest.

THESEVS NVTRIX

Tandem profugi noctis aeternae plagam 835  
 vastoque manes carcere umbrantem polum,  
 et vix cupitum sufferunt oculi diem.

iam quarta Eleusin dona Triptolemi secat  
 paremque totiens libra composuit diem, 840  
 ambiguus ut me sortis ignotae labor  
 detinuit inter mortis et vitae mala.

pars una vitae mansit extincto mihi:  
 sensus malorum; finis Alcides fuit,  
 qui cum revulsum Tartaro abstraheret canem,  
 me quoque supernas pariter ad sedes tulit. 845

sed fessa virtus robore antiquo caret  
 trepidantque gressus. heu, labor quantus fuit  
 Phlegethonte ab imo petere longinquum aethera  
 pariterque mortem fugere et Alciden sequi.

Quis fremitus aures flebilis pepulit meas? 850  
 expromat aliquis. luctus et lacrimae et dolor,

825 insonti E || 826 in scelere A || 828 omnis A omne fr.  
 femineus dolus Gronov || 829 quidnam E || 831 piritho o E peri-  
 thoo τ pirithoi A ora comiti p. Pirithoi Gronov || 832 candore  
 pallarent A || 835 scaenae inscr. om. A || 837 ut uix A || 838 eleu-  
 sin (in *cx* is *i. ras.*) E<sup>1</sup> eleusis A | treptolemi E tritolomi A<sup>τ</sup>  
 corr. α || 843 mersus (sensu *Ecl. Lugd.*) malorum A || 844 re-  
 uulso E | extraheret A || 849 alcidem A<sup>τ</sup>

in limine ipso maesta lamentatio?  
 auspicia digna prorsus inferno hospite.  
 NVTR. Tenet obstinatum Phaedra consilium necis  
 fletusque nostros spernit ac morti imminet. 855  
 THES. Quae causa leti? reduce cur moritur viro?  
 NVTR. Haec ipsa letum causa maturum attulit.  
 THES. Perplexa magnum verba nescio quid tegunt.  
 effare aperte quis gravet mentem dolor.  
 NVTR. Haut pandit ulli; maesta secretum occultit 860  
 statuitque secum ferre quo moritur in alium.  
 iam perge, quaeso, perge: properato est opus.  
 THES. Reserate clausos regii postes laribus.

## THESEVS PHAEDRA NVTRIX TACITA

O socia thalami, sicine adventum viri  
 et expetiti coniugis vultum excipis? 865  
 quin ense viduas dexteram atque animum mihi  
 restituis et te quicquid e vita fugat  
 expromis? PH. Eheu, per tui sceptrum imperi,  
 magnanime Theseu, perque natorum indolem  
 tuosque reditus perque iam cineres meos, 870  
 permitte mortem. THES. Causa quae cogit mori?  
 PH. Si causa leti dicitur, fructus perit.  
 THES. Nemo istud alius, me quidem excepto, audiet.  
 PH. Aures pudica coniugis solas timet.  
 THES. Effare: fido pectore arcana occultam. 875  
 PH. Alium silere quod voles, primus sile.  
 THES. Leti facultas nulla continget tibi.  
 PH. Mori volenti desse mors numquam potest.

852 et limine in ipso A || 853 hospitia ω corr. Grotius ||  
 860 aut E || 863 *Thesei notam non hic, sed ante v. 864 praef.* E ||  
 postis lares A<sup>τ</sup> || 864 *novae scaenae inscr. om.* A Thes. fedra ψ ||  
 866 dextram A<sup>τ</sup> || 867 quod quidem e (om. τ) v. f. A<sup>τ</sup> ||  
 868 heu A || 872 si leti causa A<sup>τ</sup> || 874 sq. *person. notas om.* A<sup>τ</sup> ||  
 a. pudicas c. s. times? A || 877 contingnet E || 878 numquam  
 mors A

THES. Quod sit luendum morte delictum indica.

PH. Quod vivo. THES. Lacrimae nonne te nostrae mo-  
vent? 880

PH. Mors optima est perire lacrimandum suis.

THES. Silere pergit. verbera ac vinclis opus;  
altrixque prodest quicquid haec fari abnuvit.

vincite ferro. verberum vis extrahat

secreta mentis. PH. Ipsa iam fabor, mane. 885

THES. Quidnam ora maesta avertis et lacrimas genis  
subito coortas veste praetenta optegis?

PH. Te, te, creator caelitem, testem invoco

et te, coruscum lucis aetheriae iubar,

†ex cuius ortu nostra dependet domus: 890

temptata precibus restiti; ferro ac minis

non cessit animus: vim tamen corpus tulit.

labem hanc pudoris eluet noster cruor.

THES. Quis, ede, nostri decoris eversor fuit?

PH. Quem rere minime. THES. Quis sit audire expeto. 895

PH. Hic dicet ensis quem tumultu territus

liquit stuprator civium accursum timens.

THES. Quod facinus, heu me, cerno? quod monstrum  
intuor?

regale patris asperum signis ebur

capulo refulget, gentis Actaeae decus. 900

sed ipse quonam evasit? PH. Hi trepidum fuga

videre famuli concitum celeri pede.

THES. Pro sancta Pietas, pro gubernator poli

et qui secundum fluctibus regnum moves,

unde ista venit generis infandi lues? 905

hunc Graia tellus aluit an Taurus Scythes

880 THES. om. A<sup>z</sup> || 881 *Thesei est* A<sup>z</sup> || 882 vinclis anus ω  
corr. Bothe || 883 adstricta pr. Peiper suppl. p. 33 (attrita  
N. Heinsius p. 69) | prodest E || 887 obortas (vel abortas) A<sup>z</sup> |  
obtegis A || 889 aetheree A || 890 ex quibus utrimque ci. Leo |  
descendit N. Heinsius l. n. || 897 liquid E || 899 parvis ω corr.  
N. Heinsius l. n. || 900 generis E | Actaei Gronov || 902 celeri  
concitum A<sup>z</sup> || 904 sec. in fl. r. tenes A

Colchusque Phasis? redit ad auctores genus  
 stirpemque primam degener sanguis refert.  
 est prorsus iste gentis armiferae furor,  
 odisse Veneris foedera et castum diu 910  
 vulgare populis corpus. o tetrum genus  
 nullaque victum lege melioris soli!  
 ferae quoque ipsae Veneris evitant nefas,  
 generisque leges inscius servat pudor.  
 ubi vultus ille et ficta maiestas viri 915  
 atque habitus horrens, prisca et antiqua appetens,  
 morumque senium triste et affectus graves?  
 o vita fallax, abditos sensus geris  
 animisque pulchram turpibus faciem induis:  
 pudor impudentem celat, audacem quies, 920  
 pietas nefandum; vera fallaces probant  
 simulantque molles dura. silvarum incola  
 ille efferatus castus intactus rudis,  
 mihi te reservas? a meo primum toro  
 et scelere tanto placuit ordiri virum? 925  
 iam iam superno numini grates ago,  
 quod icta nostra cecidit Antiope manu,  
 quod non ad antra Stygia descendens tibi  
 matrem reliqui. profugus ignotas procul  
 percurrere gentes: te licet terra ultimo 930  
 summotam mundo dirimat Oceani plagis  
 orbemque nostris pedibus obversum colas,  
 licet in recessu penitus extremo abditus  
 horrifera celsi regna transieris poli  
 hiemesque supra positus et canas nives 935  
 gelidi frementes liqueris Boreae minas  
 post te furentes, sceleribus poenas dabis.  
 profugum per omnis pertinax latebras premam:  
 longinqua clausa abstrusa diversa invia

907 Phisis E || 908 stirpemque E || 909 armigere A<sup>τ</sup> || 912 non  
 ulla uinctum A<sup>τ</sup> || 917 et aspectu graue A || 919 turbidis A<sup>τ</sup> ||  
 924 a om. A<sup>τ</sup> || 926 om. ψ || 936 gelidum frementis N. Heinsius  
 p. 69 || 937 poste f. E || 938 omnes A || 939 longinquam E

emetiemur, nullus obstabit locus: 940  
 scis unde redeam. tela quo mitti haud queunt,  
 huc vota mittam. genitor aequoreus dedit  
 ut vota prono terna concipiam deo,  
 et invocata munus hoc sanxit Styge.

En perage donum triste, regnator freti! 945  
 non cernat ultra lucidum Hippolytus diem  
 adeatque manes iuvenis iratos patri.  
 fer abominandam nunc opem gnato, parens:  
 numquam supremum numinis munus tui  
 consumeremus, magna ni premerent mala; 950  
 inter profunda Tartara et Ditem horridum  
 et imminentes regis inferni minas,  
 voto pepercit: redde nunc pactam fidem.  
 genitor, moraris? cur adhuc undae silent?  
 nunc atra ventis nubila impellentibus 955  
 subtexe noctem, sidera et caelum eripe,  
 effunde pontum, vulgus aequoreum cie  
 fluctusque ab imo tumidus Oceano voca.

## CHORVS

O magna parens, Natura, deum 960  
 tuque igniferi rector Olympi,  
 qui sparsa cito sidera mundo  
 cursusque vagos rapis astrorum  
 celerique polos cardine versas,  
 cur tanta tibi cura perennes  
 agitare vias aetheris alti, 965  
 ut nunc canae frigora brumae

941. 942 priora hemistichia (scis u. r. et huc v. m.) commutata A || 943 trina A<sup>r</sup> || 947 irato patre A || 949 supremum E || 958 ipsos E ipso A corr. Wakefield cf. Verg. A. II 419 | tumidos Eψ || 959—982 versus binorum dimetrorum, distinctis singulorum initiis E; monometri in E: 969<sup>a</sup> colla leonis (vid. infra), 977 noc. malis; in A: 967 nudent s. 977 noc. m. 988 regn. adulter || 964 cur tibi tanta est cura A || 966—978 post v. 990 E, ordinem restituit E<sup>1-2</sup> || 966 et nunc E

nudent silvas,  
 nunc arbustis redeant umbrae,  
 nunc aestivi colla leonis  
 Cererem magno fervore coquant 970  
 viresque suas temperet annus?  
 sed cur idem qui tanta regis,  
 sub quo vasti pondera mundi  
 librata suos ducunt orbis,  
 hominum nimium securus abes, 975  
 non sollicitus  
 prodesse bonis, nocuisse malis?  
 res humanas ordine nullo  
 Fortuna regit sparsitque manu  
 munera caeca, peiora fovens; 980  
 vincit sanctos dira libido,  
 fraus sublimi regnat in aula.  
 tradere turpi fasces populus  
 gaudet, eosdem colit atque odit.  
 tristis virtus perversa tulit 985  
 praemia recti:  
 castos sequitur mala paupertas  
 vitioque potens regnat adulter:  
 o vane pudor falsumque decus! 989

Sed quid citato nuntius properat gradu 989<sup>b</sup>  
 rigatque maestis lugubrem vultum genis? 990

### NUNTIVS THESEVS

O sors acerba et dura, famulatus gravis,  
 cur me ad nefandum nuntium casus vocat?  
 THES. Ne metue cladis fortiter fari asperas:

969 sq. sic disponit: c. l. C. | m. f. c. E || 975 ades (sic)  
 securus A || 979 spargitque A | manum E || 983 fasces E || 988<sup>b</sup>.  
 989 sic disponit E: regn. ad. o v. p. | f. d. | vani E || 989 portat  
 gradu ω corr. Leo I 212 || 990 restatque maestus l. v. gerens A |  
 inscr. om. A || 991 graues E || 992 nefandi A | uocas A || 993 cla-  
 des A



non imparatum pectus aerumnis fero.

NVNT. Vocem dolori lingua luctificam negat. 995

THES. Proloquere quae sors aggravet quassam domum.

NVNT. Hippolytus, heu me, flebili leto occubat.

THES. Gnatum parens obisse iam pridem scio:  
nunc raptor obiit. mortis effare ordinem.

NVNT. Vt profugus urbem liquit infesto gradu 1000

celerem citatis passibus cursum explicans,

celso sonipedes ocius subigit iugo

et ora frenis domita substrictis ligat.

tum multa secum effatus et patrium solum

abominatus saepe genitorem ciet 1005

acerque habenis lora permissis quatit:

cum subito vastum tonuit ex alto mare

crevitque in astra. nullus inspirat salo

ventus, quieti nulla pars caeli strepit

placidumque pelagus propria tempestas agit. 1010

non tantus Auster Sicula disturbat freta

nec tam furens Ionius exurgit sinus

regnante Coro, saxa cum fluctu tremunt

et cana summum spuma Leucaten ferit.

consurgit ingens pontus in vastum aggerem, 1015

[tumidumque monstro pelagus in terras ruit.]

nec ista ratibus tanta construitur lues:

terris minatur; fluctus haud cursu levi

provolvitur: nescio quid onerato sinu

gravis unda portat. quae novum tellus caput 1020

ostendit astris? Cyclas exoritur nova?

[latuere rupes numine Epidauri dei

et scelere petrae nobiles Scironides

994 gero A || 995 luctifica  $\omega$  corr. ed. *Scriveriana* ||  
996 aggr. luctificam domum E || 997 noto accubat A || 1000 li-  
quid E || 1002 celsos  $\omega$  corr. N. *Heinsius* p. 70 || 1004 fatur  
N. *Heinsius* *ibd.* || 1008 solo E || 1012 furenti pontus e. sinu  $\omega$   
corr. *Bothe* (furenti Ionius—sinu I. *Gronov*) || 1013 choro  $\omega$  ||  
1016 del. *Leo* I 207 | terram A || 1020 capud E || 1022—1024 del.  
*Leo* I 201 || 1022 l. nube A | numen  $\omega$  corr. *Leo* (limen N. *Hein-*  
*sius* *ibd.*

et quae duobus terra comprimitur fretis.]  
 haec dum stupentes quaerimus, totum en mare 1025  
 immugit, omnes undique scopuli adstrepunt;  
 summum cacumen rorat expulso sale,  
 spumat vomitque vicibus alternis aquas  
 qualis per alta vehitur Oceani freta  
 fluctum refundens ore physeter capax. 1030  
 inhorrui concussus undarum globus  
 solvitque sese et litori invexit malum  
 maius timore, pontus in terras ruit  
 suumque monstrum sequitur — os quassat tremor.  
 quis habitus illi corporis vasti fuit! 1035  
 caerulea taurus colla sublimis gerens  
 erexit altam fronte viridanti iubam;  
 stant hispidae aures, orbibus varius color,  
 et quem feri dominator habuisset gregis  
 et quem sub undis natus: hinc flammam vomunt 1040  
 oculi, hinc relucent caerulea insignes nota;  
 opima cervix arduos tollit toros  
 naresque hiulcis haustibus patulae fremunt;  
 musco tenaci pectus ac palear viret,  
 longum rubente spargitur fuco latus; 1045  
 tum pone tergus ultima in monstrum coit  
 facies et ingens belua immensam trahit  
 squamosa partem. talis extremo mari  
 pistrix citatas sorbet aut frangit rates.  
 tremuere terrae, fugit attonitum pecus 1050  
 passim per agros nec suos pastor sequi  
 meminit iuvencos; omnis e saltu fera

1025 querimus A | en totum ω corr. Peiper || 1026 astrepunt scop. undique B. Schmidt de emend. p. 36. Vide ad HI 950 || 1027 rotat E | salo A || 1030 fluctus A | philens (phileus, philen) capax Aτ || 1033 maius malum timore E || 1034 ossa E hos A(τ) (nos τ) || 1035 Thesci est A | ille ω corr. Richter || 1036 herculea A || 1038 aures A | cornibus A || 1040 uomit A || 1041 lucent Aτ | insignis ω corr. Gronov || 1042 post 1043 ponit Swoboda || 1044 om. E (in mg. add. al. m.) || 1045 succo A || 1048 squam. caudam ei. Richter || 1049 aut reddit A

diffugit, omnis frigido exsanguis metu  
 venator horret. solus immunis metu  
 Hippolytus artis continet frenis equos 1055  
 pavidosque notae vocis hortatu ciet.  
 est alta ad agros collibus ruptis via,  
 vicina tangens spatia suppositi maris;  
 hic se illa moles acuit atque iras parat.  
 ut cepit animos seque praetemptans satis 1060  
 prolusit irae, praepeti cursu evolat,  
 summam citato vix gradu tangens humum,  
 et torva currus ante trepidantes stetit.  
 contra feroci gnatus insurgens minax  
 vultu nec ora mutat et magnum intonat: 1065  
 'haud frangit animum vanus hic terror meum:  
 nam mihi paternus vincere est tauros labor.'  
 inobsequentes protinus frenis equi  
 rapuere currum iamque derrantes via,  
 quacumque rabidos pavidus evexit furor, 1070  
 hac ire pergunt seque per scopulos agunt.  
 at ille, qualis turbido rector mari  
 ratem retentat, ne det obliquum latus,  
 et arte fluctum fallit, haud aliter citos  
 currus gubernat: ora nunc pressis trahit 1075  
 constricta frenis, terga nunc torto frequens  
 verberare coerces. sequitur adsiduus comes,  
 nunc aequa carpens spatia, nunc contra obuius  
 oberrat, omni parte terrorem movens.  
 non licuit ultra fugere: nam toto obuius 1080  
 incurrit ore corniger ponti horridus.  
 tum vero pavida sonipedes mente exciti

1053 discessit A | omnis om. A(τ) || 1054 solis (is i. ras. 1  
 lit.) E<sup>2</sup> solis Σ || 1057 Argos A cf. *Leo I 205* || 1058 vicini E ||  
 1060 praecipitans ψ || 1063 toruusque A | crepitantes A<sup>τ</sup> (exc. Vd.) ||  
 1069 cursum ψ (*Bentley*) | deerrantes ω || 1070 quaquumque E |  
 pavidos rapidus A || 1074 fluctus A || 1078 auius *Bentley* || 1079.  
 1080 om. A<sup>τ</sup> || 1080 toruo α torto ψ || 1081 om., sed add. in  
 mg. E<sup>1</sup>

imperia solvunt seque luctantur iugo  
 eripere rectique in pedes iactant onus. 1085  
 praeceps in ora fusus implicuit cadens  
 laqueo tenaci corpus et quanto magis  
 pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.  
 sensere pecudes facinus — et curru levi,  
 dominante nullo, qua timor iussit ruunt. 1090  
 talis per auras non suum agnoscens onus  
 Solique falso creditum indignans diem  
 Phaethonta currus devio excussit polo.  
 late cruentat arva et inlisum caput  
 scopulis resultat; auferunt dumi comas,  
 et ora durus pulchra populatur lapis 1095  
 peritque multo vulnere infelix decor.  
 moribunda celeres membra pervolvunt rotae:  
 tandemque raptum truncus ambusta sude  
 medium per inguen stipite ingesto tenet,  
 paulumque domino currus affixo stetit. 1100  
 haesere biuges vulnere — et pariter moram  
 dominumque rumpunt. inde semanimum secant  
 virgulta, acutis asperi vepres rubis  
 omnisque truncus corporis partem tulit.  
 errant per agros funebris famuli manus, 1105  
 per illa qua distractus Hippolytus loca  
 longum cruenta tramitem signat nota,  
 maestaeque domini membra vestigant canes.  
 necdum dolentum sedulus potuit labor  
 explere corpus. hocine est formae decus? 1110  
 qui modo paterni clarus imperii comes  
 et certus heres siderum fulsit modo,  
 passim ad supremos ille colligitur rogos  
 et funeri confertur. THES. O nimium potens,

1085 in ora gnatus impl. A || 1092 phetonta ω || 1097 pro-  
 volvunt A || 1099 iecto E eiecto A erecto τ corr. N. Heinsius  
 p. 72 coll. H II 1449 || 1102 semianimum E || 1103 acuti A τ ||  
 1104 omnisque lucus Peiper || 1105 errat A | funebres E ||  
 1106 quae EA corr. ψ || 1113. 1114 sic disponit E<sup>1</sup>: passim — con-

quanto parentes sanguinis vinclo tenes, 1115  
 natura, quam te colimus inviti quoque:  
 occidere volui noxium, amissum fleo.  
 NVNT. Gaudere non est ipse quod voluit potens.  
 THES. Equilem malorum maximum hunc cumulum reor,  
 si abominanda casus optanda efficit. 1120  
 NVNT. Et si odia servas, cur madent fletu genae?  
 THES. Quod interemi non, quod amisi fleo.

CHORVS

Quanti casus humana rotant!  
 minor in parvis Fortuna furit  
 leviusque ferit leviora deus; 1125  
 servat placidos obscura quies  
 praebetque senes casa securos.

Admota aetheriis culmina sedibus  
 Euros excipiunt, excipiunt Notos,  
 insani Boreae minas 1130  
 imbriferumque Corum.

Raros patitur fulminis ictus  
 umida vallis:  
 tremuit telo Iovis altisoni  
 Caucasus ingens Phrygiumque nemus 1135  
 matris Cybeles: metuens caelo  
 Iuppiter alto vicina petit;  
 non capit umquam magnos motus  
 humilis tecti plebeia domus.  
 [circa regna tonat] 1140

fertur. | TH. — potens || 1115 natura parentes A<sup>r</sup> || 1118 haud  
 flere honeste quisquam quod voluit potest A Ha. odere non  
 est quisque quod voluit potens E corr. Leo cf. I 216 n. 11  
 Peiper ci: haud flere honestum est, quisquis est voti potens. ||  
 1120 optata A || 1122 sic versum distinxit M. Müller p. 32 ||  
 1129 Duros excipiunt notos A || 1140 del. Leo I 139

Volat ambiguus mobilis alis  
hora, nec ulli praestat velox  
Fortuna fidem.

hic qui clari \* \*  
sidera mundi

nitidumque diem morte relicta, 1145  
luget maestos tristis reditus  
ipsoque magis flebile Averno  
sedis patriae videt hospitium.

Pallas Actaeae veneranda genti,  
quod tuus caelum superosque Theseus 1150  
spectat et fugit Stygias paludes,  
casta nil debes patruo rapaci:  
constat inferno numerus tyranno.

Quae vox ab altis flebilis tectis sonat  
strictoque vaecors Phaedra quid ferro parat? 1155

### THESEVS PHAEDRA CHORVS

Quis te dolore percitam instigat furor?  
quid ensis iste quidve vociferatio  
planctusque supra corpus invisum volunt?  
PH. Me, me, profundi saeve dominator freti,  
invade et in me monstra caerulei maris 1160  
emitte, quicquid intimo Tethys sinu  
extrema gestat, quicquid Oceanus vagis  
complexus undis ultimo fluctu tegit.  
o dure Theseu semper, o numquam ad tuos  
tuto reverse: gnatus et genitor nece 1165

1142 fallax Bentley || 1143—1147 (Fortuna — patriae) *dimetri* 1148 *monom.* E 1143 (Fort. fidem) *monom.*, 1144—1148 *dimetri* A || 1143 Fort. fidem. qui clara videt A Fort. fidem. hic qui clari E lacunam Leo I 108 sic explet: <laetus vidit> || 1145 nocte  $\psi$  et sic Leo, sed cf. v. 1220 || 1156 *inscr.*: THESEVS. PHAEDRA ET IDEM E, corr.  $\psi$  om. A || 1161 thetis A || 1164 dire  $\psi$  | numquam tuis A

reditus tuos luere; pervertis domum  
 amore semper coniugum aut odio nocens.  
 Hippolyte, tales intuor vultus tuos  
 talesque feci? membra quis saevus Sinis  
 aut quis Procrustes sparsit aut quis Cresius, 1170  
 Daedalea vasto claustra mugitu replens,  
 taurus biformis ore cornigero ferox  
 divulsit? heu me, quo tuus fugit decor  
 oculique nostrum sidus? exanimis iaces?  
 ades parumper verbaque exaudi mea — 1175  
 nil turpe loquimur: hac manu poenas tibi  
 solvam et nefando pectori ferrum inseram  
 animaque Phaedram pariter ac scelere exuam,  
 et te per undas perque Tartareos lacus,  
 per Styga, per amnes igneos amens sequar. 1180  
 placemus umbras: capitis exuvias cape  
 laceraeque frontis accipe abscisam comam.  
 non licuit animos iungere, at certe licet  
 iunxisse fata. morere, si casta es, viro;  
 si incesta, amori. coniugis thalamos petam 1185  
 tanto impiatos facinore? hoc derat nefas,  
 ut vindicato sancta fruereris toro.  
 o mors amoris una sedamen mali,  
 o mors pudoris maximum laesi decus,  
 confugimus ad te: pande placatos sinus. 1190  
 Audite, Athenae, tuque, funesta pater  
 peior noverca: falsa memoravi et nefas,  
 quod ipsa demens pectore insano hauseram,  
 mentita finxi. vana punisti pater,  
 iuvenisque castus crimine incesto iacet, 1195  
 pudicus, insons — recipe iam mores tuos.  
 mucrone pectus impium iusto patet

1169 qui E | cinis ω corr. α (Scinis) || 1170 procrustes A ||  
 1171 dedalia A<sup>r</sup> || 1176 hoc E || 1178 a. memet pariter A || 1184 ca-  
 stes viro E || 1186 impletos E || 1188<sup>b</sup>. 1189<sup>a</sup> (una — pudoris) om. A<sup>r</sup> ||  
 1194 falsa punisti A || 1195 incerto A<sup>r</sup> (Ag. corr. ex inceste)  
 inceste ψ

cruorque sancto solvit inferias viro.

THES. Quid facere rapto debeas gnato parens,  
disce a noverca: condere Acherontis plagis. 1200

Pallidi fauces Averni vosque, Taenarei specus,  
unda miseris grata Lethes vosque, torpentes lacus,  
impium rapite atque mersum premitte perpetuis malis.  
nunc adeste, saeva ponti monstra, nunc vastum mare,  
ultimo quodcumque Proteus aequorum abscondit sinu, 1205  
meque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites.  
tuque semper, genitor, irae facilis assensor meae,  
morte facili dignus haud sum qui nova natum nece  
segregem sparsi per agros quique, dum falsum nefas  
exsequor vindex severus, incidi in verum scelus. 1210  
sidera et manes et undas scelere complevi meo:  
amplius sors nulla restat; regna me norunt tria.

In hoc redimus? patuit ad caelum via,  
bina ut viderem funera et geminam necem,  
caelebs et orbis funebres una face 1215  
ut concremarem prolis ac thalami rogos?  
donator atrae lucis, Alcide, tuum  
Diti remitte munus; ereptos mihi  
restitu manes. impius frustra invoco  
mortem relictam — crudus et leti artifex, 1220  
exitia machinatus insolita efferat,  
nunc tibimet ipse iusta supplicia irroga.  
pinus coacto vertice attingens humum  
caelo remissum findat in geminas trabes,

1199 THES. *om.* A || 1200 disce ex n. A || 1201 THES. *praef.* A |  
teneral E trenarei A<sup>r</sup> || 1203 impium abdite *Leo II 381* ||  
1204 vastum pecus *ci. Richter symb. p. 36* || 1205 sinum E 'sed  
m (*lineola*) *erasa videtur*' ut *Leo testatur*, sinu E t. *Petero*,  
*nihil adnotat Ribbeck* || 1207 ascensor E || 1207 ante 1206 *posuit*  
*Bentley* || 1208 morte dignum facinus ausus sum (*sic*) qui A<sup>r</sup> ||  
1210 vindex scelestus A | verum nefas A || 1211 sceleri E ||  
1213 in caelum A<sup>r</sup> || 1221 efferat A<sup>r</sup> || 1222 ipse tibimet *Leo*  
*cum Bothio contra libros*



- mittarve praeceps saxa per Scironia? 1225  
 graviora vidi, quae pati clausos iubet  
 Phlegethon nocentes igneo cingens vado:  
 quae poena memet maneat et sedes, scio.  
 umbrae nocentes, cedite et cervicibus  
 his, his repositum degravet fessas manus 1230  
 saxum, seni perennis Aeolio labor;  
 me ludat annis ora vicina alluens;  
 vultur relicto transvolet Tityo ferus  
 meumque poenae semper accrescat iecur;  
 et tu mei requiesce Perithoi pater: 1235  
 haec incitatis membra turbinibus ferat  
 numquam resistens orbe revoluto rota.  
 dehisce tellus, recipe me dirum chaos,  
 recipe, haec ad umbras iustior nobis via est:  
 gnatum sequor — ne metue qui manes regis: 1240  
 casti venimus; recipe me aeterna domo  
 non exiturum. non movent divos preces;  
 at si rogarem scelera, quam proni forent.  
 CHOR. Theseu, querelis tempus aeternum manet:  
 nunc iusta nato solve et absconde ocuis 1245  
 dispersa foede membra laniatu effero.  
 THES. Huc, huc reliquias vehite cari corporis  
 pondusque et artus temere congestos date.  
 Hippolytus hic est? crimen agnosco meum:  
 ego te peremi; neu nocens tantum semel 1250  
 solusve fierem, facinus ausurus parens  
 patrem advocavi. munere en patrio fruor.  
 o triste fractis orbitas annis malum!  
 complectere artus, quodque de nato est super,  
 miserande, maesto pectore incumbens fove. 1255  
 CHOR. Disiecta genitor membra laceri corporis

1225 mittarque A || 1227 cingens E || 1228 maneat memet A ||  
 1229 nocentis A<sup>r</sup> | cedere E cedat e A<sup>r</sup> || 1230 his *semel* A<sup>r</sup> ||  
 1231 senis p. eolii A || 1232 abluens ψ (τ) || 1237 nusquam E ||  
 1248 truncos et artus N. Heinsius p. 74 partesque et a. Koetschau ||  
 1249 facinus agn. m. A || 1251 fierem E || 1256 CHOR. om. A | di-

- in ordinem dispone et errantes loco  
 restitue partes: fortis hic dextrae locus,  
 hic laeva frenis docta moderandis manus  
 ponenda: laevi lateris agnosco notas. 1260  
 quam magna lacrimis pars adhuc nostris abest!  
 THES. Durate trepidae lugubri officio manus,  
 fletusque largos sistite, arentes genae,  
 dum membra nato genitor adnumerat suo  
 corpusque fingit. hoc quid est forma carens 1265  
 et turpe, multo vulnere abruptum undique?  
 quae pars tui sit dubito; sed pars est tui:  
 hic, hic repone, non suo, at vacuo loco.  
 haecne illa facies igne sidereo nitens,  
 inimica flectens lumina? huc cecidit decor? 1270  
 o dira fata, numinum o saevus favor!  
 sic ad parentem natus ex voto redit?  
 en haec suprema dona genitoris cape,  
 saepe efferendus; interim haec ignes ferant.  
 Patefacite acerbam caede funesta domum; 1275  
 Mopsopia claris tota lamentis sonet.  
 vos apparate regii flammam rogi;  
 at vos per agros corporis partes vagas  
 inquire. istam terra defossam premat,  
 gravisque tellus impio capiti incubet. 1280

gesta A<sup>r</sup> || 1258 humeri locus A || 1259 hic dextra A || 1262 THES.  
 om. or add. Leo || 1265 quidem est A || 1266 et turpe et m. v.  
 ambesum A || 1270 hic A || 1271 furor A || 1273 Een E | uota A ||  
 1275 acerba c. funestam A || 1279 acquirite A

MARCI · LVGII · ANNEI · SENECAE | PHAEDRA · EXPLICIT | FELICITER  
 INCIPIIT OEDYPPVS E *item Oedipus sequitur* A

O E D I P V S

## PERSONAE

I OEDIPVS

II IOCASTA

CREO

TIRESIA

III MANTO

SENEX CORINTHIVS

PHORBAS

NVNTIVS

CHORVS THEBANORVM

SCAENA THEBIS

Oedipus una sex constat actibus. Cf. Leo Plautin. Forsch. 209.

## OEDIPVS IOCASTA

Iam nocte Titan dubius expulsa redit  
 et nube maestus squalida exoritur iubar,  
 lumenque flamma triste luctifica gerens  
 prospiciet avida peste solatas domos,  
 stragemque quam nox fecit ostendet dies. 5

Quisquamne regno gaudet? O fallax bonum,  
 quantum malorum fronte quam blanda tegis!  
 ut alta ventos semper excipiunt iuga  
 rupemque saxis vasta dirimentem freta  
 quamvis quieti verberat fluctus maris, 10  
 imperia sic excelsa Fortunae obiacent.

quam bene parentis scepra Polybi fugeram!  
 curis solutus exul, intrepidus, vagans  
 (caelum deosque testor) in regnum incidi;  
 infanda timeo: ne mea genitor manu 15  
 perimatur; hoc me Delphicae laurus monent,  
 aliudque nobis maius indicunt scelus.

est maius aliquod patre mactato nefas?  
 pro misera pietas (eloqui fatum pudet),  
 thalamos parentis Phoebus et diros toros 20  
 gnato minatur impia incestos face;  
 hic me paternis expulit regnis timor.

OEDIPPVS. IOCASTE E\*) || 1 OED. E om. A | iam nocte pulsa  
 dubius effulsit dies A || 2 moestum ω corr. Gronov, maestum  
 s. extollit Bentley || 3 luctifera A || 4 iam cernet a. p. A || 5 ostendit  
 A r || 10 uerberant A || 13 uacans E || 17 indicant A || 18 ali-  
 quod (d ex t) E<sup>2</sup> aliud A || 21 ominatur I. Gronov

\*) IOCASTE Leo, IOCASTA Ribb. P.

non ego penates profugus excessi meos:  
 parum ipse fidens mihimet in tuto tua,  
 natura, posui iura. cum magna horreas, 25  
 quod posse fieri non putes metuas tamen:  
 cuncta expavesco meque non credo mihi.

Iam iam aliquid in nos fata moliri parant.  
 nam quid rear quod ista Cadmeae lues  
 infesta genti strage tam late edita 30  
 mihi parcit uni? cui reservamur malo?  
 inter ruinas urbis et semper novis  
 deflenda lacrimis funera ac populi struem  
 incolumis asto — scilicet Phoebi reus.  
 sperare poteris sceleribus tantis dari 35  
 regnum salubre? fecimus caelum nocens.

Non aura gelido lenis afflatu fovet  
 anhela flammis corda, non Zephyri leves  
 spirant, sed ignes auget aestiferi canis  
 Titan, leonis terga Nemeaei premens. 40  
 deseruit amnes umor atque herbas color  
 aretque Dirce, tenuis Ismenos fluit  
 et tinguit inopi nuda vix unda vada.  
 obscura caelo labitur Phoebi soror,  
 tristisque mundus nubilo pallet die. 45  
 nullum serenis noctibus sidus micat,  
 sed gravis et ater incubat terris vapor:  
 obtexit arces caelitem ac summas domos  
 inferna facies. denegat fructum Ceres  
 adulta, et altis flava cum spicis tremat, 50  
 arente culmo sterilis emoritur seges.  
 nec ulla pars immunis exitio vacat,  
 sed omnis aetas pariter et sexus ruit,

23 nunc ergo E<sup>1</sup> || 24 parui A<sup>τ</sup> | fidens om. A<sup>τ</sup> || 29 quid (i  
 2 m. i. ras.) ista E || 34 incolumis ergo A || 37 nec aura E ||  
 39 igne friget E (saevit vel fervet Gronov frigit I. Gronov) ||  
 40 Sitan E | nemei EA corr. ψ || 42 aretque E || 43 tingit  
 ipsa A || 45 pallet nouo A (cf. 219) || 50 cremat ω corr. Gronov ||  
 52 Nulla p. A (nec ulla τ) || 53 et omnis ψ

iuvenesque senibus iungit et gnatis patres  
 funesta pestis, una fax thalamos cremat 55  
 fletuque acerbo funera et questu carent.  
 quin ipsa tanti pervicax clades mali  
 siccavit oculos, quodque in extremis solet  
 periere lacrimae: portat hunc aeger parens  
 supremum ad ignem, mater hunc amens gerit 60  
 properatque ut alium repetat in eundem rogam.  
 quin luctu in ipso luctus exoritur novus  
 novæque circa funus exsequiae cadunt.  
 tum propria flammis corpora alienis cremant;  
 diripitur ignis: nullus est miseris pudor. 65  
 non ossa tumuli sancta discreti tegunt:  
 arsisse satis est — pars quota in cineres abit?  
 dest terra tumulis, iam rogos silvae negant.  
 non vota, non ars ulla correptos levant:  
 cadunt medentes, morbus auxilium trahit. 70

Adfusus aris supplices tendo manus  
 matura poscens fata, praecurram ut prior  
 patriam ruentem neve post omnis cadam  
 fiamque regni funus extremum mei.  
 o saeva nimium numina, o fatum grave! 75  
 negatur uni nempe in hoc populo mihi  
 mors tam parata? sperne letali manu  
 contacta regna, linque lacrimas, funera,  
 tabifica caeli vitia quae tecum invehis  
 infaustus hospes, profuge iamdudum ocus — 80  
 vel ad parentes.

100. Quid iuvat, coniunx, mala  
 gravare questu? regium hoc ipsum reor:  
 adversa caperè, quoque sit dubius magis  
 status et cadentis imperi moles labet,  
 hoc stare certo pressius fortem gradu; 85

57 ista A<sup>r</sup> || 61 regerat A | locum A<sup>r</sup> || 63 suaeque ω corr.  
 M. Mueller Ph. 267 || 66 discreta A<sup>r</sup> || 69 om. ψ | corruptos A<sup>r</sup> ||  
 72 procurram E || 73 omnes A || 77 iam E | loetali (a ex u) E<sup>1</sup> ||  
 78 scepra Bentley || 83 sit om. A<sup>r</sup> || 85 gradum E

haud est virile terga Fortunae dare.

OED. Abest pavoris crimen ac probrum procul,

virtusque nostra nescit ignavos metus:

si tela contra stricta, si vis horrida

Mavortis in me rueret — adversus feros

90

audax Gigantas obvias ferrem manus.

nec Sphinga caecis verba nectentem modis

fugi: cruentos vatis infandae tuli

rictus et albens ossibus sparsis solum;

cumque e superna rupe iam praedae imminens

95

aptaret alas verbera et caudae movens

saevi leonis more conciperet minas,

carmen poposci: sonuit horrendum insuper,

crepuere malae, saxaque impatiens morae

revulsit ungui viscera expectans mea;

100

nodosa sortis verba et implexos dolos

ac triste carmen alitis solvi ferae.

IOC. Quid sera mortis vota nunc demens facis?

licuit perire. laudis hoc pretium tibi

sceptrum et peremptae Sphingis haec merces datur.

105

OED. Ille, ille dirus callidi monstri cinis

in nos rebellat, illa nunc Thebas lues

perempta perdit. una iam superest salus,

si quam salutis Phoebus ostendit viam.

### CHORVS THEBANORVM

Occidis, Cadmi generosa proles,

110

urbe cum tota; viduas colonis

respicis terras, miseranda Thebe.

90 ferox A<sup>τ</sup> || 91 gigantes A || 92 spinga ω || 93 pestis inf. A ||  
 95 superba A || 96 ales A | caudam movens A (cf. *Leo I 37*)  
 caudae graves *Bentley* || 97 concuteret A || 100 unguis ω *corr.*  
*Bentley* || 101 fortis A<sup>τ</sup> | sortis verba tortis et E || 102 soluit E ||  
 103 IOC. om. E || 106 OED. om. E | calidi E || 110—136 extant in T  
 CHORVS THEBANORVM ET || 110 Cho. *praef.* T | ciandis catmi T ||  
 111 urbem T || 112 miserana T | phoebe E



carpitur leto tuus ille, Bacche, miles, extremos comes usque ad Indos, ausus Eois equitare campis	115
figere et mundo tua signa primo: cinnami silvis Arabas beatos vidit et versos equites, sagittis terga fallacis metuenda Parthi;	
litus intravit pelagi rubentis:	120
promit hinc ortus aperitque lucem Phoebus et flamma propiore nudos inficit Indos.	
Stirpis invictae genus interimus, labimur saevo rapiente fato;	125
ducitur semper nova pompa Morti: longus ad manes properatur ordo agminis maesti, seriesque tristis haeret et turbae tumulos petenti non satis septem patuere portae.	130
stat gravis strages premiturque iuncto funere funus.	132
Colla tacturus steterat sacerdos:	135
dum manus certum parat alta vulnus, aureo taurus rutilante cornu labitur segnis; patuit sub ictu ponderis vasti resoluta cervix; nec cruor ferrum maculavit: alta	140
turpis est plaga sanies profusa. segnior cursu sonipes in ipso	

113 bache ET bacchi A<sup>r</sup> || 114 milles extremo T || 116 figeret T || 117 arabas T arabēs sic E | cinnamis (sic A<sup>r</sup>) silvas Arabum beatas A || 118 uidi T | versa T versas EA corr. Peiper | equitis A | sagittas ω corr. Leo || 119 falacis T conversi A || 121 promiit T | hic A | hortus aperique T || 123 inf. Ind. igne uicino A<sup>r</sup> || 124 interimos ET || 126 dicitur T || 127 mamis T || 129 h. et turbe et t. T || 130 satis semper T || 131 vineto ψ || 140 atra ω corr. Richter symb. p. 37 || 141 turpi se E turpis e A corr. Peiper | profusa est A

concidit gyro dominumque prono prodidit armo.	144
Prima vis tardas tetigit bidentes:	133
laniger pingues male carpsit herbas;	134
taurus armento pereunte marcet:	146
deficit pastor grege deminuto	147
tabidos inter moriens iuencos.	148
incubant agris pecudes relictæ;	145
non lupos cervi metuunt rapaces,	149
cessat irati fremitus leonis,	150
nulla villosis feritas in ursis;	
perdidit pestem latebrosa serpens:	
aret et sicco moritur veneno.	

Non silva sua decorata coma fundit opacas montibus umbras,	155
non rura virent ubere glebae,	
non plena suo vitis Baccho bracchia curvat:	
omnia nostrum sensere malum.	

Rupere Erebi claustra profundi	160
turba sororum face Tartarea Phlegethonque suam mutat ripam:	
miscuit undis Styga Sidoniis. Mors atra avidos oris hiatus pandit et omnis explicat alas;	165
quique capaci turbida cumba flumina servat durus senio	

133 sq. post 144 traiecit Peiper (135—143 post v. 148 Koetschau) || 134 carpit T || 136 det m. c. parata alta T || 145 post 148 posuit Richter | pratis A || 147 diminuto A || 148 timidos A<sup>r</sup> || 152 peribit A || post 153 sapphicum cum adonio excidisse opinatur Peiper || 154—201 dimetri 179<sup>b</sup> (ul. c.) mon. EA, nisi quod 159<sup>b</sup> (sens. m.) monometer E, 158 (br. c.) A || 154 sua silva A<sup>r</sup> || 155 opacis ω corr. Bentley || 157 bacho E hiaco A || 162 sua motam ripa A || quaedam post 163 excidisse Peiper statuit, at Styga dictum est pro 'virus pestiferum' || 164 mors alta ω corr. N. Heinsius p. 169 || 165 omnes A || 167 senior A

navita crudo vix assiduo  
 bracchia conto lassata refert,  
 fessus turbam vectare novam. 170  
 quin Taenarii vincula ferri  
 rupisse canem fama et nostris  
 errare locis, mugisse solum,  
 vaga per lucos simulacra virum

\*

\*

maiora viris, bis Cadmeum 175  
 nive discussa tremuisse nemus,  
 bis turbatam sanguine Dircen,  
 nocte silenti

Amphionios ululasse canes.

O dira novi facies leti, 180  
 gravior leto:

piger ignavos alligat artus  
 languor, et aegro rubor in vultu,  
 maculaeque cutem sparsere leves;  
 tum vapor ipsam 184<sup>b</sup>

corporis arcem flammeus urit 185

multoque genas sanguine tendit,  
 oculique rigent, resonant aures 187<sup>a</sup> 188<sup>b</sup>

stillatque niger naris aduncae  
 cruor et venas rumpit hiantes;  
 intima creber viscera quassat 190

gemitus stridens, et sacer iguis 192<sup>a</sup> 187<sup>b</sup>

pascitur artus iamque amplexu 188<sup>a</sup> 192<sup>b</sup>

frigida presso saxa fatigant;

168 navita Charon  $\psi$  || 171 tenarei E trenarei A<sup>r</sup> || 173 er-  
 rasse A || 174 data p. l. ci. Peiper | simulacra ferunt ci. Leo (cf.  
 II 381 sq.) monometrum excidisse <visa esse vel errasse ferunt>  
 censet Richter || 177 iam turb. A<sup>r</sup> || 178. 179 n. s. A. | u. c. EA  
 Actaeonios Bentley. — Leo intercidisse putat hoc fere: <circum  
 [rectius esset: circa] muros> || 182 langor E $\psi$  || 183 m. caput  $\omega$   
 corr. M. Mueller p. 33 || 184 sparse reueles E || 186 tingit A ||  
 187<sup>b</sup>. 188<sup>a</sup> post 192<sup>a</sup> traiecit Richter (post 185 Peiper) || 192 tunc  
 ampl. A

quos liberior domus elato  
 custode sinit, petitis fontes 195  
 aliturque sitis latice ingesto.  
 prostrata iacet turba per aras  
 oratque mori: solum hoc faciles  
 tribuere dei; delubra petunt,  
 haut ut voto numina placent, 200  
 sed iuvat ipsos satiare deos.

## OEDIPVS CHORVS CREO

Quisnam ille propero regiam gressu petit?  
 adestne clarus sanguine ac factis Creo  
 an aeger animus falsa pro veris videt?  
 CHOR. Adest petitus omnibus votis Creo. 205  
 OED. Horrore quator, fata quo vergant timens,  
 trepidumque gemino pectus affectu labat:  
 ubi laeta duris mixta in ambiguo iacent,  
 incertus animus scire cum cupiat timet.  
 Germane nostrae coniugis, fessis opem 210  
 si quam reportas, voce properata edoce.  
 CR. Responsa dubia sorte perplexa iacent.  
 OED. Dubiam salutem qui dat adflictis negat.  
 CR. Ambage flexa Delphico mos est deo  
 arcana tegere. OED. Fare, sit dubium licet: 215  
 ambigua soli noscere Oedipodae datur.  
 CR. Caedem expiari regiam exilio deus,  
 et interemptum Laium ulcisci iubet:  
 non ante caelo lucidus curret dies  
 haustusque tutos aetheris puri dabit. 220

194 sq. (fatigant), quos l. d. e. | c. sinit. petit at *Madvig II 117*, quem — sinit, petitis *Scaliger* || 197 turba cadentum **A** || 202 *inscr. om. A* | OED. *praef. E* | prospero **E** || 205 CHO. **E om. A** | est est *Bentley* || post 205 *nova scaena A* edipus creon **ψ** || 206 OED. **E om. A** || 207 afflictu **E corr. N. Heinsius p. 169** (*Bentley*) euentu **A** || 212 choro datur **E** | latent **A** || 214 chori est **E** | nexa **A** | 215 archana **E** || 217 sedem **A** | exitio **E** | expiare r. ex adyto d. ci. *Bentley* || 218 CREO *minio pictum et detersum E* | ulcissi **E** || 220 totos **A** |

C. D. Et quis peremptor incluti regis fuit?

quem memoret ede Phoebus, ut poenas luat.

CR. Sit precor dixisse tutum visu et auditu horrida;

torpor insedit per artus, frigidus sanguis coit.

ut sacrata templa Phoebi supplici intravi pede 225

et pias numen precatus rite summissi manus,

gemina Parnasi nivalis arx trucem fremitum dedit;

imminens Phoebea laurus tremuit et movit comam

ac repente sancta fontis lympha Castalii stetit.

incipit Letoa vates spargere horrentes comas 230

et pati commota Phoebum; contigit nondum specum,

emicat vasto fragore maior humano sonus:

mitia Cadmeis remeabunt sidera Thebis,

si profugus Dircen Ismenida liqueris hospes

regis caede nocens, Phoebus iam notus et infans. 235

nec tibi longa manent sceleratae gaudia caedis:

tecum bella geres, natis quoque bella relinquens

turpia, maternos iterum revolutus in ortus.

OED. Quod facere monitu caelitem iussus paro,

functi cineribus regis hoc decuit dari, 240

ne sancta quisquam sceptrum violaret dolo.

regi tuenda maxime regum est salus:

curat peremptum nemo quem incolumem timet.

CR. Curam perempti maior excussit timor.

OED. Pium prohibuit ullus officium metus? 245

CR. Sphinx et nefandi carminis tristes minae.

OED. Nunc expietur numinum imperio scelus.

Quisquis deorum regna placatus vides:

tu, tu penes quem iura praecipitis poli

223 tuum A<sup>r</sup> | aspectu horrido A<sup>r</sup> (horridum α) || 225 supplice Bentley || 227 arsx E | sonitum dedit A || 228 movit domum ω corr. Leo || 229 sicca fontis Bentley | casphalii E || 230 lethea A loeta E corr. N. Heinsius l. n. || 233 phoebis E || 234 liquerit E || 235 instans E || 237 relinques A || 238 turpes E turpis A corr. N. Heinsius p. 170 | hortus E || 243 quaerit ω queritur α corr. de Wilamowitz || 246 Spinx. et nef. E prohibent nef. A

tuque, o sereni maximum mundi decus, 30  
 bis sena cursu signa qui vario legis,  
 qui tarda celeri saecula evolvis rota,  
 sororque fratri semper occurrens tuo,  
 noctivaga Phoebe, quique ventorum potens  
 aequor per altum caerulos currus agis, 255  
 et qui carentis luce disponis domos,  
 adeste: cuius Laius dextra occidit,  
 hunc non quieta tecta, non fidi lares,  
 non hospitalis exulem tellus ferat;  
 thalamis pudendis doleat et prole impia; 260  
 hic et parentem dextera perimat sua,  
 faciatque (num quid gravius optari potest?)  
 quicquid ego fugi — non erit veniae locus:  
 per regna iuro quaeque nunc hospes gero  
 et quae reliqui perque penetrales deos, 265  
 per te, pater Neptune, qui fluctu brevi  
 utrimque nostro geminus alludis solo;  
 et ipse nostris vocibus testis veni,  
 fatidica vatis ora Cirrhaeae movens:  
 ita molle senium ducat et summum diem 270  
 securus alto reddat in solio parens  
 solasque Merope noverit Polybi faces,  
 ut nulla sontem gratia eripiet mihi.

Sed quo nefandum facinus admissum loco est,  
 memorate: aperto Marte an insidiis iacet? 275  
 CR. Frondifera sanctae nemora Castaliae petens  
 calcavit artis obsitum dumis iter,  
 trigemina qua se spargit in campos via.  
 secat una gratum Phocidos Baccho solum,  
 unde altus arva deserit, caelum petens, 280

251 v. regis  $\omega$  corr. M. Müller p. 33 || 256 carentes A ||  
 257 dextera laius A<sup>r</sup> || 258 Nunc E || 262 nam *ci.* N. Heinsius  
 p. 170 || 263 ergo E || 264 per sceptrā Bentley | rego A || 269 chyr-  
 rhee E || 271 regat A degat  $\alpha$  videat Bentley || 274 nefastum A ||  
 277 altis A || 278 tergemina  $\psi$  || 279 bacho E || 280 altus  
 ima A

clementer acto colle Parnasos biceps;  
 at una bimaris Sisyphi terras adit;  
 Olenia in arva tertius trames cava  
 convalle serpens tangit errantes aquas  
 gelidumque dirimit amnis †Elei vadum: 285  
 hic pace fretum subita praedonum manus  
 aggressa ferro facinus occultum tulit.

In tempore ipso sorte Phoebea excitus  
 Tiresia tremulo tardus accelerat genu  
 comesque Manto luce viduatam trahens. 290

## OEDIPVS TIRESIAS MANTO

OED. Sacrate divis, proximum Phoebos caput,  
 responsa solve; fare, quem poenae petant.  
 TIR. Quod tarda fatu est lingua, quod quaerit moras  
 haut te quidem, magnanime, mirari addecet:  
 visu carenti magna pars veri latet. 295  
 sed quo vocat me patria, quo Phoebus, sequar:  
 fata eruantur; si foret viridis mihi  
 calidusque sanguis, pectore exciperem deum.  
 appellite aris candidum tergo bovem  
 curvoque numquam colla depressam iugo. 300  
 tu lucis inopem, gnata, genitorem regens  
 manifesta sacri signa fatidici refer.  
 MAN. Opima sanctas victima ante aras stetit.  
 TIR. In vota superos voce sollemni voca  
 arasque dono turis Eoi extrue. 305  
 MAN. Iam tura sacris caelitem ingessi focis.  
 TIR. Quid flamma? largas iamne comprehendit dapes?  
 MAN. Subito refulsit lumine et subito occidit.

281 parnassos E parnasus A || 282 bimares A || 284 serpit A ||  
 285 Elidis A Aetoli vel Oetaei (cf. Habrucker p. 123) Leo, Eueni  
 Madvig II p. 117, Hylaethi de Wilamowitz, Acheloi Peiper ||  
 288—290 Oedipo dat Peiper || 289 gradu A || 291 inser. TIRESIA  
 ET IDEM MANTO E || 293 tardo fatum (est om.) A || 294 haut  
 te q. A haut eq. E || 295 carentem ψ || 298 excuterem A ||  
 300 depressum w corr. Leo (cf. 341 sq.) || 308 lumen A

TIR. Vtrumne clarus ignis et nitidus stetit  
 rectusque purum verticem caelo tulit 310  
 et summam in auras fusus explicuit comam?  
 an latera circa serpit incertus viae  
 et fluctuante turbidus fumo labat?

MAN. Non una facies mobilis flammae fuit:  
 imbrifera qualis implicat varios sibi 315  
 Iris colores, parte quae magna poli  
 curvata picto nuntiat nimbos sinu  
 (quis desit illi quive sit dubites color),  
 caerulea fulvis mixta oberravit notis,  
 sanguinea rursus; ultima in tenebras abit. 320

sed ecce pugnax ignis in partes duas  
 discedit et se scindit unius sacri  
 discors favilla — genitor, horresco intuens:  
 libata Bacchi dona permutat cruor  
 ambitque densus regium fumus caput 325  
 ipsosque circa spissior vultus sedet  
 et nube densa sordidam lucem abdidit.  
 quid sit, parens, effare.

TIR. Quid fari queam  
 inter tumultus mentis attonitae vagus?  
 quidnam loquar? sunt dira, sed in alto mala; 330  
 solet ira certis numinum ostendi notis:  
 quid istud est quod esse prolatum volunt  
 iterumque nolunt et truces iras tegunt?  
 pudet deos nescio quid. huc propere admove  
 et sparge salsa colla taurorum mola. 335  
 placidone vultu sacra et admotas manus  
 patiuntur?

MAN. Altum taurus attollens caput  
 primos ad ortus positus expavit diem  
 trepidusque vultum obliquat et radios fugit.

309 vegetus Bentley || 316 hiris E || 318 quisue A || 320 ultimi-  
 mum A || 324 bachi E || 327 tensa C. Barth ad Stat. Th. V 176 ||  
 329 uagos A || 330 q. sequar Bentley || 333 aras A<sup>r</sup> (exc. Vd.) ||  
 330 solis et r. f. E cf. Gronovii notam



- TIR. Vnone terram vulnere afflicti petunt? 340  
 MAN. Iuvenca ferro semet imposito induit  
 et vulnere uno cecidit, at taurus duos  
 perpressus ictus huc et huc dubius ruit  
 animamque fessus vix reluctantem exprimit.  
 TIR. Vtrum citatus vulnere angusto micat 345  
 an lentus altas irrigat plagas cruor?  
 MAN. Huius per ipsam qua patet pectus viam  
 effusus amnis, huius exiguo graves  
 maculantur ictus imbre; sed versus retro  
 per ora multus sanguis atque oculos redit. 350  
 TIR. Infausta magnos sacra terrores cient.  
 sed ede certas viscerum nobis notas.  
 MAN. Genitor, quid hoc est? non levi motu, ut solent,  
 agitata trepidant exta, sed totas manus  
 quatiunt novusque prosilit venis cruor. 355  
 cor marcet aegrum penitus ac mersum latet  
 liventque venae; magna pars fibris abest  
 et felle nigro tabidum spumat iecur,  
 ac (semper omen unico imperio grave)  
 en capita paribus bina consurgunt toris; 360  
 sed utrumque caesum tenuis abscondit caput  
 membrana: latebram rebus occultis negans  
 hostile valido robore insurgit latus  
 septemque venas tendit; has omnis retro  
 prohibens reverti limes oblicus secat. 365  
 mutatus ordo est, sede nil propria iacet,  
 sed acta retro cuncta: non animae capax  
 in parte dextra pulmo sanguineus iacet,  
 non laeva cordi regio, non molli ambitu  
 omenta pingues visceri obtendunt sinus: 370  
 natura versa est, nulla lex utero manet.  
 scrutemur, unde tantus hic extis rigor.

341 opposito A apposito *vel* impulso Bentley || 347 uiuus (*vel*  
 Vnius) per i. A<sup>r</sup> || 352 sede decertas E || 353 hoc om. A<sup>r</sup> || 355 nouis-  
 que A || 364 omnes A || 366 nichil p. iacent E || 367 *vel* 367 et 368 om. ψ ||  
 369 regio cordis A<sup>r</sup> || 370 viscerum A || 372 scrutetur A<sup>r</sup> || liuor A<sup>r</sup>

quod hoc nefas? conceptus innuptae bovis,  
nec more solito positus alieno in loco,  
implet parentem; membra cum gemitu movet, 375  
rigore tremulo debiles artus micant;  
infecit atras lividus fibras cruor

temptantque turpes mobilem trunci gradum,  
et inane surgit corpus ac sacros petit 380  
cornu ministros; viscera effugiunt manum.

neque ista, quae te pepulit, armenti gravis  
vox est nec usquam territi resonant greges:  
immugit aris ignis et trepidant foci.

OED. Quid ista sacri signa terrifici ferant  
exprome: voces aure non timida hauriam. 385  
[solent extrema facere securos mala.]

TIR. His invidabis quibus opem quaeris malis.

OED. Memora quod unum scire caelicolae volunt,  
contaminarit rege quis caeso manus.

TIR. Nec alta caeli quae levi pinua secant 390  
nec fibra vivis rapta pectoribus potest  
ciere nomen; alia temptanda est via:

ipse evocandus noctis aeternae plagis,  
emissus Erebo ut caedis auctorem indicet.  
reseranda tellus, Ditis inplacabile 395

numen precandum, populus infernae Stygis  
huc extrahendus: ede cui mandes sacrum;  
nam te, penes quem summa regnorum, nefas  
invisere umbras.

OED. Te, Creo, hic poscit labor,  
ad quem secundum regna respiciunt mea. 400

TIR. Dum nos profundae claustra laxamus Stygis,  
populare Bacchi laudibus carmen sonet.

373 infaustae bovis A || 376 tremulo rigore A || 377 artas A<sup>r</sup> ||  
379 at sacros E || 380 manu A(τ) || 381 ipsa A || 382 fugiunt  
greges A || 383 are segnis A<sup>r</sup> || 386 del. Peiper | suprema α | se-  
curos facere A<sup>r</sup> || 390 levis penna secat A || 391 parta A<sup>r</sup> ||  
395—432 extant in R (personarum notae evanuerunt) || 398 regn.  
est n. A || 399 omnia verba post umbras omissa videntur R || 402 pu-  
polare (bacchi) E

## CHORVS

Effusam redimite comam nutante corymbo,  
mollia Nysaeis armati bracchia thyrsis!

Lucidum caeli decus, huc ades 405  
votis quae tibi nobiles  
Thebae, Bacche, tuae  
palmis supplicibus ferunt.

Huc adverte favens virgineum caput,  
vultu sidereo discute nubila 410  
et tristes Erebi minas  
avidumque fatum.

Te decet cingi comam floribus vernis,  
te caput Tyria cohibere mitra  
hederave mollem  
bacifera religare frontem. 415

Spargere effusos sine lege crines,  
rursus adducto revocare nodo;  
qualis iratam metuens novercam  
creveras falsos imitatus artus,  
crine flaventi simulata virgo, 420  
lutea vestem retinente zona:  
inde tam molles placuere cultus  
et sinus laxi fluidumque syrma.

Vidit aurato residere curru,  
veste cum longa tegetes leones, 425

403 *De canticis polymetris Leo I 110 sqq., cf. Richter K. U. p. 32 n. 2, Peiper praef. c. III | leguntur in cod. Thuaneo vv. 403 sq. 429—431. 445—448. 466—471. 504—509 | effusa T commam natante corimbo T || 404 niseis T | armatus EET armate ψ armate et Peiper | brachia TA<sup>r</sup> | thyrsis om. T || 406 votis priore versu BEA || 406. 407 uno versu A | quae t. n. thebae | thebae b. t. R || 411 herebi EA || 414 post hederave 2 vel 3 litterae erasae Ribbeckio teste | molle vel molli R | hederave — frontem uno versu A || 415 baccifera vel bachifera A<sup>r</sup> || 417 renouare E || 421 luteam α || 422 unde A<sup>r</sup> | iam R ut vid. || 423 fluidumque BE || 425 regeres BEA corr. ψ vite c. l. regeres ci. Koetschau coll. Phaed. v. 705*

omnis Eoae plaga vasta terrae,  
 qui bibit Gangen niveumque quisquis  
 frangit Araxen.

Te senior turpi sequitur Silenus asello,  
 turgida pampineis redimitus tempora sertis; 430  
 condita lascivi deducunt orgia mystae.

Te Bassaridum comitata cohors  
 nunc Edono pede pulsavit  
 sola Pangaeo, nunc Threicio  
 vertice Pindi; nunc Cadmeas 435

inter matres impia maenas  
 comes Ogygio venit Iaccho,  
 nebride sacra praecincta latus 438

thyrsusque levem vibrante manu, 441

tibi commotae pectora matres 439

fudere comam.

iam post laceros Pentheos artus 440

thyades, oestro membra remissae, 442

velut ignotum videre nefas.

Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi 445  
 Nereidumque choris Cadmeia cingitur Ino;  
 ius habet in fluctus magni puer advena ponti,  
 cognatus Bacchi, numen non vile Palaemon.

Te Tyrrhena, puer, rapuit manus,  
 at tumidum Nereus posuit mare, 450

426 vasta *ex veste* E<sup>1</sup> || 427 Gangen B Gangem EA ||  
 428 Araxem A || 429 turpis T || 430—471 *om.* ψ(τ) || 430 sertis  
*om.* T || 432 coros B *ut vid.* || 433 eden (en E<sup>2</sup> *i. ras.* Petero et  
 Ribbeckio testibus) ope depuls. E edon ope depuls. ψ Edonii α  
 Edoni G. Fabricius || 434 Pangaei ω *corr.* Leo || 439. 440 *del.*  
 Leo, *post* 441 *posuit* M. Müller Ph. p. 268 || 440—444 ignotum  
 dimetri, claudit monom. EA || 442 lacertos (*sed t expunct.*) E<sup>1</sup> ||  
 445 Fontis A Te ponti r. tene T | mat. B. *om.* T || 446 cat-  
 metia T | Ino *om.* T || 448 bachi nomen non vil *ceteris omissis* T ||  
 450 et ω *corr.* Bentley | timidum E

caerula cum pratis mutat freta:  
 hinc verno platanus folio viret  
 et Phoebō laurus carum nemus;  
 garrula per ramos avis obstrepit;  
 vivaces hederas remus tenet, 455  
 summa ligat vitis carchesia.  
 Idaeus prora fremuit leo,  
 tigris puppe sedet Gangetica.

Tum pirata freto pavidus natat,  
 et nova demersos facies habet: 460  
 brachia prima cadunt praedonibus  
 inlisumque utero pectus coit,  
 parvula dependet lateri manus  
 et dorso fluctum curvo subit,  
 lunata scindit cauda mare: 465  
 et sequitur curvus fugientia 466<sup>a</sup>  
 carbasa delphin. 466<sup>b</sup>

Divite Pactolos vexit te Lydius unda,  
 aurea torrenti deducens flumina ripa;  
 laxavit victos arcus Geticasque sagittas  
 lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet; 470  
 regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi;  
 sensere terrae †Zalacum feroces  
 et quos vicinus Boreas ferit  
 arva mutantés quasque Maeotis

455 ramus ω corr. ψ *Rapheling coll. Ov. M. III 644* || 466 Te sequitur **ETA** corr. ψ | 466<sup>ab</sup> uno versu ω corr. *Richter* || 467 ditiē **T** | Pactulos **T**, sed o ex u ut vid. Pactolus **A** | unila **T** || 468 te ducen **R** || 469 actus arcus genticasque s. **T** || 470 lactea **E** lacteam cahos segetes **T** | sanguinem vincit **T** || 471 baccum . . . sere **T** | ligurgi **ETA** corr. ψ || 472 zedacum **A** (te Dacum *Rapheling*, te Dahum *Bentley ad Lucan. II 296*, Galatum *Leo*) || 474 sq. sic in **E** leguntur:

alluit gentes.

Rigido fluctu. Arva mutantés. Quasque meotis  
 Quasque despectat. vertice summo. Frigido fluctu

hic 474—476 (Arva — fluctu) supplevit 1 m. atramento paulum

alluit gentes frigido fluctu	475
quasque despectat	
vertice summo	476 <sup>b</sup>
sidus Arcadium geminumque plastrum.	
Ille dispersos domuit Gelonos,	
arma detraxit trucibus puellis:	
ore deiecto petiere terram	480
Thermodontiacae catervae,	
positisque tandem levibus sagittis	
Maenades factae.	
sacer Cithaeron sanguine undavit	
Ophioniaque caede;	485
Proetides silvas petiere, et Argos	
praesente Bacchum coluit noverca.	
Naxos Aegaeo redimita ponto	
tradidit thalamis relictam	
virginem, meliore pensans	
damnum marito:	490
pumice ex sicco *	
fluxit Nyctelius latex;	
garruli gramen secuere rivi,	
conbibit dulces humus alta sucos	
niveique lactis candidos fontes	495
et mixta odoro Lesbia cum thymo.	
Ducitur magno nova nupta caelo:	
solemne Phoebus carmen	

*nigriore*, (antea tantum *Rigido fluctu scripserat*). R, A, Q, Q  
*minio pictae*, F *nigra*.? cf. *Leo I 112* A sic disponit: A. m. q.  
M. | a. g. f. f. *Peiperi* vv. 472—503 conformationem vide in  
*praef. l. n.* || 476<sup>b</sup> c summo *Leo* (*Bentley*) || 477 duobus versibus:  
s. archad. | g. p. E || 482 conditis *Bentley* || 483 Menadaes f. E  
mites sunt f. A || 484 sac. et C. ψ s. hinc C. *Richter* || 485 Am-  
phioniaque *I. Gronov* || 486 agros A || 487 praesentem A prae-  
sidem α praesidem B. colit urbs novercae *Swoboda* || 489 tr.  
th. | r. v. | m. p. | d. m. E tr. th. vir ginemrelictam | m. p. damna  
mar. A || 491 p. e. s. f. | N. l. E uno versu A | p. e. s. <fe-  
riente thyrso> ex *Eurip. Bacch. v. 704 sq. supplevit Richter* ||  
494 alia E || 495 lacus (i. e. lactis) A<sup>r</sup> lactes ψ || 498 s. Ph. c.  
canit A

infusis humero capillis  
cantat et geminus Cupido 500  
concutit taedas.  
telum deposuit Iuppiter igneum  
oditque Baccho veniente fulmen.

Lucida dum current annosi sidera mundi,  
Oceanus clausum dum fluctibus ambiat orbem 505  
Lunaque dimissos dum plena recolliget ignes,  
dum matutinos praedicit Lucifer ortus  
altaque caeruleum dum Nerea nesciet Arctos,  
candida formosi venerabimur ora Lyaei.

## OEDIPVS CREO

Etsi ipse vultus flebiles praefert notas,  
exprome cuius capite placemus deos. 510  
CR. Fari iubes tacere quae suadet metus.  
OED. Si te iuvenes non satis Thebae movent,  
at sceptrata moveant lapsa cognatae domus.  
CR. Nescisse cupies nosse quae nimium expetis.  
OED. Iners malorum remedium ignorantia est. 515  
itane et salutis publicae indicium obrues?  
CR. Vbi turpis est medicina, sanari piget.  
OED. Audita fare, vel malo domitus gravi  
quid arma possint regis irati scies.  
CR. Odere reges dicta quae dici iubent. 520  
OED. Mitteris Erebo vile pro cunctis caput,  
arcana sacri voce ni retegis tua.

500. 501 concinit (concutit  $\tau$ ) taedas gem. Cup. A || 502 Iuppiter E || 503 quodque A $\tau$  (candidit Vd.) || 504 Lucida T || 505 oceanus E . . eanus R | ambiat (ex ambit) T || 506 dimissos E | recolliget E colliget: e *cx i 1 m.* T || 508—545 extant R || 508 formosi RA | inter 508 et 509 inscriptionis loco incertae rubrarum litterarum umbrae R OEDIPPVS CREON A || 509 Et ipse A $\tau$  | fleuiles R || 510 expone A || 511 suades R || 516 itane est RE || 517 sanare E || 521 mittes E

CR. Tacere liceat. ulla libertas minor  
a rege petitur?

OED. Saepe vel lingua magis  
regi atque regno muta libertas obest. 525

CR. Vbi non licet tacere, quid cuiquam licet?

OED. Imperia solvit qui tacet iussus loqui.

CR. Coacta verba placidus accipias precor.

OED. Vlline poena vocis expressae fuit?

CR. Est procul ab urbe lucus ilicibus niger, 530  
Dircaea circa vallis inriguae loca.

cupressus altis exerens silvis caput  
virente semper alligat trunco nemus,  
curvosque tendit quercus et putres situ  
annosa ramos: huius abruptis lateribus 535

edax vetustas; illa, iam fessa cadens

radice, fulta pendet aliena trabe.

amara bacas laurus et tiliae leves

et Paphia myrtus et per immensum mare

motura remos alnus et Phoebus obvia 540

enode Zephyris pinus opponens lateribus:

medio stat ingens arbor atque umbra gravi

silvas minores arguet et magno ambitu

diffusa ramos una defendit nemus.

tristis sub illa, lucis et Phoebus inscius, 545

restagnatumor frigore aeterno rigens;

limosa pigrum circumit fontem palus.

Huc ut sacerdos intulit senior gradum,

haut est moratus: praestitit noctem locus.

tum effossa tellus, et super rapti rogis 550

iaciuntur ignes. ipse funesto integit

523 nulla A || 524 duobus versibus B uilis lingua A<sup>r</sup> ||  
526 ubi tac. n. lic. A<sup>r</sup> || 527 quit B || 532 post 533 R || 534 situ  
ex situs R || 536 illa RE silua A | iam spissa E (sciassa Bothe,  
fissa Peiper), i. fessa RA cf. Richter symb. p. 10 || 538 baccis A ||  
540 phobo R || 542 adque R || 543 silva minore surgit A<sup>r</sup> || 544 ra-  
mis umbra A<sup>r</sup> || 545 lucus A<sup>r</sup> || 546 hinc (hic τ) stagnat A ||  
547 circuit A || 551 ipsa Gruter, Bentley



vates amictu corpus et frondem quatit.  
 lugubris imos palla perfundit pedes,  
 squalente cultu maestus ingreditur senex,  
 mortifera canam taxus adstringit comam. 555  
 nigro bidentes vellere atque atrae boves  
 intro trahuntur. flamma praedatur dapes,  
 vivumque trepidat igne ferali pecus.  
 vocat inde manes teque qui manes regis  
 et obsidentem claustra Lethaei lacus, 560  
 carmenque magicum volvit et rabido minax  
 decantat ore quicquid aut placat leves  
 aut cogit umbras; sanguinem libat focus  
 solidasque pecudes urit et multo specum 565  
 saturat cruore; libat et niveum insuper  
 lactis liquorem, fundit et Bacchum manu  
 laeva canitque rursus ac terram intuens  
 graviore manes voce et attonita citat.  
 latravit Hecates turba; ter valles cavae  
 sonuere maestum, tota succusso solo 570  
 pulsata tellus. 'audior' vates ait,  
 'rata verba fudi: rumpitur caecum chaos  
 iterque populis Ditis ad superos datur'  
 subsedit omnis silva et erexit comas,  
 duxere rimas robora et totum nemus 575  
 concussit horror, terra se retro dedit  
 gemitque penitus: sive temptari abditum  
 Acheron profundum mente non aequa tulit,  
 sive ipsa tellus, ut daret functis viam,  
 compage rupta sonuit; aut ira furens 580  
 triceps catenas Cerberus movit graves.

552 frondem rapit *Koetschau*, translato post hunc versum  
 v. 555 || 557 antro E retro A corr. *M. Müller* p. 35 cf. v. 564 ||  
 560 Teque obs. *Bentley* | letalis lacus ω (loet. E) corr. *N. Hein-*  
*sius* v. 174 || 563 irrigat sanguis focus A || 567 et terram A ||  
 568 ciet A<sup>r</sup> || 569 per valles cavas E || 574 subsedit ω subsidit  
 (quod idem est) *Leo cum Gronovio* | comam A || 576 unda se  
*Bentley* coll. v. 582

subito dehiscit terra et immenso sinu  
 laxata patuit — ipse torpentes lacus  
 vidi inter umbras, ipse pallentes deos  
 noctemque veram; gelidus in venis stetit 585  
 haesitque sanguis. saeva prosiluit cohors  
 et stetit in armis omne vipereum genus,  
 fratrum catervae dente Dircaeo satae. 588  
 tum torva Erinys sonuit et caecus Furor 590  
 Horrorque et una quicquid aeternae creant  
 celantque tenebrae: Luctus avellens comam  
 aegreque lassum sustinens Morbus caput,  
 gravis Senectus sibimet et pendens Metus 594  
 avidumque populi Pestis Ogygii malum. 589  
 nos liquit animus. ipse quae ritus senis 595  
 artesque norat stupuit. intrepidus parens  
 audaxque damno convocat Ditis feri  
 exangue vulgus. ilico ut nebulae leves  
 volitant et auras libero caelo trahunt.  
 non tot caducas educat frondes Eryx 600  
 nec vere flores Hybla tot medio creat,  
 cum examen arto nectitur densum globo,  
 fluctusque non tot frangit Ionium mare,  
 nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas  
 permutat hiemes ales et caelum secans 605  
 tepente Nilo pensat Arctos nives  
 quot ille populos vatis eduxit sonus.  
 avidae latebras nemoris umbrosi petunt  
 animae trementes; primus emergit solo,  
 dextra ferocem cornibus taurum premens, 610  
 Zethus, manuque sustinens laeva chelyn  
 qui saxa dulci traxit Amphion sono;

583. 584 *hemist. posteriora permutata* A || 589 *post 584 re-*  
*posuit Leo. Cf. 652 sqq. 1058 sqq.* || 590 *tum tota* A<sup>r</sup> || 593 *lap-*  
*sum* A<sup>r</sup> || 600 *frondes etha (oetha)* A<sup>r</sup> || 602 *alto* ω *corr. Richter* ||  
 603 *ionius* E || 604 *strymonis* E || 606 *torpente* A<sup>r</sup> || 608 *pa-*  
*vide* ω *corr. Marklund ad Stat. silv. V 1, 11* | *umbrosis* E ||  
 611 *zetus* A<sup>r</sup> | *sustinet l. chelim* A

interque natos Tantalus tandem suos  
 tuto superba fert caput fastu grave  
 et numerat umbras. peior hac genetrix adest 615  
 furibunda Agaue, tota quam sequitur manns  
 partita regem: sequitur et Bacchas lacer  
 Pentheus tenetque saevus etiam nunc minas.  
 tandem, vocatus saepe pudibundum extulit  
 caput atque ab omni dissidet turba procul 620  
 celatque semet (instat et Stygias preces  
 geminat sacerdos, donec in apertum efferat  
 vultus opertos) Laius — fari horreo:  
 stetit per artus sanguine effuso horridus,  
 paedore foedo squalidam obtectus comam, 625  
 et ore rabido fatur: 'O Cadmi effera,  
 cruore semper laeta cognato domus,  
 vibrare thyrsos, enthea gnatos manu  
 lacerate potius — maximum Thebis scelus  
 maternus amor est. patria, non ira deum 630  
 sed scelere raperis: non gravi flatu tibi  
 luctificus Auster nec parum pluvio aethere  
 satiata tellus halitu sicco nocet,  
 sed rex cruentus, pretia qui saevae necis  
 sceptrum et nefandos occupat thalamos patris 635  
 egitque in ortus semet et matri impios 638  
 fetus regessit, quique, vix mos est feris,  
 fratres sibi ipse genuit — implicitum malum 640  
 magisque monstrum Sphinge perplexum sua.  
 invisa proles: sed tamen peior parens 636  
 quam gnatus, utero rursus infausto gravis. 637  
 te, te cruenta sceptrum qui dextra geris, 642  
 te pater inultus urbe cum tota petam

614 gravi A || 615 peior ac A<sup>r</sup> || 617 Baccham sacer α ||  
 619 pudibundus A<sup>r</sup> || 624 stetitque A<sup>r</sup> | horridos N. Heinsius ||  
 625 obtentus ω corr. τ || 628 penthea E ethnea A<sup>r</sup> corr. α ||  
 629 macerate E || 634 premia A || 636. 637 post 641 posuit  
 Richter symb. p. 29 sq. || 637 incesto Bentley || 639 nec mos A ||  
 641 spinge ω

et mecum Erinyn pronubam thalami traham,  
 traham sonantis verbera, incestam domum 645  
 vertam et penates impio Marte obteram.  
 proinde pulsum finibus regem ocius  
 agite exulem quocumque funesto gradu;  
 solum relinquat: vere florifero virens 650  
 reparabit herbas, spiritus puros dabit  
 vitalis aura, veniet et silvis decor;  
 Letum Luesque, Mors Labor Tabes Dolor,  
 comitatus illo dignus, excedent simul;  
 et ipse rapidis gressibus sedes volet 655  
 effugere nostras, sed graves pedibus moras  
 addam et tenebo: reptet incertus viae,  
 baculo senili triste praetemptans iter:  
 eripite terras, auferam caelum pater.  
 OED. Et ossa et artus gelidus invasit tremor;  
 quicquid timebam facere fecisse arguor — 660  
 tori iugalis abnuit Merope nefas,  
 sociata Polybo; sospes absolvit manus  
 Polybus meas: uterque defendit parens  
 caedem stuprumque. quis locus culpae est super?  
 multo ante Thebae Laium amissum gemunt, 665  
 Boeota gressu quam meo tetigi loca.  
 falsusne senior an deus Thebis gravis? —  
 iam iam tenemus callidi socios doli:  
 mentitur ista praeferens fraudi deos  
 vates, tibi que sceptrum despondet mea. 670  
 CR. Egone ut sororem regia expelli velim?  
 si me fides sacrata cognati laris  
 non contineret in meo certum statu:

644 erinym pronubam E herines pronubas A || 645 son-  
 nantes A sonantem Gronov torta insonantes N. Heinsius p. 175  
 tr. silentes, verbera de Wilamowitz torvum sonantem Peiper  
 torvam sonantem O. Rosbach p. 135. Sed cf. Richter l. n. |  
 incertam A<sup>r</sup> || 648 quocumque α cf. Bentley ad Hor. c. I 6, 3  
 et Leo J 223 || 649 relinquet ω corr. α || 656 repetet E reptet A<sup>r</sup>  
 (exc. Vd.) || 658 preripite A || 659 OED. om. A<sup>r</sup> || 660 OED. praef. A<sup>r</sup> ||  
 662 sociato E | absolvit E || 666 boeta A<sup>r</sup>

tamen ipsa me fortuna terreret nimis  
sollicita semper. liceat hoc tuto tibi  
exuere pondus nec recedentem opprimat:  
iam te minore tutior pones loco. 675

OED. Hortaris etiam, sponte deponam ut mea  
tam gravia regna?

CR. Suadeam hoc illis ego,  
in utrumque quis, est liber etiamnum status: 680  
tibi iam necesse est ferre fortunam tuam.

OED. Certissima est regnare cupienti via  
laudare modica et otium ac somnum loqui;  
ab inquieto saepe simulatur quies.

CR. Parumne me tam longa defendit fides? 685

OED. Aditum nocendi perfido praestat fides.

CR. Solutus onere regio regni bonis  
fruur domusque civium coetu viget,  
nec ulla vicibus surgit alternis dies  
qua non propinqui munera ad nostros lares 690

sceptri redundant; cultus, opulentiae dapes,  
donata multis gratia nostra salus:

quid tam beatæ desse fortunæ rear?

OED. Quod dest: secunda non habent umquam modum.

CR. Incognita igitur ut nocens causa cadam? 695

OED. Num ratio vobis reddita est vitæ meæ?

num audita causa est nostra Tiresiæ? tamen

sontes videmur. facitis exemplum: sequor.

CR. Quid si innocens sum?

OED. Dubia pro certis solent  
timere reges.

CR. Qui pavet vanos metus,  
veros meretur. 700

OED. Quisquis in culpa fuit,

675 hoc tantum Bentley || 676 ne rec. A || 679 CRE. tam gr.  
regna cresua deam E || 680 i. u. qui se subter E | etiam: nuuc A ||  
682 cupienti vox E || 683 et totium E | somn. sequi A || 685 def.  
dies A || 686 praest. dies A || 693 rear E || 694 quod res se  
cunde A || 698 ex. ut sequar (a ex o) E<sup>1</sup> || 701 veros fatetur A

dimissus odit: omne quod dubium est cadat.  
CR. Sic odia fiunt.

OED. Odia qui nimium timet  
regnare nescit: regna custodit metus.

CR. Qui scepra duro saevus imperio regit, 705  
timet timentes: metus in auctorem redit.

OED. Servate sontem saxeo inclusum specu.  
ipse ad penates regios referam gradum.

### CHORVS

Non tu tantis causa periculis,  
non hinc Labdacidos petunt 710

fata, sed veteres deum

irae secuntur: Castalium nemus

umbram Sidonio praebuit hospiti

lavitque Dirce Tyrios colonos,

ut primum magni natus Agenoris 715

fessus per urbem furta sequi Iovis,

sub nostra pavidus constitit arbore

praedonem venerans suum

monituque Phoebi

iussus erranti comes ire vaccae, 720

quam non flexerat

vomer aut tardi iuga curva plaustri,

deseruit fugas nomenque genti

inauspicata de bove tradidit.

Tempore ex illo nova monstra semper  
protulit tellus: 725

aut anguis imis vallibus editus

annosa supra robora sibilat

702 omne odit A<sup>r</sup> | quod dubium putat A quod obvium  
est eat E corr. Leo || de metrica versuum 709—737 forma vide  
supra ad v. 403 || 710 non haec ω corr. Leo | L. premunt A ||  
717 consistit E | sub nostrae ramis constitit arboris A || 718 pr.  
v. deum ci. Richter || 721 Q. n. f. v. a. t. | i. c. p. E corr. A ||  
725 P. t. a. a. i. | V. e. a. s. | R. s. s. p. E corr. A || 727 a. curvans  
Birt p. 555 ex Ovid. M. III 93

superatque pinus:  
 supra Chaonias celsior arbores 728<sup>b</sup>  
 erexit caeruleum caput,  
 cum maiore sui parte recumberet; 730  
 aut feta tellus impio partu  
 effudit arma: sonuit reflexo  
 classicum cornu lituusque adunco  
 stridulos cantus elisit aere,

\* \* \*

ante non linguas agiles et ora 735  
 vocis ignotae clamore primum  
 hostico experti:

Agmina campos cognata tenent,  
 dignaque iacto semine proles,  
 uno aetatem permensa die, 740

post Luciferi nata meatus  
 ante Hesperios occidit ortus.  
 horret tantis advena monstris  
 populique timet bella recentis,  
 donec cecidit saeva iuventus 745

genetrixque suo reddi gremio  
 modo productos vidit alumnos.  
 hac transierit civile nefas!  
 illa Herculeae norint Thebae  
 proelia fratrum. 750

Quid Cadmei fata nepotis,  
 cum vivacis cornua cervi  
 frontem ramis texere novis  
 dominumque canes egere suum?

728 supraque p. A || 728 del. Leo I 114; at cf. M. Müller p. 35 || 732 sq. sic distribuunt EA: eff. arma | son. r. cl. cornu | lit. ad. st. c. | el. aere n. a. l. | 'post 734 dictum oportuit spartos pugnam iniisse' Leo || 735 non ante  $\omega$  corr. Peiper | l. alias et arma v. i. A || 739 Lignaue E || 744 regentis E || 747 productos (os ex us) E<sup>1</sup> || vv. 751—763 ab hac fabula alienos esse interponendosque potius post Phoeniss. 318 suspicatus est Peiper Observ. p. 36, ab interpolatore profectos putat Habrucker p. 54. Refutavit Leo I 115 sq.

praeceps silvas montesque fugit 765  
 citus Actaeon agilique magis  
 pede per saltus ac saxa vagus  
 metuit motas zephyris plumas  
 et quae posuit retia vitat:  
 donec placidi fontis in unda 760  
 cornua vidit vultusque feros;  
 ibi virgineos foverat artus  
 nimium saevi diva pudoris.

## OEDIPVS IOCASTA

Curas revolvit animus et repetit metus.  
 obisse nostro Laium scelere autumant 765  
 superi inferique, sed animus contra innocens  
 sibi melius quam deis notus negat.  
 redit memoria tenue per vestigium,  
 cecidisse nostri stipitis pulsu obvium  
 datumque Diti cum prior iuvenem senex, 770  
 curru superbus, pelleret, Thebis procul  
 Phocaea trifidas regio qua scindit vias.  
 unanima coniunx, explica errores precor:  
 quae spatia moriens Laius vitae tulit?  
 primone in aevo viridis an fracto occidit? 775  
 IOC. Inter senem iuvenemque, sed propior seni.  
 OED. Frequensne turba regium cinxit latus?  
 IOC. Plures fefellit error ancipitis viae,  
 paucos fidelis curribus iunxit labor.  
 OED. Aliquisne cecidit regio fato comes? 780  
 IOC. Vnum fides virtusque consortem addidit.  
 OED. Teneo nocentem. convenit numerus, locus:  
 sed tempus adde.

IOC. Decima iam metitur seges.

761 ferox EA corr. τ || 762 ubi A || 763 dira E || 764 OED.  
 praef. E om. A || 769 om. ψ || 770 datum esse diti A || 773 ex-  
 plica errorem A. explicet rores E || 775 fractoccidit E



## SENEC CORINTHIVS IDEM

- Corinthius te populus in regnum vocat  
 patrium: quietem Polybus aeternam obtinet. 785  
 OED. Vt undique in me saeva Fortuna irruit!  
 edissere agedum, quo cadat fato parens.  
 SEN. Animam senilem mollis exsolvit sopor.  
 OED. Genitor sine ulla caede defunctus iacet.  
 testor, licet iam tollere ad caelum pie 790  
 puras nec ulla scelera metuentes manus.  
 sed pars magis metuenda fatorum manet.  
 SEN. Omnem paterna regna discutient metum.  
 OED. Repetam paterna regna; sed matrem horreo.  
 SEN. Metuis parentem, quae tuum reditum expetens 795  
 sollicita pendet?  
 OED. Ipsa me pietas fugat.  
 SEN. Viduam relinques?  
 OED. Tangis en ipsos metus:  
 SEN. Effare mersus quis premat mentem timor;  
 praestare tacitam regibus soleo fidem.  
 OED. Conubia matris Delphico admonitu tremo. 800  
 SEN. Timere vana desine et turpes metus  
 depone: Merope vera non fuerat parens.  
 OED. Quod subditivi praemium gnati petit?  
 SEN. Regum superbam liberi astringunt fidem.  
 OED. Secreta thalami fare quo excipias modo. 805  
 SEN. Hae te parenti parvulum tradunt manus.  
 OED. Tu me parenti tradis; at quis me tibi?  
 SEN. Pastor nivoso sub Cithaeronis iugo.  
 OED. In illa temet nemora quis casus tulit?  
 SEN. Illo sequebar monte cornigeros greges. 810  
 OED. Nunc adice certas corporis nostri notas.

*inscr. om. A* || 784 *senex praef. E* senex Corinthius Edipus *ψ* || 786 Et undique *E* || 787 ed. mihi quo *A* || 790 iam licet *E* || 793 discutiant *ψ* || 799 regibus *bis E* || 800 monitu *A* || 804 regnum *A*

SEN. Forata ferro gesseras vestigia,  
tumore nactus nomen ac vitio pedum.

OED. Quis fuerit ille qui meum dono dedit  
corpus requiro.

SEN. Regios pavit greges; 815  
minor sub illo turba pastorum fuit.

OED. Eloquere nomen.

SEN. Prima languescit senum  
memoria longo lassa sublabens situ.

OED. Potesne facie noscere ac vultu virum?

SEN. Fortasse noscam: saepe iam spatio obrutam 820  
levis exoletam memoriam revocat nota.

OED. Ad sacra et aras omne compulsum pecus  
duces sequantur; ite, propere accersite,  
famuli, penes quos summa consistit gregum.

SEN. Sive ista ratio sive fortuna occultit, 825  
latere semper patere quod latuit diu:

saepe eruentis veritas patuit malo.

OED. Malum timeri maius his aliquod potest?

SEN. Magnum esse magna mole quod petitur scias.  
concurrit illinc publica, hinc regis salus: 830

utrimque paria; contine medias manus,  
nihil laccessas, ipsa se fata explicent.

OED. Non expedit concutere felicem statum:  
tuto movetur quicquid extremo in loco est.

SEN. Nobilius aliquid genere regali appetis? 835  
ne te parentis pigeat inventi vide.

OED. Vel paenitendi sanguinis quaeram fidem,  
si nosse certum est. ecce grandaevus senex,  
arbitria sub quo regii fuerant gregis,

Phorbas. refersne nomen aut vultum senis? 840

SEN. Adridet animo forma; nec notus satis,  
nec rursus iste vultus ignotus mihi.

819 cognoscere E || 823 sequantur E | accersite E || 828 ti-  
mere E || 829 petitorio E || 831 patria A || 832 ut nichil laccessas,  
ipsa te f. explicant A || 833 seni continuatur A || 834 OED. A ||  
837 nec poen. A || 838 sed A sic Leo

OED. Regnum optinente Laio famulus greges  
agitasti opimos sub Cithaeronis plaga?

## PHORBAS IDEM

Laetus Cithaeron pabulo semper novo 845  
aestiva nostro prata summittit gregi.

SEN. Noscisne memet?

PHOR. Dubitat anceps memoria.

OED. Huic aliquis a te traditur quondam puer?  
effare. dubitas? cur genas mutat color?

quid verba quaeris? veritas odit moras. 850

PHOR. Obducta longo temporum tractu moves.

OED. Fatere, ne te cogat ad verum dolor.

PHOR. Inutile isti munus infantis dedi:

non potuit ille luce, non caelo frui.

SEN. Procul sit omen. vivit et vivat precor. 855

OED. Superesse quare traditum infantem negas?

PHOR. Ferrum per ambos tenue transactum pedes  
ligabat artus, vulneri innatus tumor

puerile foeda corpus urebat lue.

OED. Quid quaeris ultra? fata iam accedunt prope. 860  
quis fuerit infans edoce.

PHOR. Prohibet fides.

OED. Huc aliquis ignem! flamma iam excutiet fidem.

PHOR. Per tam cruentas vera quaerentur vias?

ignosce quaeso. OED. Si ferus videor tibi

et impotens, parata vindicta in manu est: 865

dic vera: quisnam? quove generatus patre?

qua matre genitus? PHOR. coniuge est genitus tua.

343. 844 *Oedipo dat Gronov, seni continuantur* ω || PHORBAS  
SENECA OEDIPVS A || 848—850 *seni dantur* E || 851 *abducta* E ||  
853 *infantem* A || 859 *lues* E || 860. 861<sup>a</sup> SEN. A || 862—  
867<sup>a</sup> (—genitus) *Oedipo continuantur* E, 863 *Phorbanti dedit*  
*Bothe*, 864. 865 *Phorbanti dantur* A (*versus 864 posterius*  
*solum hemistichium* [Si — tibi] ψ i. e. τ) || 863 *quaerenti* ω  
*corr. Bothe* || 864 *quaeror* E || 865 *imp. iam parta* A || 867 *est*  
*om. A<sup>r</sup>*

OED. Dehisce, tellus, tuque tenebrarum potens,  
 in Tartara ima, rector umbrarum, rape  
 retro reversas generis ac stirpis vices. 870  
 congerite, cives, saxa in infandum caput,  
 mactate telis: me petat ferro parens,  
 me gnatus, in me coniuges arment manus  
 fratresque, et aeger populus ereptos rogis  
 iaculetur ignes. saeculi crimen vagor, 875  
 odium deorum, iuris exitium sacri,  
 qua luce primum spiritus hausi rudes  
 iam morte dignus. redde nunc animos facres,  
 nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.  
 i, perge, propero regiam gressu pete: 880  
 gratare matri liberis auctam domum.

## CHORVS

Fata si liceat mihi  
 fingere arbitrio meo,  
 temperem zephyro levi  
 vela, ne pressae gravi 885  
 spiritu antennae tremant:  
 lenis et modice fluens  
 aura nec vergens latus  
 ducat intrepidam ratem;  
 tuta me media vehat 890  
 vita decurrens via.

Gnosium regem timens  
 astra dum demens petit

869 i. t. iram E || 871 saxa infestum A || 878 animos pa-  
 rens A pares N. *Hemsius p. 179 et Bentley feros vel truces*  
*Bücheler furens Peiper anime has vices (i. e. horum scelerum*  
*poenas) vel tandem vices Richter symb. p. 37, animos, sacer*  
*Koetschau* || 880 cursu pete A || 881 aucta domo A || 882 pro-  
 prius versus, 883—914 versus binorum colorum E || 887 lene sed  
 modicum fluens A || 890. 891 om. A<sup>r</sup> (exc. B 10) || 891 decur-  
 rere E decurrente A corr. *Delrio* || 893 alta dum A

artibus fisus novis,  
 certat et veras aves 895  
 vincere ac falsis nimis  
 imperat pinnis puer,  
 nomen eripuit freto;  
 callidus medium senex  
 Daedalus librans iter 900  
 nube sub media stetit,  
 alitem expectans suum  
 (qualis accipitris minas  
 fugit et sparsos metu  
 conligit fetus avis), 905  
 donec in ponto manus  
 movit implicitas puer  
 compede audacis viae.  
 quicquid excessit modum  
 pendet instabili loco. 910

Sed quid hoc? postes sonant;  
 maestus en famulus manu  
 regius quassat caput.  
 ede quid portes novi.

## NVNTIVS

Praedicta postquam fata et infandum genus 915  
 deprendit ac se scelere convictum Oedipus  
 damnavit ipse, regiam infestus petens  
 invisam prope tecta penetravit gradu  
 qualis per arva Libycus insanit leo,  
 fulvum minaci fronte concutiens iubam; 920  
 vultus furore torvus atque oculi truces,  
 gemitus et altum murmur, et gelidus fluit

894 fidens A || 896 minus N. Heinsius p. 179 || 898 om. A<sup>r</sup> ||  
 902 suam ω corr. Bentley || 908 audacis viae comes audax E  
 comes audacis viae A corr. Bücheler (compos L. Müller, v. del.  
 Peiper) || 911 hic postis sonat A || 912 m. et ω corr. N. Heinsius  
 l. n. || 912 om. A<sup>r</sup> || 913 regios quassans A || 915 inf. scelus A ||  
 922 gel. uolat A

sudor per artus, spumat et volvit minas  
 ac mersus alte magnus exundat dolor.  
 secum ipse saevus grande nescio quid parat 925  
 suisque fatis simile. 'quid poenas moror?'  
 ait 'hoc scelestum: pectus aut ferro petat,  
 aut fervido aliquis igne vel saxo domet.  
 quae tigris aut quae saeva visceribus meis  
 incurret ales? ipse tu scelerum capax, 930  
 sacer Cithaeron, vel feras in me tuas  
 emitte silvis, mitte vel rabidos canes —  
 nunc redde Agauen. anime, quid mortem times?  
 mors innocentem sola Fortunae eripit.'  
 haec fatus aptat impiam capulo manum 935  
 ensemque ducit. 'itane? tam magnis breves  
 poenas sceleribus solvis atque uno omnia  
 pensabis ictu? moreris: hoc patri sat est;  
 quid deinde matri, quid male in lucem editis  
 gnatis, quid ipsi, quae tuum magna luit 940  
 scelus ruina, flebili patriae dabis?  
 solvendo non es: illa quae leges ratas  
 Natura in uno vertit Oedipoda, novos  
 commenta partus, supplicis eadem meis  
 novetur. iterum vivere atque iterum mori 945  
 liceat, renasci semper ut totiens nova  
 supplicia pendas — utere ingenio, miser:  
 quod saepe fieri non potest fiat diu;  
 mors eligatur longa. quaeratur via  
 qua nec sepultis mixtus et vivis tamen 950  
 exemptus erres: morere, sed citra patrem.  
 cunctaris, anime?' subitus en vultus gravat  
 profusus imber ac rigat fletu genas.  
 'et flere satis est? hactenus fundent levem  
 oculi liquorem? sedibus pulsi suis 955

927 ut hoc A || 931 tuis  $\psi$  || 934 eripiet E || 940 ipsa E ||  
 941 flebilis A $\tau$  || 942 solvenda non est  $\omega$  corr. Grotius || 943 Oedi-  
 pode  $\psi$  || 950 quae E || 951 cytra partem E || 952 an vultus A

lacrimas sequantur: di maritales, satin?  
 fodiantur oculi!' dixit atque ira furit:  
 ardent minaces igne truculento genae  
 oculique vix se sedibus retinent suis;  
 violentus audax vultus, iratus ferox, 960  
 tantum furentis; gemuit et dirum fremens  
 manus in ora torsit. at contra truces  
 oculi steterunt et suam intenti manum  
 ultro insecuntur, vulneri occurrunt suo.  
 scrutatur avidus manibus uncis lumina, 965  
 radice ab ima funditus vulsos simul  
 evolvit orbis; haeret in vacuo manus  
 et fixa penitus unguibus lacerat cavos  
 alte recessus luminum et inanes sinus,  
 saevitque frustra plusque quam satis est furit. 970

Factum est periculum lucis; attollit caput  
 cavisque lustrans orbibus caeli plagas  
 noctem experitur. quicquid effossis male  
 dependet oculis rumpit, et victor deos  
 conclamat omnis: 'parcite, en, patriae precor: 975  
 iam iusta feci, debitas poenas tuli;  
 inventa thalamis digna nox tandem meis.  
 rigat ora foedus imber et lacerum caput  
 largum revulsis sanguinem venis vomit.

## CHORVS

Fatis agimur: cedite fatis; 980  
 non sollicitae possunt curae  
 mutare rati stamina fusi.  
 quicquid patimur mortale genus,

956 hi  $\omega$  corr. *Madvig II p. 118* | statim  $\omega$  corr. *Leo* ||  
 961 t. cruentus A t. eruentis E corr. *Richter symb. p. 38, v. infra*  
*ad v. 1038* || 971 tantum est  $\omega$  corr. *Madvig II 119* || 974 de-  
 pendit E || 975 omnes A || 976 iussa  $\omega$  corr. *N. Heinsius p. 463* ||  
 979 uomēt E || 980 agerimur E<sup>1</sup> er expunct. E<sup>2</sup> | credite AE  
 corr.  $\alpha$

quicquid facimus venit ex alto,  
 servatque suae decreta colus 985  
 Lachesis nulla revoluta manu.  
 omnia secto tramite vadunt  
 primusque dies dedit extremum:  
 non illa deo vertisse licet  
 quae nexa suis currunt causis. 990  
 it cuique ratus prece non ulla  
 mobilis ordo: multis ipsum  
 metuisse nocet, multi ad fatum  
 venere suum dum fata timent.  
 Sonuere fores atque ipse suum. 995  
 duce non ullo molitur iter  
 luminis orbus.

## OEDIPVS CHORVS IOCASTA

Bene habet, peractum est: iusta persolvi patri.  
 iuvant tenebrae. quis deus tandem mihi  
 placatus atra nube perfundit caput? 1000  
 quis scelera donat? conscium evasi diem.  
 nil, parricida, dexteræ debes tuæ:  
 lux te refugit. vultus Oedipodam hic decet.  
 CHOR. En ecce, rapido saeva prosiluit gradu  
 Iocasta vaecors, qualis attonita et furens 1005  
 Cadmea mater abstulit gnato caput  
 sensitque raptum. dubitat affictum alloqui,  
 cupit pavetque. iam malis cessit pudor.  
 set haeret ore prima vox. IOC. Quid te vocem?  
 gnatumne? dubitas? gnatus es: gnatum pudet? 1010

986 L. dura  $\omega$  corr. Leo (*Hr.* 182) || 987 certo vel septo  $\psi$   
 recte Gronov || 991 id E<sup>1</sup> it E<sup>2</sup> || 993 timuisse A || 996 d. n. u. | lu-  
 minis orbus molitur iter E || 997 mollitur E || 998 *praef.* OED. E ||  
 1000 perfundet A || 1003 Oedipodem A. || 1007 censitque E corr.  $\Sigma$   
 sensimve raptum traxit aff. A || ante 1009 in marg. Iocastae  
 nomen cum scholâis detersum E | et heret E corr. Lipsius | IOC.  
 cupiunt et horrent ora. nam quid te uocem? A || 1010 pudor E



invite loquere gnate — quo avertis caput  
vacuosque vultus?

OED. Quis frui tenebris vetat?  
quis reddit oculos? matris, en matris sonus!  
perdidimus operam. congrédi fas amplius  
haut est. nefandos dividat vastum mare 1015  
dirimatque tellus abdita et quisquis sub hoc  
in alia versus sidera ac solem avium  
dependet orbis alterum ex nobis ferat.

IOC. Fati ista culpa est: nemo fit fato nocens.

OED. Iam parce verbis, mater, et parce auribus: 1020  
per has reliquias corporis trunci peto,  
per inauspicatum sanguinis pignus mei,  
per omne nostri nominis fas ac nefas.

IOC. Quid, anime, torpes? socia cur scelerum dare  
poenas recusas? omne confusum perit, 1025  
incesta, per te iuris humani decus:

morere et nefastum spiritum ferro exige.  
non si ipse mundum concitans divum sator  
corusca saeva tela iaculetur manu,  
umquam rependam sceleribus poenas pares 1030  
mater nefanda. mors placet: inortis via  
quaeratur. agedum, commoda matri manum,  
si parricida es. restat hoc operae ultimum:  
rapiatur ensis; hoc iacet ferro meus

coniux — quid illum nomine haud vero vocas? 1035  
socer est. utrumne pectori infigam meo  
telum an patenti conditum iugulo inprimam?  
eligere nescis vulnus: hunc, dextra, hunc pete  
uterum capacem, qui virum et gnatos tulit.

CHOR. Iacet perempta. vulneri immoritur manus 1040

1011 immitis oro nate A | advertis E || 1012 frui et t. A ||  
1013 mater an m. s. A || 1021 tr. precor A || 1023 et nefas ψ ||  
1025 omne bis E | contusum E || 1026 incerta A || 1027 sed A<sup>r</sup>  
at α || 1028 div. pater A || 1029 corrusca E || 1033 operi ω *corp.*  
*Bücheler* || 1035 coniux E || 1036 socer e stuprum ne E | pec-  
tore A<sup>r</sup> || 1038 Fligere E || 1039 qui patrem et gnatos *Bentley*

ferrumque secum nimius eiecit cruor.

OED. Fatidice te, te praesidem et veri deum  
compello: solum debui fatis patrem;

bis parricida plusque quam timui nocens  
matrem peremi: scelere confecta est meo.

1045

o Phoebe mendax, fata superavi impia.

Pavitante gressu sequere pallentes vias;  
suspensa plantis efferens vestigia

caecam tremente dextera noctem rege.

ingredere praeceps, lubricos ponens gradus,

1050

i profuge vade — siste, ne in matrem incidas.

quicumque fessi corpore et morbo graves

semanima trahitis pectora, en fugio exeo:

relevate colla. mitior caeli status

posterga sequitur: quisquis exilem iacens

1055

animam retentat, vividos haustus levis

concipiat. ite, ferte depositis opem:

mortifera mecum vitia terrarum extraho.

violenta Fata et horridus Morbi tremor,

Maciesque et atra Pestis et rabidus Dolor,

1060

mecum ite, mecum. ducibus his uti libet.

1042 fatidici te pr. ueri A || 1047 putavit ante E | fallaces  
vias A || 1050 i gradere α | ponens pedes A || 1053 trahitis cor-  
pora A || 1055 post terga A cf. *Med.* 303 || 1056 leues E || 1057 ad-  
fertur a Servio. Cf. *praef. c. II* || 1058 terris A

EXPLICIT OEDIPPVS INCIPIT | AGAMENNON E sequitur Troas A

# A G A M E M N O

# PERSONAE

I CLYTEMESTRA

II THYESTIS VMBRA

AEGISTHVS

AGAMEMNO

STROPHIVS

III CASSANDRA

IV NVTRIX

EVRYBATES

ELECTRA

ORESTES } TACITI

PYLADES }

CHORVS I MYCENAEARVM

CHORVS II ILIADVM

SCAENA MYCENIS

## THYESTIS VMBRA

Opaca linquens Ditis inferni loca  
 adsum profundo Tartari emissus specu,  
 incertus utras oderim sedes magis:  
 fugio Thyestes inferos, superos fugo.  
 en horret animus et pavor membra excutit: 5  
 video paternos, immo fraternos lares.  
 hoc est vetustum Pelopiae limen domus;  
 hinc auspicari regium capiti decus  
 mos est Pelasgis, hoc sedent alti toro  
 quibus superba sceptrā gestantur manu, 10  
 locus hic habendae curiae — hic epulis locus.  
 libet reverti. nonne vel tristes lacus  
 incolere satius, nonne custodem Stygis  
 trigemina nigris colla iactantem iubis?  
 ubi ille celeri corpus evinctus rotae 15  
 in se refertur, ubi per adversum irritus  
 redeunte totiens luditur saxo labor,  
 ubi tondet ales avida fecundum iecur,  
 et inter undas fervida exustus siti  
 aquas fugaces ore decepto appetit 20  
 poenas daturus caelitem dapibus graves —  
 sed ille nostrae pars quota est culpae senex?  
 reputemus omnes quos ob infandas manus  
 quaesitor urna Gnosius versat reos,

*Inscr. om. A* || 5 pavor mentem *Bentley coll. v. 418* || 13 nosse  
*cust. ci. Koetschau coll. v. 751 Hl. 216* || 14 tergemina *R 10*  
*Vd.* | nimis *E* || 15 rota *E*

vincam Thyestes sceleribus cunctos meis. 25  
 a fratre vincar? liberis plenus tribus  
 in me sepultis? viscera exedi mea.  
 nec hactenus Fortuna maculavit patrem,  
 sed maius aliud ausa commisso scelus 30  
 gnatae nefandos petere concubitus iubet.  
 non pavidus hausi dicta, sed cepi nefas.  
 ergo ut per omnis liberos irem parens,  
 coacta fatis gnata fert uterum gravem,  
 me patre dignum. versa natura est retro:  
 avo parentem, pro nefas, patri virum, 35  
 gnatis nepotes miscui — nocti diem.

Sed sera tandem respicit fessos malis  
 post fata demum sortis incertae fides:  
 rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,  
 cuius secutae mille vexillum rates 40  
 Iliaca velis maria texerunt suis,  
 post decima Phoebi lustra devicto Ilio  
 adest — daturus coniugi iugulum suae.  
 iam iam natabit sanguine alterno domus:  
 enses secures tela, divisum gravi 45  
 ictu bipennis regium video caput,  
 iam scelera prope sunt, iam dolus caedes cruor —  
 parantur epulae. causa natalis tui,  
 Aegisthe, venit. quid pudor vultus gravat?  
 quid dextra dubio trepida consilio labat? 50  
 quid ipse temet consulis torques rogas,  
 an deceat hoc te? respice ad matrem: decet.

Sed cur repente noctis aestivae vices  
 hiberna longa spatia producant mora,  
 aut quid cadentes detinet stellas polo? 55  
 Phoebum moramur? redde iam mundo diem.

26 sq. *interrogandi signa posuit M. Müller p. 38* || 31 dicta, suscepi *ci. Koetschau* || 32 omnes A || 35 avo nepotem A(ε) || 36 incestae A || 42 post dena A (bina α gemina Bentley) || 45 secures E || 51 timet E || 52 an matrem A at m. α

## CHORVS

O regnorum magnis fallax  
 Fortuna bonis, in praecipiti  
 dubioque locas nimis excelsos;  
 numquam placidam sceptrā quietem 60  
 certumve sui tenuere diem;  
 alia ex aliis cura fatigat  
 vexatque animos nova tempestas.

Non sic Libycis syrtibus aequor  
 furit alternos volvere fluctus, 65  
 non Euxini turget ab imis  
 commota vadis  
 unda nivali vicina polo,  
 ubi caeruleis immunis aquis  
 lucida versat plaustra Bootes, 70  
 ut praecipites regum casus  
 Fortuna rotat.

Metui cupiunt metuique timent,  
 non nox illis alma recessus  
 praebet tutos, non curarum 75  
 somnus domitor pectora solvit.

Quas non arces scelus alternum  
 dedit in praeceps? impia quas non  
 arma fatigant? iura pudorque  
 et coniugii sacrata fides 80  
 fugiunt aulas; sequitur tristis  
 sanguinolenta Bellona manu  
 quaeque superbos urit Erinys,  
 nimias semper comitata domos,  
 quas in planum quaelibet hora 85  
 tulit ex alto.

57—107 *dimetri*, IV *monometris distincti* (70<sup>b</sup> pl. Bo., 76 p. s., 89<sup>b</sup> F. s., 107<sup>b</sup> pr. l.) EA || 59 excelsos nimis E *corr.* L. Müller *de re metr.* p. 169 nimis excelsa loco A(τ) || 63 vexat animos E || 66 euxini (eu i. ras.) E<sup>2-3</sup> (non sic euxini M non eyxini N) || 70 boetes A(τ) || 72 rotas Bentley || 81 faciunt E || 84 tumidas semper A

Licet arma vacent cessentque doli,  
 sidunt ipso pondere magna  
 ceditque oneri Fortuna suo. 90  
 vela secundis inflata notis  
 ventos nimium timuere suos,  
 nubibus ipsis inserta caput  
 turris pluvio vapulat Austro,  
 densasque nemus spargens umbras  
 annosa videt robora frangi; 95  
 feriunt celsos fulmina colles,  
 corpora morbis maiora patent,  
 et cum in pastus armenta vagos  
 vilia currant,  
 placet in vulnus maxima cervix. 100  
 Quicquid in altum Fortuna tulit,  
 ruitura levat. modicis rebus  
 longius aevum est: felix mediae  
 quisquis turbae sorte quietus  
 aura stringit litora tuta 105  
 timidusque mari credere cumbam  
 remo terras propiore legit.

### CLYTEMESTRA NVTRIX

Quid, segnis anime, tuta consilia expetis?  
 quid fluctuaris? clausa iam melior via est:  
 licuit pudicos coniugis quondam toros 110  
 et sceptrum casta vidua tutari fide —  
 periere mores ius decus pietas fides  
 et qui redire cum perit nescit pudor;  
 da frena et omnem prona nequitiam incita:  
 per scelera semper sceleribus tutum est iter. 115  
 tecum ipsa nunc evolve femineos dolos,

97 patent (e i. ras.) E || 100 patet ci. Richter || 103 fel. quis-  
 quis mediae t. E || 104 parte A || 108 anime (e i. ras.) E || 111 casta  
 iuncta A || 113 nescit c. p. A(τ)



quod ulla coniunx perfida atque impos sui  
 amore caeco, quod novercales manus  
 ausae, quod ardens impia virgo face,  
 Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe: 120  
 ferrum, venena; vel Mycenaeas domos  
 coniuncta socio profuge furtiva rate —  
 quid timida loqueris furta et exilium et fugas?  
 soror ista fecit; te decet maius nefas.  
 NVTR. Regina Danaum et inclitum Ladae genus, 125  
 quid tacita versas quidve consilii impotens  
 tumido feroces impetus animo geris?  
 licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor.  
 proin quicquid est, da tempus ac spatium tibi:  
 quod ratio non quit saepe sanavit mora. 130  
 CLYT. Maiora cruciant quam ut moras possim pati;  
 flammae medullas et cor exurunt meum,  
 mixtus dolori subdidit stimulos timor,  
 invidia pulsat pectus; hinc animum iugo  
 premit cupido turpis et vinci vetat: 135  
 et inter istas mentis obsessae faces,  
 fessus quidem et devinctus et pessumdatas,  
 pudor rebellat. fluctibus variis agor,  
 ut cum hinc profundum ventus, hinc aestus rapit,  
 incerta dubitat unda cui cedat malo. 140  
 proinde omisi regimen e manibus meis:  
 quocumque me ira, quo dolor, quo spes feret,  
 hoc ire pergam; fluctibus dedimus ratem:  
 ubi animus errat, optimum est casum sequi.  
 NVTR. Caeca est temeritas quae petit casum ducem. 145  
 CLYT. Cui ultima est fortuna, quid dubiam timet?  
 NVTR. Tuta est latetque culpa, si pateris, tua.

118 caeca Bentley || 120 Th. grave E || 121 Mycenea domo A ||  
 124 sors ista A || 126 consilia E || 127 timido Bentley || 129 pro-  
 inde A || 130 nequit A(τ) || 131 ut om. E quam m. p. ut p. N. Hein-  
 sius p. 108 || 133 lixtus E || 134 pulsat. cecus hinc E || 137 de-  
 uictus A || 143 huc A cf. Thomas, Hermes 28, 308 | dedam A ||  
 145 dubium A

- CLYT. Perlucet omne regiae vitium domus.  
 NVTR. Piget prioris et novum crimen struis?  
 CLYT. Res est profecto stulta nequitiae modus. 150  
 NVTR. Quod metuit auget qui scelus scelere obruit.  
 CLYT. Et ferrum et ignis saepe medicinae loco est.  
 NVTR. Extrema primo nemo temptavit loco.  
 CLYT. Rapienda rebus in malis praeceps via est.  
 NVTR. At te reflectat coniugi nomen sacrum. 155  
 CLYT. Decem per annos vidua respiciam virum?  
 NVTR. Meminisse debes sobolis ex illo tuae.  
 CLYT. Equidem et iugales filiae memini faces  
 et generum Achillem: praestitit matri fidem.  
 NVTR. Redemit illa classis immotae moras 160  
 et maria pigro fixa languore impulit.  
 CLYT. Pudet doletque — Tyndaris, caeli genus,  
 lustrale classi Doricae peperit caput!  
 revolvit animus virginis thalamos meae  
 quos ille dignos Pelopia fecit domo, 165  
 cum stetit ad aras ore sacrifico pater  
 quam nuptialis! horruit Calchas suae  
 responsa vocis et recedentes focos.  
 o scelera semper sceleribus vincens domus,  
 cruore ventos emimus, bellum nece! 170  
 sed vela pariter mille fecerunt rates?  
 non est soluta prospero classis deo:  
 eiecit Aulis impias portu rates.  
 sic auspicatus bella non melius gerit.  
 amore captae captus, immotus prece 175  
 Zminthea tenuit spolia Phoebai senis,  
 ardore sacrae virginis iam tum furens.

151 scelere scelus A(τ) || 154 capienda A || 155 coniugis *ed.*  
*Burdegal.* || 158 Et quidem E || 160. 161 *Clytaemnestrae dant ψ* ||  
 161 languo impulit E || 162 pudet pigetque A || 163 peperit A ||  
 166 sacrilego A || 167 quasi nuptiales A | chalchas E || 169 pen-  
 sans domus *Bentley* || 170 eminus E || 171 *nutrici dant ψ* | sed  
 bella E || 173 eiecit alio E || 175 *del. Peiper, post 176 legitur ψ* ||  
 176 renuit sp. *vel dona Bentley* | Ph. ducis A || 177 ardorem  
 s. v. tantum ferens A(τ)

non illum Achilles flexit indomitus minis,  
 non ille solus fata qui mundi videt,  
 in nos fidelis augur, in captas levis, 180  
 non populus aeger et relucentes rogi:  
 inter ruentis Graeciae stragem ultimam  
 sine hoste victus marcet ac Veneri vacat  
 reparatque amores; neve desertus foret  
 a paelice unquam barbara caelebs torus, 185  
 ablatam Achilli diligit Lyrnesida,  
 nec rapere puduit e sinu avulsam viri —  
 en Paridis hostem. nunc novum vulnus gerens  
 amore Phrygiae vatis incensus furit,  
 et post tropaea Troica ac versum Ilium 190  
 captae maritus remeat et Priami gener.

Accingere, anime: bella non levia apparatus.  
 scelus occupandum est. pigra, quem expectas diem?  
 Pelopia Phrygiae sceptrum dum teneant nurus?  
 an te morantur virgines viduae domi 195  
 patrique Orestes similis? horum te mala  
 ventura moveant, turbo quis rerum imminet:  
 quid, misera, cessas? en adest gnatis tuis  
 furens noverca. per tuum, si aliter nequit,  
 latus exigatur ensis et perimat duos. 200  
 misce cruorem, perde pereundo virum:  
 mors misera non est commori cum quo velis.  
 NVTR. Regina, frena temet et siste impetus  
 et quanta temptes cogita: victor venit  
 Asiae ferocis, ultor Europae, trahit 205  
 captiva Pergama et diu victos Phrygas;  
 hunc fraude nunc conaris et furto aggredi,  
 quem non Achilles ense violavit fero,  
 quamvis procacem torvus armasset manum,

182 om. E || 185 a p. u. vel suus c. t. A || 186 Briseidam A ||  
 187 uulsam A || 188 en rapidis h. E || 190 tropaea ω | troiaca E ||  
 194 om. ψ || 199 aliud nequit A || 201 perfunde virum E ||  
 204 tentas A(τ) || 207 fraude num *Madvig* | conaris insana  
 agg. A

non melior Ajax morte decreta furens, 210  
 non sola Danais Hector et bello mora,  
 non tela Paridis certa, non Memnon niger,  
 non Xanthus armis corpora immixta aggerens  
 fluctusque Simois caede purpureos agens, 215  
 non nivea proles Cycnus aequorei dei,  
 non bellicoso Thressa cum Rheso phalanx,  
 non picta pharetras et securigera manu  
 peltata Amazon? hunc domi reducem paras  
 mactare et aras caede maculare impia?  
 victrix inultum Graecia hoc facinus feret? 220  
 equos et arma classibusque horrens fretum  
 propone et alto sanguine exundans solum  
 et tota captae fata Dardaniae domus  
 regesta Danais. comprime affectus truces  
 mentemque tibimet ipsa pacifica tuam. 225

### AEGISTHVS CLYTEMESTRA NVTRIX

Quod tempus animo semper ac mente horru  
 adest profecto, rebus extremum meis.  
 quid terga vertis, anime? quid primo impetu  
 deponis arma? crede perniciem tibi  
 et dira saevos fata moliri deos: 230  
 oppone cunctis vile suppliciiis caput,  
 ferrumque et ignes pectore adverso excipe,  
 Aegisthe: non est poena sic nato mori.  
 tu nos pericli socia, tu, Leda sata,  
 comitare tantum: sanguinem reddet tibi 235  
 ignavus iste ductor ac fortis pater.  
 sed quid trementes circuit pallor genas  
 iacensque vultu languido optutus stupet?

213 santhus E | immixta EA immixtis ψ | gerens ω corr.  
 Gronov || 220 ultrix A || 222 prepone A || 225 NVTRIX om. A ||  
 226 AEG. praef. E || 229 permitti tibi E || 230 de interpunctione  
 cf. M. Müller Ph. 268 || 233 Cli. et 234 Egi. praef. A || 234 peric-  
 lis otia E || 236 fortis pariter E

- CLYT. Amor iugalis vincit ac flectit retro:  
referamur illuc, unde non decuit prius 240  
abire; sed nunc casta repetatur fides,  
nam sera numquam est ad bonos mores via:  
quem paenitet peccasse paene est innocens.  
AEG. Quo raperis amens? credis aut speras tibi  
Agamemnonis fidele coniugium? ut nihil 245  
subesset animo quod graves faceret metus:  
tamen superba et impotens flatu nimis  
Fortuna magno spiritus tumidos daret.  
gravis ille sociis stante adhuc Troia fuit:  
quid rere ad animum suapte natura trucem 250  
Troiam addidisse? rex Mycenarum fuit,  
veniet tyrannus: prospera animos efferant.  
effusa circa paelicum quanto venit  
turba apparatu! sola sed turba eminent  
tenetque regem famula veridici dei: 255  
feresne thalami victa consortem tui?  
at illa nolet. ultimum est nuptae malum  
palam mariti possidens paelex domum.  
nec regna socium ferre nec taedae sciunt.  
CLYT. Aegisthe, quid me rursus in praeceps agis 260  
iramque flammis iam residentem incitas?  
permisit aliquid victor in captam sibi:  
nec coniugem hoc respicere nec dominam decet.  
lex alia solio est, alia privato in toro.  
quid quod severas ferre me leges viro 265  
non patitur animus turpis admissi memor?  
dat ille veniam facile cui venia est opus.  
AEG. Itane est? pacisci mutuam veniam licet?

240 referemus E corr. Gronov, referemur Leo II 382 referimur M. Müller ibd. remeemus A || 245 Agamemnonis E || 247 et innocens E || 252 efferunt EA corr. Bücheler || 254 sed longe eminent A || 257 nollet E || 258 mariti ex marita E<sup>1</sup> marita A || 260 tres litterae minio in fronte v. pictae, sed deter-sae E<sup>1</sup>; atramento repetitum CLI. E<sup>2-3</sup> | praeceps rapis A || 262 aliquis E || 263 non — non ψ || 264 socio A | priuata E || 267 det ω corr. Bentley || 268 ita est ω corr. Richter | pacissci E

ignota tibi sunt iura regnorum aut nova?  
 nobis maligni iudices, aequi sibi 270  
 id esse regni maximum pignus putant,  
 si quicquid aliis non licet solis licet.  
 CLYT. Ignovit Helenae: iuncta Menelao redit  
 quae Europam et Asiam paribus afflixit malis.  
 AEG. Sed nulla Atriden Venere furtiva abstulit 275  
 nec cepit animum coniugi obstrictum suae.  
 iam crimen ille quaerit et causas parat.  
 nil esse crede turpe commissum tibi:  
 quid honesta prodest vita, flagitio vacans?  
 ubi dominus odit fit nocens, non quaeritur. 280  
 Spartamne repetes spreta et Eurotan tuum  
 patriasque sedes profuga? non dant exitum  
 repudia regum. spe metus falsa levas.  
 CLYT. Delicta novit nemo nisi fides mea.  
 AEG. Non intrat umquam regium limen fides. 285  
 CLYT. Opibus merebor, ut fidem pretio obligem.  
 AEG. Pretio parata vincitur pretio fides.  
 CLYT. Surgit residuus pristinae mentis pudor —  
 quid obstrepis? quid voce blandiloqua mala  
 consilia dictas? scilicet nubet tibi, 290  
 regum relicto rege, generosa exuli?  
 AEG. Et cur Atrida videor inferior tibi,  
 gnatus Thyestae? CLYT. Si parum est, adde et nepos.  
 AEG. Auctore Phoebos gignor: haud generis pudet.  
 CLYT. Phoebum nefandae stirpis auctorem vocas, 295  
 quem nocte subita frena revocantem sua  
 caelo expulistis? quid deos probro addimus?  
 subripere doctus fraude genialis toros,  
 quem Venere tantum scimus illicita virum,

269 haud nova A || 278 nichil E || 279 flag. carens A ||  
 281 spartemne A [sparthen (vel —tem) num (vel non) A(\*)] | et  
 eurotantum E corr. Gronov et a tanto uiro A || 283 metum A ||  
 288—305 *nutricem cum Aegistho conloquentem facit E cf. Leo  
 I 83* || 290 nubam Bentley || 291 generoso E || 297 probro ad-  
 uocas A || 298 sub rupe reductus f. genialis tori E | geniales A

facesse propere ac dedecus nostrae domus 300  
 asporta ab oculis: haec vacat regi ac viro.  
 AEG. Exilia mihi sunt haud nova, assuevi malis.  
 si tu imperas, regina, non tantum domo  
 Argisve cedo: nil moror iussu tuo  
 aperire ferro pectus aerumnis grave. 305  
 CLYT. Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam.  
 quae iuncta peccat debet et culpae fidem.  
 secede mecum potius, ut rerum statum  
 dubium ac minacem iuncta consilia explicent.

## CHORVS

Canite, o pubes inclita, Phoebum! 310  
 tibi festa caput  
 turba coronat, tibi virgineas,  
 laurum quatiens,  
 de more comas innuba fudit  
 stirps Inachia; 315  
 tu quoque nostros, Thespias hospes,  
 comitare choros,  
 quaeque Erasini gelidos fontes,  
 quaeque Eurotan,  
 quaeque virenti tacitum ripa 320  
 bibis Ismenon:  
 quam fatorum praescia Manto,  
 sata Tiresia,  
 Latonigenas monuit sacris  
 celebrare deos. 325  
 arcus, victor, pace relata,  
 Phoëe, relaxa

300 secede propere, dedecus clarae domus A || 301 regia  
 uiro E || 306 sinam: am *detersum* E extat Σ || 307 quae invita  
 E A corr. ψ || 310 carmen in A dimetris decurrit et monometro  
 clauditur. numeri huius cantici inde a v. 312 a Gronovianis  
 recedunt, v. infra ad v. 392<sup>a</sup> || 314 fundit A || 315 stirpis  
 inachiae E || 316 Thebana manus A Thebais hospes E corr.  
 Richter symb. 31 || 324 sacri E

umeroque graves levibus telis  
     pone pharetras  
 resonetque manu pulsa citata 330  
     vocale chelys:  
 nil acre velim magnumque modis  
     intonet altis,  
 sed quale soles levioire lyra  
     flectere carmen 335  
 simplex, lusus cum docta tuos  
     Musa recenset;  
 licet et chorda graviore sonos,  
     quale canebas  
 cum Titanas fulmine victos 340  
     videre dei,  
 vel cum montes montibus altis  
     super impositi  
 struxere gradus trucibus monstris,  
     stetit imposita 345  
 Pelion Ossa, pinifer ambos  
     pressit Olympus.  
 ades, o magni, soror et coniunx,  
     consors sceptri,  
 regia Iuno: tua te colimus 350  
     turba Mycenae.  
 tu sollicitum supplexque tui  
     numinis Argos  
 sola tueris, tu bella manu  
     pacemque regis; 355  
 tu nunc laurus Agamemnonias  
     accipe victrix.  
 tibi multifora tibia buxo  
     solemne canit,

336 uersus *vel* lusus A(τ) || 338 corda E || 340 fulmine  
 misso A || 341 fregere dei A || 348 Aades E || 355 geris *Bent-*  
*ley* || 356 claros Agamenonios (*vel* Agamenonis) A(τ) agamen-  
 nonias E



tibi fila movent docta puellae carmine molli,	360
tibi votivam matres Graiae lampada iactant:	
ad tua coniunx candida tauri delubra cadet,	365
nescia aratri, nullo collum signata iugo.	
tuque, o magni gnata Tonantis, incluta Pallas,	370
quae Dardanias cuspide turres saepe petisti,	
te permixto matrona minor maiorque choro	
colit et reserat veniente dea templa sacerdos:	375
tibi nexilibus turba coronis redimita venit,	
tibi grandaevi lassique senes compote voto	
reddunt grates libantque manu vina trementi.	380
et te Triviam nota memores voce precamur:	
tu maternam sistere Delon, Lucina, iubes,	385
huc atque illuc prius errantem Cyclada ventis;	
nunc iam stabilis fixa terras radice tenet,	
respuit auras religatque rates assueta sequi.	390
tu Tantalidos funera matris victrix numeras:	

365 cadit A || 370 q. D. saepe pet. cusp. turres A || 379 *af-  
fert Priscianus, cf. praef. c. II* || 382 Trivia grata mem. A ||  
386 errante E

stat nunc Sipyli vertice summo  
 flebile saxum, 395  
 et adhuc lacrimas marmora fundunt  
 antiqua novas.  
 colit impense femina virque  
 numen geminum.  
 tuque ante omnis, pater ac rector 400  
 fulmine pollens,  
 cuius nutu simul extremi  
 tremuere poli,  
 generis nostri, Iuppiter, auctor,  
 cape dona libens 405  
 abavusque tuam non degenerem  
 respice prolem.

Sed ecce, vasto concitus miles gradu  
 manifesta properat signa laetitiae ferens  
 (namque hasta summo lauream ferro gerit) 410  
 fidusque regi semper Eurybates adest.

### EVRYBATES CLYTEMESTRA CHORVS

Delubra et aras caelitum et patrios lares 392<sup>a</sup>  
 post longa fessus spatia, vix credens mihi,  
 supplex adoro. vota superis solvite:  
 telluris altum remeat Argolicae decus 395<sup>a</sup>  
 tandem ad penates victor Agamemnon suos.

CLYT. Felix ad aures nuntius venit meas.  
 ubinam petitus per decem coniunx mihi

*post 397 adduntur haec: Lacrimas maesta aeternum | mar-*  
*mora manant EA quae ex adscripto versu Ovidii M. VI 312*  
*(et lacrimas etiam nunc marmora manant) orta esse Gronovius*  
*suspicitur, qui tamen cum Grotio et N. Heinsio p. 115 et 427 scri-*  
*bendum potius putat: et adhuc l. m. aet. Marm. manant ant.*  
*novas. del. Peiper || 400 teque ψ | omnes A || 405 caede dona E ||*  
*409 gerens A || 411 regis E || 392<sup>a</sup> in notandis versibus hisce se-*  
*cuti sumus Leonis exemplum, v. ad v. 310 || in scaenae titulo*  
 CHORVS om. A | *versui 392<sup>a</sup> EVR. praefig. E || 396<sup>a</sup> agamenon EA*

- annos moratur? pelagus an terras premit?  
 EVR. Incolumis, auctus gloria, laude inclitus 400<sup>a</sup>  
 reducem expetito litori impressit pedem.  
 CLYT. Sacris colamus prosperum tandem diem  
 et si propitios attamen lentos deos.  
 tu pande vivat coniugis frater mei  
 et pande teneat quas soror sedes mea. 405<sup>a</sup>  
 EVR. Meliora votis posco et obtestor deos:  
 nam certa fari sors maris dubii vetat.  
 ut sparsa tumidum classis exceptit mare,  
 ratis videre socia non potuit ratem.  
 quin ipse Atrides aequore immenso vagus 410<sup>a</sup>  
 graviora pelago damna quam bello tulit  
 remeatque victo similis, exiguas trahens  
 lacerasque victor classe de tanta rates.  
 CLYT. Effare casus quis rates hausit meas?  
 aut quae maris fortuna dispulerit duces. 415  
 EVR. Acerba fatu poscis, infaustum iubes  
 miscere laeto nuntium. refugit loqui  
 mens aegra tantis atque inhorrescit malis.  
 CLYT. Exprome: clades scire qui refugit suas  
 gravat timorem; dubia plus torquent mala. 420  
 EVR. Vt Pergamum omne Dorica cecidit face,  
 divisa praeda est, maria properantes petunt.  
 iamque ense fessum miles exonerat latus,  
 neglecta summas scuta per puppes iacent;  
 ad militares remus aptatur manus 425  
 omnisque nimium longa properanti mora est.  
 signum recursus regia ut fulsit rate  
 et clara laetum remigem monuit tuba,  
 aurata primas prora designat vias  
 aperitque cursus, mille quos puppes secent. 430  
 hinc aura primo lenis impellit rates

414 quis fare nostras (vestras  $\psi$ ) hauserit casus rates A ||  
 415 dispulerat Bothe || 421 omnis Bentley coll. Tr. 14 ||  
 424 summa E || 428 lentum  $\omega$  corr. Leo I 32 | regimen emo-  
 vit A || 429 aurora A( $\tau$ ) | signavit vias A

adlapsa velis; unda vix actu levi  
 tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit,  
 splendetque classe pelagus et pariter latet. 435  
 iuvat videre nuda Troiae litora,  
 iuvat relictis sola Sigei loca.  
 properat iuventus omnis adductos simul  
 lentare remos, adiuvat ventos manu  
 et valida nisu bracchia alterno movet. 440  
 sulcata vibrant aequora et latera increpant  
 dirimuntque canae caerulum spumae mare.  
 ut aura plenos fortior tendit sinus,  
 posuere tonsas, credita est vento ratis  
 fususque transtris miles aut terras procul,  
 quantum recedunt vela, fugientes notat, 445  
 aut bella narrat: Hectoris fortis minas  
 currusque et empto redditum corpus rogo,  
 sparsum cruore regis Herceum Iovem.  
 tunc qui iacente reciprocus ludit salo  
 tumidumque pando transilit dorso mare 450  
 Tyrrhenus omni piscis exultat freto  
 agitaturque gyros et comes lateri adnatat,  
 anteire naves laetus et rursus sequi;  
 nunc prima tangens rostra lascivit chorus,  
 millesimam nunc ambit et lustrat ratem. 455  
 iam litus omne tegitur et campi latent  
 et dubia parent montis Idaei iuga;  
 et iam, quod unum pervicax acies videt,  
 Iliacus atra fumus apparet nota.  
 iam lassa Titan colla relevabat iugo, 460  
 in astra iam lux prona, iam praeceps dies.  
 exigua nubes sordido crescens globo  
 nitidum cadentis inquinat Phoebi iubar;

432 tactu levis A planctu Bentley coll. v. 681 sq. || 433 tran-  
 quillo A(τ) || 435 littora E || 439 ualidam subbracchia E<sup>1</sup> corr. E<sup>2</sup> ||  
 444 transtris nauita A || 446 sq. H. tracti manus crinesque  
 Bentley || 448 herculeum A(τ) || 449 tum A || 452 agitque A ||  
 457 patent A(τ) || 458 et id quod E

suspecta varius occidens fecit freta.  
 nox prima caelum sparserat stellis, iacent 465  
 deserta vento vela. tum murmur grave,  
 maiora minitans, collibus summis cadit  
 tractuque longo litus ac petrae gemunt;  
 agitata ventis unda venturis tumet:  
 cum subito luna conditur, stellae latent, 470  
 in astra pontus tollitur, caelum perit.  
 nec una nox est: densa tenebras obruit  
 caligo et omni luce subducta fretum  
 caelumque miscet. undique incumbunt simul  
 rapiuntque pelagus infimo eversum solo 475  
 adversus Euro Zephyrus et Boreae Notus:  
 sua quisque mittit tela et infesti fretum  
 emoliantur, turbo convolvit mare:  
 Strymonius altas Aquilo contorquet nives  
 Libycusque harenas Auster ac Syrtes agit; 480  
 [nec manet in Austro: fit gravis nimbis Notus]  
 imbre auget undas, Eurus orientem movet  
 Nabataea quatiens regna et Eoos sinus.  
 quid rabidus ora Corus oceano exerens?  
 mundum revelli sedibus totum suis 485  
 ipsosque rupto crederes caelo deos  
 decidere et atrum rebus induci chaos.  
 vento resistit aestus et ventus retro  
 aestum revolvit; non capit sese mare  
 undasque miscent imber et fluctus suas. 490  
 nec hoc levamen denique aerumnis datur,  
 videre saltem et nosse quo pereant malo:  
 premunt tenebrae lumina et dirae Stygis  
 inferna nox est. excidunt ignes tamen

470 stellae cadunt A || 475 infimum everso polo E (salo  
 ci. Peiper) Leo ci.: infimum venti polo del. v. 476. At cf.  
 Richter symb. p. 15 || 476 aduersus (us ex os) E<sup>1</sup> || 477 mit-  
 tunt A || 480 ad Syrtes E || 481 del. Richter symb. p. 16 fiat gravis  
 ci. Leo || 483 ete eo (et eoeo Ribb.) sonus E<sup>1</sup> || 484 rapidus A |  
 oceano E || 485 revellit E || 487 decedere E || 491 datum est A

et nube dirum fulmen elisa micat, 495  
 miserisque lucis tanta dulcedo est malae:  
 hoc lumen optant. ipsa se classis premit  
 et prora prorae nocuit et lateri latus.  
 illam dehiscens pontus in praeceps rapit  
 hauritque et alto redditam revomit mari; 500  
 haec onere sedit, illa convulsum latus  
 submittit undis, fluctus hanc decimus tegit;  
 haec lacera et omni decore populato levis  
 fluitat nec illi vela nec tonsae manent  
 nec rectus altas malus antemnas ferens, 505  
 sed trunca toto puppis Icario natat.  
 nil ratio et usus audet: ars cessit malis;  
 tenet horror artus, omnis officio stupet  
 navita relicto, remus effugit manus.  
 in vota miseros ultimus cogit timor 510  
 eademque superos Troes et Danaï rogant.  
 quid fata possunt! invidet Pyrrhus patri,  
 Aiaci Vlixes, Hectori Atrides minor,  
 Agamemno Priamo; quisquis ad Troiam iacet  
 felix vocatur, cadere qui meruit gradu, 515  
 quem fama servat, victa quem tellus tegit.  
 nil nobile ausos pontus atque undae ferunt?  
 ignava fortes fata consument viros?  
 perdenda mors est? quisquis es nondum malis  
 satiate tantis caelitem, tandem tuum 520  
 numen serena: cladibus nostris daret  
 vel Troia lacrimas. odia si durant tua  
 placetque mitti Doricum exitio genus,  
 quid hos simul perire nobiscum iuvat,  
 quibus perimus? sistito infestum mare: 525

499 im pr. E || 500 alio Gronov | mare ω corr. Gronov ||  
 501 sedit A(τ) || 502 summittit E || 503 latera E | populata A(τ) ||  
 506 structa toto turpis A | Ionio ω sed cf. Leo II 382 corr.  
 de Wilamowitz || 507 audet in magnis malis A || 512 pirrus E ||  
 514 agamenon EA(τ) corr. Gronov || 515 manu A || 517 ferent A ||  
 525 p. sistite A p. et sistite E corr. Bentley

vehit ista Danaos classis, et Troas vehit.  
nec plura possunt: occupat vocem mare.

Ecce alia clades. fulmine irati Iovis  
armata Pallas quicquid haut hasta minax,  
haut aegide, haut furore Gorgoneo potest, 530

at igne patrio temptat, et caelo novae  
spirant procellae. solus invictus malis  
luctatur Ajax. vela cogentem hunc sua  
tento rudente flamma praestrinxit cadens.  
libratur aliud fulmen: hoc toto impetu 535

certum reducta Pallas excussit manu,  
imitata patrem. transit Aiace[m] et ratem  
ratisque partem secum et Aiace[m] tulit.  
nil ille motus, ardua ut cautes, salo  
ambustus extat, dirimit insanum mare 540

fluctusque rumpit pectore et navem manu  
complexus ignes traxit et caeco mari  
conlucet Ajax, omne resplendet fretum.  
tandem occupata rupe furibundum intonat:  
'superasse cuncta, pelagus atque ignes iuvat, 545  
vicisse caelum Palladem fulmen mare.

non me fugavit bellici terror dei  
[et Hectorem una solus et Martem tuli]  
Phoebea nec me tela pepulerunt gradu:  
cum Phrygibus istos vicinus — tene horream? 550  
aliena inert[i] tela mittis dextera.

quid si ipse mittat?' plura cum auderet furens,

526 troias vehit E post classis recte distinxit Baden Troas simul A || 529 aut ω corr. M. Müller p. 39 | asta E || 530 aut aeg. aut furore ω corr. M. Müller ibid. || 531 aut igne ω corr. Richter (en i. M. Müller) || 534 tenso A | perstrinxit ω corr. Richter symb. p. 14 sq. || 538 et Aiace[m] A et magis E corr. ψ || 542 c. in se traxit ω corr. Madvig adv. II 125 || 545 superasse nunc pel. E s. nunc se pel. A sup. iuvat ci. Leo distinctione ante iuvat facta, s. novi de Wilamowitz, corr. Richter || 548 del. Leo cf. I 209 || 550 tandem horream A || 551 tela mitti dextera A corr. Lipsius tela pepulerunt gradu E (ex v. 549)

tridente rupem subruit pulsam pater  
 Neptunus imis exerens undis caput  
 solvitque montem; quem cadens secum tulit 555  
 terraque et igne victus et pelago iacet.

Nos alia maior naufragos pestis vocat.  
 est humilis unda, scrupis mendax vadis,  
 ubi saxa rapidis clausa verticibus tegit  
 fallax Caphereus; aestuat scopulis fretum 560  
 fervetque semper fluctus alterna vice.

arx imminet praerupta quae spectat mare  
 utrimque geminum: Pelopis hinc oras tui  
 et Isthmon, arto qui recurvatus solo  
 Ionia iungi maria Phrixeis vetat, 565

hinc scelere Lemnon nobilem et Calchedona  
 tardamque ratibus Aulida: hanc arcem occupat  
 Palamedis ille genitor et clarum manu  
 lumen nefanda vertice e summo efferens  
 in saxa ducit perfida classem face. 570

haerent acutis rupibus fixae rates;  
 has inopis undae brevia comminuunt vada,  
 pars vehitur huius prima, pars scopulo sedet;  
 hanc alia retro spatia relegantem ferit  
 et fracta frangit. iam timent terram rates 575  
 et maria malunt. cecidit in lucem furor:

postquam litatum est Ilio, Phoebus redit  
 et damna noctis tristis ostendit dies.

CLYT. Vtrumne doleam laeter an reducem virum?  
 remeasse laetor vulnus et regni grave 580  
 lugere cogor. redde iam Graiis, pater

altisona quatiens regna, placatos deos.  
 nunc omne laeta fronde veletur caput,

560 chapereus E caphareus A || 562 arsx E || 566 n. hinc  
 calcedona A || 567 Aulin Bentley | artem E || 568 illi E || 569 e  
 om. E ex A(τ) || 576 voluntque maria A || 577 est illo E corr.  
 Gronov p. l. e. Phoebus in lucem redit A || 579 u. doleam an  
 letaere r. v. E || 580 laeter A(τ) | at A || 583 fronte E



sacrifica dulces tibia effundat modos  
 et nivea magnas victima ante aras cadat. 585

Sed ecce, turba tristis incomptae comas  
 Iiades adsunt, quas super celso gradu  
 effrena Phoebas entheas laurus quatit.

### CHOEVS ILIADVM CASSANDRA

Heu quam dulce malum mortalibus additum  
 vitae dirus amor, cum pateat malis 590  
 effugium et miseros libera mors vocet  
 portus aeterna placidus quiete.  
 nullus hunc terror nec impotentis  
 procella Fortunae movet aut iniqui  
 flamma Tonantis. 595

Perrumpet omne servitium 605  
 contemptor levium deorum,  
 qui vultus Acherontis atri,  
 qui Styga tristem non tristis videt  
 audetque vitae ponere finem. 609

Alta pax \* \* nullos 596  
 civium coetus timet aut minaces  
 victoris iras, non maria asperis  
 insana coris, non acies feras  
 pulvereamve nubem 600  
 motam barbaricis equitum catervis;  
 non urbe cum tota populos cadentes,

589 Chorus Cassandra A. *De re metrica huius cantici cf. ad Oed. v. 403, cap. III. Quae Leo I 117 disputat, ipse reprobatur tacitus textu in editione praebito.* || 589 mentibus add. Swoboda || 593 impotens A || 594 p. f. m. | a. i. f. t. A || 595 post hunc v. Richter collocavit v. 605—609 || 596 pax alta nullos ω *versum addito hoc fere supplemento* alta pax <illum tenet, ille> nullos restituendum censet Richter || 596—600 pax — coet. | timet — iras | non — coris | non — nubem EA || 597 coetos E | minas E || 599 choris EA(τ) || 600 pulvereamque A || 601 mota E || 605 p. o. s. c. | l. d. E (ind. bell.) p. o. | solus c. l. d. A || 607 qui — tristem | non — uitae | p. f. par — erit E

hostica muros populante flamma,  
 indomitumve bellum: 604  
 par ille regi, par superis erit. 610  
 o quam miserum est nescire mori!

Vidimus patriam ruentem nocte funesta,  
 cum Dardana tecta Dorici raperetis ignes.  
 non illa bello victa, non armis,  
 ut quondam, Herculea cecidit pharetra. 615

quam non Pelei Thetidisque natus  
 carusque Pelidae nimium feroci  
 vicit, acceptis cum fulsit armis  
 fuditque Troas falsus Achilles,  
 aut cum ipso Pelides animos feroces 620

sustulit luctu celeremque saltu  
 Troades summis timuere muris,  
 perdidit in malis  
 extremum decus fortiter vinci:  
 restitit quinis bis annis 625  
 unius noctis peritura furto.

Vidimus simulata dona  
 molis immensae Danaumque  
 fatale munus duximus nostra  
 creduli dextra tremuitque saepe  
 limine in primo sonipes, cavernis 630  
 conditos reges bellumque gestans;  
 et licuit dolos versare ut ipsi

fraude sua caderent Pelasgi.  
 saepe commotae sonuere parmae  
 tacitumque murmur percussit aures, 635

611 o — est | n. m. E || 614 nec armis A || 617—619 car. —  
 uicit | acc. — troas | f. a. E || 620 pelidos E || 621—623 s. l. |  
 cel. — summis | tim. — malis E || 623—625 perd. — decus | fort.  
 vinci. restitit annis | Troia bis quinis A || 625. 626 rest. — noctis |  
 p. f. E || 626 fato A || 627 Vid. — immensae EA || 627—629 Dan.  
 — duximus | nostra — saepe E || 628. 629 Dan. — nostra | cred. —  
 saepe A || 632—637 et — sua | cad. — commotae | son. — mur-  
 mur | perc. — subdolo | p. p. u. E || 632 versare dolos A || 633 f.  
 s. capti c. P. A

ut fremuit male subdolo  
parens Pyrrhus Vlixi.

Secura metus Troica pubes  
sacros gaudet tangere funes.  
hinc aequaevi gregis Astyanax, 640  
hinc Haemonio desponsa rogo  
ducunt turmas,  
haec femineas, ille viriles.  
festae matres votiva ferunt  
munera divis;  
festi patres adeunt aras, 645  
unus tota est vultus in urbe;  
et, quod numquam post Hectoreos  
vidimus ignes, laeta est Hecuba.  
quid nunc primum, dolor infelix,  
quidve extremum deflere paras? 650  
moenia, divum fabricata manu,  
diruta nostra?  
an templa deos super usta suos?  
non vacat istis lacrimare malis:  
te, magne parens, fient Iliades. 655  
vidi, vidi  
senis in iugulo telum Pyrrhi  
vix exiguo sanguine tingui.

CASS. Cohibete lacrimas omne quas tempus petet,  
Troades, et ipsae vestra lamentabili 660  
lugete gemitu funera: aerumnae meae  
socium recusant. cladibus questus meis  
removete. nostris ipsa sufficiam malis.

636. 637 uno versu A || 636 et EA corr. Bothe || 642—644 tri-  
metri EA || 647. 648 trimeter et monom. EA || 648 hecubae E  
hecube A Hecabe Bothe || 650 deferre E || 651. 652 trimeter EA ||  
655 flectenti liades E || 656—658 dimetri cum monom. E, di-  
meter cum trimetro A || 659 petit A

CHOR. Lacrimas lacrimis miscere iuvat:  
 magis exurunt quos secretae 665  
 lacerant curae, iuvat in medium  
 deflere suos; nec tu, quamvis  
 dura virago patiensque mali,  
 poteris tantas flere ruinas.  
 non quae verno mobile carmen 670  
 ramo cantat tristis aedon  
 Ityn in varios modulata sonos,  
 non quae tectis Bistonis ales  
 residens summis impia diri  
 furta mariti garrula narrat, 675  
 lugere tuam poterit digne  
 conquesta domum. licet ipse velit  
 clarus niveos inter olores  
 Histrum cycnus Tanainque colens 680  
 extrema loqui, licet alcyones  
 Ceyca suum fluctu leviter  
 plangente sonent, cum tranquillo  
 male confisae credunt iterum  
 pelago audaces fetusque suos 685  
 nido pavidae titubante foveat;  
 non si molles comitata viros  
 tristis laceret bracchia tecum  
 quae turritae turba parenti  
 pectora, rauco concita buxo,  
 ferit ut Phrygium lugeat Attin, 690  
 non est lacrimis, Cassandra, modus,  
 quia quae patimur vicere modum.

664—692 *meri dimetri* E || 665—668 *trimeter, dim., trim.* 676—678 *trim.* 681—685 *trim., duo dim., trim.* A ||  
 667 *nec enim quam.* A || 670 *nobile* A || 671 *edom* E *edonis* A *corr.* α || 673 *bis tonos* E || 674 *res. silvis* A(τ) ||  
 675 *garrula deflet* A || 677 *ipsa* E || 679 *Tanainque ω corr.*  
*Bothe* || 680 *altiones* E || 686 *imitata ω corr.* Leo || 687 *bracchia* E || 689 *concitata* E *pectore r. c. buxum* A || 690 *furit* E |  
*atim* A(τ)

- Sed cur sacratas deripis capiti infulas?  
 miseris colendos maxime superos putem.
- CASS. Vicere nostra iam metus omnis mala. 695  
 equidem nec ulla caelites placo prece  
 nec, si velint saevire, quo noceant habent.  
 Fortuna vires ipsa consumpsit suas.  
 quae patriam restat, quis pater, quae iam soror?  
 bibere tumuli sanguinem atque arae meum. 700  
 quid illa felix turba fraterni gregis?  
 exhausta nempe: regia miseri senes  
 vacua relictis, totque per thalamos vident  
 praeter Lacaenam ceteras viduas nurus.  
 tot illa regum mater et regimen Phrygum, 705  
 fecunda in ignes Hecuba fatorum novas  
 experta leges induit vultus feros:  
 circa ruinas rabida latravit suas,  
 Troiae superstes, Hectori, Priamo, sibi.
- CHOR. Silet repente Phoebas et pallor genas 710  
 creberque totum possidet corpus tremor;  
 stetero vittae, mollis horrescit coma,  
 anhela corda murmure incluso fremunt,  
 incerta nutant lumina et versi retro  
 torquentur oculi, rursus immoti rigent. 715  
 nunc levat in auras altior solito caput  
 graditurque celsa, nunc reluctantis parat  
 reserare fauces, verba nunc clauso male  
 custodit ore maenas impatiens dei.
- CASS. Quid me furoris incitam stimulis novi 720  
 quid mentis inopem, sacra Parnasi iuga,  
 rapitis? recede, Phoebe, iam non sum tua,  
 extingue flammam pectori infixas meo.  
 cui nunc vagor vaesana? cui bacchor furens?  
 iam Troia cecidit — falsa quid vates ago? 725

693 diripis A || 694 Cassandrae datur E | superos reor A ||  
 695 omnes A || 702 exhaustu E | regiam m. senis A || 703 uacuum A || 704 lachenam E || 710 phoeba E || 715 immites ω corr.  
 Leo (Bentley) || 717 reluctantes A || 725 agor N. Heinsius p. 117

Vbi sum? fugit lux alma et obscurat genas  
 nox alta et aether abditus tenebris latet.  
 sed ecce gemino sole praeferget dies  
 geminumque duplices Argos attollit domus.  
 Idaea cerno nemora: fatalis sedet 730  
 inter potentes arbiter pastor deas.  
 timete reges, moneo, furtivum genus:  
 agrestis iste alumnus evertet domum.  
 quid ista vaecors tela feminea manu  
 dstricta praefert? quem petit dextra virum 735  
 Lacaena cultu, ferrum Amazonium gerens?  
 quae versat oculos alia nunc facies meos?  
 victor ferarum colla sublimis iacet  
 ignobili sub dente Marmaricus leo,  
 morsus cruentos passus audacis leae. 740  
 quid me vocatis sospitem solam e meis,  
 umbrae meorum? te sequor testis, pater,  
 Troiae sepultae; frater, auxilium Phrygum  
 terrorque Danaum, non ego antiquum decus  
 video aut calentes ratibus exustis manus, 745  
 sed lacera membra et saucios vinclo gravi  
 illos lacertos; te sequor, nimium cito  
 congressisse Achilli Troile; incertos geris,  
 Deiphobe, vultus, coniugis munus novae.  
 iuvat per ipsos ingredi Stygios lacus, 750  
 iuvat videre Tartari saevum canem

727 abditis A(τ) || 729 adfertur ab Aldhelmo cf. praef. cap. II | domos A (domus Aldh.) || 730 Idae E || 731 patentes N. Heinsius p 117 || 733 ille A(τ) || post 733 intercidisse versus aliquot de Troiae fati et Atridarum sceleribus coni. de Wilamowitz. vv. 730—733 spurios esse suspicatur Leo || 735 dstricta A || 736 vultu E || 737 alta EA || 738 rector fer. Bentley | vexatus iacet A || 742 sq. umbrae meorum testis vel tota pater Troia sepulte E u. m. te sequor tota pater Troia sepulte A corr. Leo I 5 || 745 v. a. c. ruptas bustis m. E ambustis M. Müller p. 40 || 746 membra connectens vinculo graui E || 747 fortes lacertos A | illos lacerto. te sequitur tuum cito E || 748 troia E || 749 Deiphoebe EA corr. ψ

avidique regna Ditis! haec hodie ratis  
 Phlegethontis atri regias animas vehet,  
 victamque victricemque. vos, umbrae, precor,  
 iurata superis unda, te pariter precor: 755  
 reserate paulum terga nigrantis poli,  
 levis ut Mycenae turba prospiciat Phrygum.  
 spectate, miseri: fata se vertunt retro.

Instant sorores squalidae  
 sanguinea iactant verbera, 760  
 fert laeva semustas faces  
 turgentque pallentes genae  
 et vestis atri funeris  
 exesa cingit ilia,  
 strepuntque nocturni metus 765  
 et ossa vasti corporis  
 corrupta longinquo situ  
 palude limosa iacent.  
 et ecce, defessus senex  
 ad ora ludentes aquas 770  
 non captat oblitus sitim,  
 maestus futuro funere:  
 exultat et ponit gradus  
 pater decoros Dardanus.

CHOR. Iam pervagatus ipse se fregit furor, 775  
 caditque flexo qualis ante aras genu  
 cervice taurus vulnus incertum gerens.  
 relevemus artus. en deos tandem suos

752 rates E || 753 uehit E || 754 uitamque E || 755 om. ψ ||  
 759—774 tetrametri A || 760 anguinea N. Heinsius coll. Hl. 88 ||  
 iactabant A(τ) || 761 semustas AE<sup>2</sup> || 762 ardentque A || 764 ex-  
 cisa E | post hunc versum quaedam excidisse opinatur Peiper ||  
 766—768 quid significant obscurum esse dicit Leo, post v. 772  
 collocari posse et ad Tantalum fortasse referri censet Richter ||  
 771 sitis A || 772 furore funere E || 773 chori notam om. E ||  
 776 aras gradu A || 777 incisa gerens A || 778 artus eritheos  
 vel ethneos A(τ)

victrice lauru cinctus Agamemnon adit,  
 et festa coniunx obvios illi tulit  
 gressus reditque iuncta concordī gradu.

780

## AGAMEMNO CASSANDRA

Tandem revertor sospes ad patrios lares;

o cara salve terra. tibi tot barbarae  
 dedere gentes spolia, tibi felix diu  
 potentis Asiae Troia summisit manus.

785

quid ista vates corpus effusa ac tremens  
 dubia labat cervice? famuli, attollite,  
 refovete gelido latice. iam recipit diem  
 marcente visu. suscita sensus tuos:

optatus ille portus aerumnis adest.

790

festus dies est. CASS. Festus et Troiae fuit.

AGAM. Veneremur aras. CASS. Cecidit ante aras pater.

AGAM. Iovem precemur pariter. CASS. Herculeum Iovem?

AGAM. Credis videre te Ilium? CASS. Et Priamum simul.

AGAM. Hic Troia non est. CASS. Helena ubi est Troiam  
 puto. 795

AGAM. Ne metue dominam famula. CASS. Libertas adest.

AGAM. Secura vive. CASS. Mihi mori est securitas.

AGAM. Nullum est periculum tibimet. CASS. At magnum  
 tibi.

AGAM. Victor timere quid potest? CASS. Quod non timet.

AGAM. Hanc fida famuli turba, dum excutiat deum, 800  
 retinete ne quid impotens peccet furor.

at te, pater, qui saeva torques fulmina  
 pellisque nubes, sidera et terras regis,  
 ad quem triumphī spolia victores ferunt,  
 et te sororem cuncta pollentis viri,

805

779 lauro A | agamenon EA || 780 coniunxque pariter A ||  
 781 ridetque E || 783 p. A. domina Bentley || 786 cur ista A ||  
 787 affertur ab Aldhelmo cf. praef. c. II || 793 herculeum A M. Müller  
 p. 41 sic distinguendum censet versum: AG. Iov. precemur. CASS.  
 Pariter H. I.? || 795 ubi Helena ω corr. B. Schmidt || 797 mors  
 mihi A(τ) || 798 periculum E | tibi est A



Argolica Iuno, pecore votivo libens  
Arabumque donis supplice et fibra colam.

### CHORVS CASSANDRA

Argos nobilebus nobile civibus,  
Argos iratae carum novercae,  
semper ingentes alumnos 810  
educas, numerum deorum  
imparem aequasti: tuus ille  
bis seno meruit labore  
adlegi caelo  
magnus Alcides, cui lege mundi  
Iuppiter rupta geminavit horas 815  
roscidae noctis iussitque Phoebum  
tardius celeres agitare currus  
et tuas lente remeare bigas,  
pallida Phoebe;  
rettulit pedem  
nomen alternis stella quae mutat 820  
seque mirata est Hesperum dici;  
Aurora movit ad solitas vices  
caput et relabens imposuit seni  
collum marito.  
sensit ortus, sensit occasus  
Herculem nasci: violentus ille 825  
nocte non una poterat creari.  
tibi concitatus substitit mundus,  
o puer subiture caelum.

807 supplici *Neue II 31*; post hunc versum totam scaenam interiisse suspicatur *Peiper* || In titulo *CASS. om. A* | de hoc cantico cf. *Leo I 119. 130, vide ad Oed. v. 403* || 810—818 semp. ing. ed. al. | imp. aeq. num. deor. | tuus—labore | allegi—Alcides | cui —rupta | rosc. noct. gem. hor. | iuss.—celeris | agit.—lente | rem.—Phoebe *A* || 815 iuppiter *E* || 818 candida Phoebe *A* || 819—823 retulit—alternis | stella—est | Hesp.—mouet | ad s. v. | caput—seni | c. m. *E* retulitque p. alt. nom. | stella—est | Hesp.—movit | ad—relabens | impos. senis humero mariti *A* || 825 *H. n.* | v. i. *E*

te sensit Nemeaeus arto  
 pressus lacerto fulmineus leo 830  
 cervaque Parrhasis,  
 sensit Arcadii populator agri,  
 gemuitque taurus Dictaea linquens  
 horridus arva.  
 morte fecundum domuit draconem 835  
 vetuitque collo pereunte nasci,  
 geminosque fratres  
 pectore ex uno tria monstra natos  
 stipite incusso fregit insultans,  
 duxitque ad ortus Hesperium pecus, 840  
 Geryonae spolium triformis.  
 egit Threicium gregem,  
 quem non Strymonii gramine fluminis  
 Hebrive ripis pavit tyrannus:  
 hospitem dirus stabulis cruorem 845  
 praebuit saevis tinxitque crudos  
 ultimus rictus sanguis aurigae.  
 vidit Hippolyte ferox  
 pectore e medio rapi  
 spolium, et sagittis  
 nube percussa Stymphalis alto 850  
 decidit caelo;  
 arborque pomis fertilis aureis  
 extimuit manus insueta carpi  
 fugitque in auras levioere ramo.  
 audivit sonitum crepitante lamna 855  
 frigidus custos nescius somni,  
 linqueret cum iam nemus omne fulvo  
 plenus Alcides vacuum metallo.

829 nemeus E || 831 parrahsis E || 837—841 gem. — uno | tria  
 — incusso | fregit — ortus EA | H. p. g. | s. t. E H. p. | g. s. t. A ||  
 838 p. ab imo vel uno A || 840 hesperiumque A || 841 geryo-  
 nei A || 842 threicium E || 842—844 egit — non | strim. — he-  
 brive | ripis — tyr. E || 846 saevistrinxitque E || 847 ultimos E ||  
 849 sagittas A || 851 cecidit E || 855 crepetante E | flamma A ||  
 857 fulvo om. E<sup>1</sup> omne del. M. Müller Ph. p. 269

tractus ad caelum canis inferorum  
 triplici catena tacuit nec ullo 860  
 latravit ore,  
 lucis ignotae metuens colorem.  
 te duce succidit  
 mendax Dardanidae domus  
 et sensit arcus iterum timendos;  
 te duce concidit 865  
 totidem diebus Troia quot annis.

CASS. Res agitur intus magna, par annis decem.  
 eheu quid hoc est? anime, consurge et cape  
 pretium furoris: vicimus victi Phryges.  
 bene est, resurgit Troia; traxisti iacens, 870  
 parens, Mycenae, terga dat victor tuus!  
 tam clarae numquam providae mentis furor  
 ostendit oculis: video et intersum et fruor;  
 imago visus dubia non fallit meos:  
 spectemus. epulae regia instructae domo, 875  
 quales fuerunt ultimae Phrygibus dapes,  
 celebrantur: ostro lectus Iliaco nitet  
 merumque in auro veteris Assaraci trahunt.  
 en ipse picta veste sublimis iacet,  
 Priami superbas corpore exuvias gerens. 880  
 detrahare cultus uxor hostiles iubet,  
 induere potius coniugis fidae manu  
 textos amictus — horreo atque animo tremo:  
 regemne perimet exul et adulter virum?  
 venere fata. sanguinem extremae dapes 885  
 domini videbunt et cruor Baccho incidet.

861—866 latr. — ignotae | m. c. | te — mendax | Dard. — ar-  
 cus | iterum — concidit | totidem — annis E latr. — ign. | me-  
 tuens — succidit | m. D. d. | et — timendos | te — diebus | T. q.  
 a. A || 863 succidit E | Dardaniae ω corr. Leo || 364 timendo E ||  
 867 per annos E || 868 heu A(ε) | anima E || 870 resurgit A ||  
 871 pares A || 872 m. pudor A(ε) || 873 intersum fruor E || 875 spec-  
 tamus A || 878 assarici A(ε) || 879 et ipse ω corr. N. Heinsius  
 p. 119 || 886 bacho E

mortifera vinctum perfide tradit neci  
 induta vestis: exitum manibus negant  
 caputque laxi et invii claudunt sinus. 890  
 haurit trementi semivir dextra latus,  
 nec penitus egit: vulnere in medio stupet.  
 at ille, ut altis hispidus silvis aper  
 cum casse vinctus temptat egressus tamen  
 artatque motu vincla et in cassum furit,  
 cupit fluentes undique et caecos sinus 895  
 dissicere et hostem quaerit implicitus suum.  
 armat bipenni Tyndaris dextram furens,  
 qualisque ad aras colla taurorum popa  
 designat oculis antequam ferro petat,  
 sic huc et illuc impiam librat manum. 900  
 habet, peractum est. pendet exigua male  
 caput amputatum parte et hinc trunco cruor  
 exundat, illic ora cum fremitu iacent.  
 nondum recedunt: ille iam exanimem petit  
 laceratque corpus, illa fodientem adiuvat. 905  
 uterque tanto scelere respondet suis:  
 est hic Thyeste gnatus, haec Helenae soror.  
 stat ecce Titan dubius emerito die,  
 suane currat an Thyestea via.

## ELECTRA

Fuge, o paternae mortis auxilium unicum, 910  
 fuge et scelestas hostium vita manus.  
 eversa domus est funditus, regna occidunt.  
 hospes quis iste concitos currus agit?

887 perfide (de *ex* det) E<sup>1</sup> perfidiae α | tradet A || 888 negat ω corr. Gronov || 889 inuli E || 891 agit A adigit α || 898 prius ω corr. Bentley ad Luc. I 612 || 903 illinc EA corr. ψ || 904 exanimę E exanime impetit N. Heinsius p. 119 || 907 hic est A | soror E<sup>1</sup> furor E<sup>2</sup> || 908 emenso die Bentley || 909 sua nec currat E || scaenae titulus: ELECTRA FUGIENS. ORESTES TACTIVS E || 911 fugito scel. h. evita m. A || 913 concitus E corr. Gronov (quocitas Nolte ZÖG. 31 p. 89) quis iste celeres concitus c. a. A

germane, vultus veste furabor tuos.  
 quid, anime demens, refugis? externos times? 915  
 domus timenda est. pone iam trepidos metus,  
 Oresta: amici fida praesidia intuor.

## STROPHIVS ELECTRA

Phocide relictâ Strophius Elea inclutus  
 palma revertor. causa veniendi fuit  
 gratari amico, cuius impulsum manu 920  
 cecidit decenni Marte concussum Ilium.  
 quaenam ista lacrimis lugubrem vultum rigat  
 pavetque maesta? regium agnosco genus.  
 Electra, fletus causa quae laeta in domo est?  
 EL. Pater peremptus scelere materno iacet, 925  
 comes paternae quaeritur natus neci,  
 Aegisthus arces Venere quaesitas tenet.  
 STR. O nulla longi temporis felicitas!  
 EL. Per te parentis memoriam obtestor mei,  
 per sceptrâ terris nota, per dubios deos: 930  
 recipe hunc Oresten ac pium furtum occulte.  
 STR. Etsi timendum caesus Agamemnon docet,  
 aggrediar et te, Oresta, furabor libens.  
 [fidem secunda poscunt, adversa exigunt]  
 cape hoc decorum ludicri certaminis, 935  
 insigne frontis; laeva victricem tenens  
 frondem virenti protegat ramo caput,  
 et ista donum palma Pisaei Iovis  
 velamen eadem praestet atque omen tibi.  
 tuque o paternis assidens frenis comes, 940  
 condisce, Pylade, patris exemplo fidem.  
 vos Graecia nunc teste veloces equi  
 infida cursu fugite praecipiti loca.

915 quos A | ext. fugis A || ante 918 titulus STROPHIVS.  
 ELECTRA. ORESTES E || 918 STR. EA || 924 E. luctus A || 932 e. t.  
 quid sit Agamemnon d. E cf. *Leo I 5* || 934 del. *Peiper* | secun-  
 dam E || 938 ista demum A

EL. Excessit, abiit, currus effreno impetu  
effugit aciem. tuta iam opperiar meos 945  
hostes et ultro vulneri opponam caput.

Adest cruenta coniugis victrix sui  
et signa caedis veste maculata gerit.  
manus recenti sanguine etiamnunc madent  
vultusque prae se scelera truculenti ferunt. 950  
concedam ad aras. patere me vittis tuis,  
Cassandra, iungi paria metuentem tibi.

CLYTEMESTRA ELECTRA AEGISTHVS  
CASSANDRA

Hostis parentis, impium atque audax caput,  
quo more coetus publicos virgo petis?  
EL. Adulterorum virgo deserui domum. 955  
CLYT. Quis esse credat virginem? EL. Natam tuam?  
CLYT. Modestius cum matre. EL. Pietatem doces?  
CLYT. Animos viriles corde tumefacto geris;  
sed agere domita feminam disces malo.  
EL. Nisi forte fallor, feminas ferrum decet. 960  
CLYT. Et esse demens te parem nobis putas?  
EL. Vobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?  
ut vidua loquere: vir caret vita tuus.  
CLYT. Indomita posthac virginis verba impiae  
regina frangam; citius interea mihi 965  
edissere ubi sit natus, ubi frater tuus.  
EL. Extra Mycenae. CLYT. Redde nunc natum mihi.  
EL. Et tu parentem redde. CLYT. Quo latitat loco?  
EL. Tuto quietus, regna non metuens nova:  
iustae parenti satis. CLYT. At iratae parum. 970

944 habiit A || 945 operiar EA<sup>r</sup> || 953 clv. praef. E ||  
956 gnatum A<sup>(z)</sup> || 957 el. cia tandem doces A || 959 semitam E ||  
960 ni A || 961 parem nobis demens te A<sup>(z)</sup> || 962 nobis A | aga-  
mennon E || 963 post v. 965 legitur A | tu vid. ψ || 964 post  
haec A || 967 exiit M. A || 970 clv. dixi p. s. a. i. p. E (cf. Leo  
I 5) totus versus Electrae continuatur A corr. Bothe

morieris hodie. EL. Dummodo hac moriar manu.  
 recedo ab aris. sive te iugulo iuvat  
 mersisse ferrum, praebeo iugulum tibi;  
 seu more pecudum colla resecari placet,  
 intenta cervix vulnus expectat tuum. 975  
 scelus paratum est: caede respersam viri  
 atque obsoletam sanguine hoc dextram abluere.  
 CLYT. Consors pericli pariter ac regni mei,  
 Aegisthe, gradere. gnata genetricem impie  
 probris lacessit, occulit fratrem abditum. 980

AEG. Furibunda virgo, vocis infandae sonum  
 et aure verba indigna materna opprime.  
 EL. Etiam monebit sceleris infandi artifex,  
 per scelera gnatus, nomen ambiguum suis,  
 idem sororis gnatus et patris nepos? 985  
 CLYT. Aegisthe, cessas impium ferro caput  
 demetere? fratrem reddat aut animam statim.  
 AEG. Abstrusa caeco carcere et saxo exigat  
 aevum, et per omnes torta poenarum modos  
 referre quem nunc occulit forsam volet. 990  
 inops egens inclusa, paedore obruta,  
 vidua ante thalamos, exul, invisus omnibus  
 aethere negato sero subcumbet malis.  
 EL. Concede mortem. AEG. Si recusares, darem.  
 rudis est tyrannus morte qui poenam exigit. 995  
 EL. Mortem aliquid ultra est? AEG. Vita, si cupias mori.  
 abripite, famuli, monstrum et avectam procul  
 ultra Mycenae ultimo in regni angulo  
 vincite saeptam nocte tenebrosi specus,  
 ut inquietam virginem carcer domet. 1000  
 CLYT. At ista poenas capite persolvat suo

973 iugulum volens A || 976 peractum A || 979 A. gaudes A |  
 gnata genetricem E || 980 abd. fr. ocul. A || 988 AEG. om. A ||  
 989 et om. A || 990 forsam E || 991 p. obsita A || 994<sup>b</sup> CLY. A ||  
 996 morte E | CLY. A || 998 mecenae E || 1000 ille inq. Bentley ||  
 1001 CLY. om. A | ipsa E

captiva coniunx, regii paelex tori.

trahite, ut sequatur coniugem ereptum mihi.

CASS. Ne trahite, vestros ipsa praecedam gradus.

perferre prima nuntium Phrygibus meis

1005

propero: repletum ratibus eversis mare,

captas Mycenae, mille ductorem ducum,

ut paria fata Troicis lueret malis,

perisse dono feminae: stupro, dolo.

nihil moramur, rapite, quin grates ago.

1010

iam, iam iuvat vixisse post Troiam, iuvat.

CLYT. Furiosa, morere. CASS. Veniet et vobis furor.

1002 coniunx E || 1003 coniugem E || 1008 tulerit malis A ||  
1011 tantum iuvat Gronov || 1012 furibunda m. A

MARCI · LVCHII · ANNEI · SENECAE · | AGAMENNON · EXPLICIT · INCIPIT |  
THYESTES · FELICITER E sequitur Octavia A

---



THEYESTES

# PERSONAE

I THYESTES

II ATREVS

TANTALI VMBRA

III FVRIA

SATELLES

TANTALVS

NVNTIVS

CHORVS

SCAENA MYCENIS

## TANTALI VMBRA FVRIA

Quis inferorum sede ab infausta extrahit  
 avido fugaces ore captantem cibos,  
 quis male deorum Tantalò visas domos  
 ostendit iterum? peius inventum est siti 5  
 arente in undis aliquid et peius fame  
 hiante semper? Sisyphi numquid lapis  
 gestandus umeris lubricus nostris venit  
 aut membra celeri differens cursu rota,  
 aut poena Tityi qui specu vasto patens  
 visceribus atras pascit effossis aves 10  
 et nocte reparans quicquid amisit die  
 plenum recenti pabulum monstro iacet?  
 in quod malum transcribor? o quisquis nova  
 supplicia functis durus umbrarum arbiter  
 disponis, addi si quid ad poenas potest 15  
 quod ipse custos carceris diri horreat,  
 quod maestus Acheron paveat, ad cuius metum  
 nos quoque tremamus, quaere: iam nostra subit  
 e stirpe turba quae suum vincat genus  
 ac me innocentem faciat et inausa audeat. 20

*inscr. om.* A Tantalus. megera ψ || 1 TANT. E | quis me  
 furor nunc s. ad inf. abstrahit A || 3 viuas A invisas N. Heinsius  
 p. 35 | domo E || 6 sisyphi E || 8 a. p. T. semper accrescens  
 iecur A (cf. Phaedr. 1234) || 10 vulneribus ω corr. α || 13 trans-  
 scribor E || 15 adde ω corr. Gronov | potes A || 18 duobus ver-  
 sibus scriptus (nos q. tr. | quaere — subit) E | quare iam A<sup>r</sup> ||  
 20 sq. his particulis descriptos habet E: ac — faciat | et — re-  
 gione | quicq. — complebo | numq. — domo

regione quicquid impia cessat loci  
 complebo — numquam stante Pelopea domo  
 Minos vacabit.

FVR. Perge, detestabilis  
 umbra, et penates impios furiis age. 25  
 certetur omni scelere et alterna vice  
 stringatur ensis; ne sit irarum modus  
 pudorve, mentes caecus instiget furor,  
 rabies parentum duret et longum nefas  
 eat in nepotes; nec vacet cuiquam vetus 30  
 odisse crimen: semper oriatur novum,  
 nec unum in uno, dumque punitur scelus,  
 crescat. superbis fratribus regna excidant  
 repetantque profugos; dubia violentae domus  
 fortuna reges inter incertos labet:  
 miser ex potente fiat, ex misero potens 35  
 fluctuque regnum casus assiduo ferat.  
 ob scelera pulsi, cum dabit patriam deus  
 in scelera redeant, sintque tam invisi omnibus,  
 quam sibi; nihil sit ira quod vetitum putet:  
 fratrem expavescat frater et gnatum parens 40  
 gnatusque patrem, liberi pereant male,  
 peius tamen nascantur; immineat viro  
 infesta coniunx, bella trans pontum vehant,  
 effusus omnis irriget terras cruor,  
 supraque magnos gentium exultet duces 45  
 Libido victrix: impia stuprum in domo  
 levissimum sit facinus; et fas et fides  
 iusque omne pereat. non sit a vestris malis  
 immune caelum. cur micant stellae polo  
 flammaeque servant debitum mundo decus? 50  
 nox alia fiat, excidat caelo dies.  
 misce penates, odia caedes funera

28 stringantur enses A | nec sit E || 33 repetatque A<sup>r</sup> ||  
 36 luctuque E || 44 omnes A || 47 lev. sit; fratris ω corr.  
 Bentley || 48 a om. E || 49 cum micant A || 50 flammaque  
 Bentley || 51 atra A

accerse et imple Tantalo totam domum.  
 ornetur altum columen et lauro fores  
 laetae virescant, dignus adventu tuo 55  
 splendescat ignis — Thracium fiat nefas  
 maiore numero. dextra cur patrum vacat?  
 nondum Thyestes liberos deflet suos —  
 et quando tollet? ignibus iam subditis  
 spument aena, membra per partes eant 60  
 discerpta, patruos polluat sanguis focos,  
 epulae instruantur — non novi sceleris tibi  
 conviva venies. liberum dedimus diem  
 tuamque ad istas solvimus mensas famem:  
 ieiunia exple, mixtus in Bacchum cruor 65  
 spectante te potetur; inveni dapes  
 quas ipse fugeres — siste, quo praecipis ruis?  
 TANT. Ad stagna et amnes et recedentes aquas  
 labrisque ab ipsis arboris plenae fugas.  
 abire in atrum carceris liceat mei 70  
 cubile, liceat, si parum videor miser,  
 mutare ripas: alveo medius tuo,  
 Phlegethon, relinquer igneo cinctus freto.  
 quicumque poenas lege factorum datas  
 pati iuberis, quisquis exeso iaces 75  
 pavidus sub antro iamque venturi times  
 montis ruinam, quisquis avidorum feros  
 rictus leonum et dira Furiarum agmina  
 implicitus horres, quisquis immixtas faces  
 semiustus abigis, Tantali vocem excipe 80  
 properantis ad vos: credite experto mihi,  
 amate poenas. quando continget mihi

53 arcesse ψ (τ) [accerse B 10 Vad. acresce Ag.] | imple  
 scelere Tantaleam domum A || 56 splendescat E || 60 spumante  
 aeno A || 61 patrios ω corr. Richter symb. p. 38 | sanguis scy-  
 phos Bentley || 67 preces ruis E || 69 ad st. et manes E (amnis  
 ad ci. Richter) || 70 antrum E | liceat mihi Bothe || 72 mutare  
 ipse E | melius N. Heinsius p. 36 || 76 quique v. t. A || 77 feres E ||  
 82 post. v. 34 E (ordinem corr. al. m.)

effugere superos? FVR. Ante perturba domum  
 inferque tecum proelia et ferri malum  
 regibus amorem, concute insano ferum 85  
 pectus tumultu. TANT. Me pati poenas decet,  
 non esse poenam. mittor ut dirus vapor  
 tellure rupta vel gravem populis luem  
 sparsura pestis, ducam in horrendum nefas  
 avus nepotes — magne divorum parens 90  
 nosterque, quamvis pudeat, ingenti licet  
 taxata poena lingua crucietur loquax,  
 nec hoc tacebo: moneo, ne sacras manus  
 violate caede neve furiali malo  
 aspergite aras. stabo et arcebo scelus — 95  
 quid ora terres verbere et tortos ferox  
 minaris angues? quid famem infixam intimis  
 agitas medullis? flagrat incensum siti  
 cor et perustis flamma visceribus micat —  
 [sequor.] 100  
 FVR. Hunc, hunc furorem divide in totam domum!  
 sic, sic ferantur et suum infensi invicem  
 sitiunt cruorem. sentit introitus tuos  
 domus et nefando tota contactu horruit.  
 actum est abunde. gradere ad infernos specus 105  
 annemque notum; iam tuum maestae pedem  
 terrae gravantur: cernis ut fontis liquor  
 introrsus actus linquat, ut ripae vacent  
 ventusque raras igneus nubes ferat?  
 pallescit omnis arbor ac nudus sitit 110  
 fugiente pomo ramus, et qui fluctibus  
 illinc propinquis Isthmos atque illinc fremit  
 vicina gracili dividens terra vada,

92 loquar A || 93 sacra A || 94 violata A || 95 aspergat A ||  
 97 infimis A<sup>r</sup> || 98 accitas A<sup>(r)</sup> || 99 iecur et Bentley || 100 pro-  
 prio versu EA del. Richter (Bentley); quaedam intercidisse suspi-  
 cantur B. Schmidt p. 873 et Leo || 101 nunc (vel hunc) O. f. A  
 sequere hunc f. Peiper || 103 sensit A || 106 tuo m. pede A ||  
 107 fontes A || 110 nudus stetit *av* corr. Koetschau || 111 qua  
 Leo || 112 hismos A

longe remotos tutus exaudit sonos.  
 iam Lerna retro cessit et Phoronides 115  
 latuere venae nec suas profert sacer  
 Alpheos undas et Cithaeronis iuga  
 stant parte nulla cana deposita nive  
 timentque veterem nobiles Argi sitim.  
 en ipse Titan dubitat an iubeat sequi 120  
 cogatque habenis ire periturum diem.

CHORVS

Argos de superis si quis Achaicum  
 Pisaeasque domos curribus inclitas,  
 Isthmi si quis amat regna Corinthii 125  
 et portus geminos et mare dissidens,  
 si quis Taygeti conspicuas nives,  
 quas cum Sarmaticus tempore frigido  
 in summis Boreas composuit iugis,  
 aestas veliferis solvit Etesiis,  
 quem tangit gelido flumine lucidus 130  
 Alpheos, stadio notus Olympico,  
 advertat placidum numen et arceat,  
 alternae scelerum ne redeant vices  
 nec succedat avo deterior nepos  
 et maior placeat culpa minoribus. 135  
 tandem lassa feros exuat impetus  
 sicci progenies impia Tantali.

Peccatum satis est; fas valuit nihil  
 aut commune nefas. proditus occidit  
 deceptor domini Myrtilus, et fide 140  
 vectus qua fuerat nobile reddidit

114 litus E latus A corr. Koetschau (laetus Lipsius l. re-  
 tracto litus extendit salo Bentley) || 115 iam terra E || 116 sa-  
 cras ω corr. Gronov || 117 Alpheus A || 123 Pisaeisque ψ ||  
 turribus A || 124 chorinti E || 131 alpheus A || 132 placitum E ||  
 134 neu α || 137 progeniges E || 139 ad c. n. Bothe (at ψ) ||  
 140 domine A || 141 qua tulerat ω corr. Koetschau

mutato pelagus nomine: notior  
 nulla est Ioniis fabula navibus.  
 exceptus gladio parvulus impio  
 dum currit patrium natus ad osculum, 145  
 immatura focus victima concidit  
 divisusque tua est, Tantale, dextera,  
 mensas ut strueres hospitibus deis.  
 hos aeterna fames persequitur cibos,  
 hos aeterna sitis; nec dapibus feris 150  
 decerni potuit poena decentior.

Stat lassus vacuo gutture Tantalus:  
 impendet capiti plurima noxio  
 Phineis avibus praeda fugacior;  
 hinc illinc gravidis frondibus incubat 155  
 et curvata suis fetibus ac tremens  
 alludit patulis arbor hiatibus.  
 haec, quamvis avidus nec patiens morae,  
 deceptus totiens tangere negligit  
 obliquatque oculos oraque comprimit 160  
 inclusisque famem dentibus alligat.  
 sed tunc divitias omne nemus suas  
 demittit propius pomaque desuper  
 insultant foliis mitia languidis  
 accenduntque famem, quae iubet irritas 165  
 exercere manus — has ubi protulit  
 et falli libuit, totus in arduum  
 autumnus rapitur silvaque mobilis.  
 instat deinde sitis non levior fame;  
 qua cum percaluit sanguis et igneis 170  
 exarsit facibus, stat miser obvios  
 fluctus ore petens, quos profugus latex  
 avertit sterili deficiens vado

147 dextra E || 148 mensas instrueres E || 149 om. ψ ||  
 152 stat lusus A || 153 et pendet A<sup>r</sup> || 154 dapibus ψ (N. Hein-  
 sius p. 37) || 155 grauibus E || 161 inlisis vel inclusam N. Hein-  
 sius pp. 38. 536 || 164 insultat E || 171 misero buos E (obvio  
 Bentley) || 172 ore uocans A<sup>r</sup>



conantemque sequi deserit; hic bibit  
altum de rapido gurgite pulverem.

175

ATREVS SATELLES

Ignave, incers, enervis et (quod maximum  
probrum tyranno rebus in summis reor)  
inulte, post tot scelera, post fratris dolos  
fasque omne ruptum questibus vanis agis  
iratus Atreus? fremere iam totus tuis 180  
debebat armis orbis et geminum mare  
utrimque classes agere, iam flammis agros  
lucere et urbes decuit ac strictum undique  
micare ferrum. tota sub nostro sonet  
Argolica tellus equite; non silvae tegant 185  
hostem nec altis montium structae iugis  
arces; relictis bellicum totus canat  
populus Mycenis, quisquis invisum caput  
tegit ac tuetur, clade funesta occidat.  
haec ipsa pollens incliti Pelopis domus 190  
ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.  
age, anime, fac quod nulla posteritas probet,  
sed nulla taceat. aliquid audendum est nefas  
atrox, cruentum, tale quod frater meus  
suum esse mallet — scelera non ulcisceris, 195  
nisi vincis. et quid esse tam saevum potest  
quod superet illum? numquid abiectus iacet?  
numquid secundis patitur in rebus modum,  
fessis quietem? novi ego ingenium viri  
indocile: flecti non potest — frangi potest. 200  
proinde antequam se firmat aut vires parat,  
petatur ultro, ne quiescentem petat.

*in titulo pro satellite Servus A et sic per totam scaenam* ||  
177 probum E || 180 iras, at (vel et) Argos f. i. totum t. A ||  
181 d. a. omnis A || 182 innare classis. iam tuis fl. a. A ||  
185 argolico A<sup>r</sup> || 195 malit A || 201 firmet a. v. paret A ||  
202 om. ψ(τ)

aut perdet aut peribit: in medio est scelus  
positum occupanti.

SAT. Fama te populi nihil  
adversa terret? ATR. Maximum hoc regni bonum est, 205  
quod facta domini cogitur populus sui  
tam ferre quam laudare. SAT. Quos cogit metus  
laudare, eosdem reddit inimicos metus.

at qui favoris gloriam veri petit,  
animo magis quam voce laudari volet. 210

ATR. Laus vera et humili saepe contingit viro,  
non nisi potenti falsa. quod nolunt velint.

SAT. Rex velit honesta: nemo non eadem volet.

ATR. Vbicumque tantum honesta dominanti licent,  
precario regnatur. SAT. Vbi non est pudor 215

nec cura iuris sanctitas pietas fides,  
instabile regnum est. ATR. Sanctitas pietas fides  
privata bona sunt, qua iuvat reges eant.

SAT. Nefas nocere vel malo fratri puta.

ATR. Fas est in illo quicquid in fratre est nefas. 220

quid enim reliquit crimine intactum aut ubi  
sceleri pepercit? coniugem stupro abstulit  
regnumque furto: specimen antiquum imperi  
fraude est adeptus, fraude turbavit domum.

est Pelopis altis nobile in stabulis pecus, 225  
arcanus aries, ductor opulenti gregis.

huius per omne corpus effuso coma  
dependet auro, cuius e tergo novi

aurata reges sceptrata Tantalici gerunt;  
possessor huius regnat, hunc tantae domus 230

fortuna sequitur. tuta seposita sacer  
in parte carpit prata, quae cludit lapis.  
fatale saxeo pascuum muro tegens.

207 quam f. tam l. A || 209 vere E || 219 puto E || 227 in-  
fuso A | e tergo coma *Peiper* || 228 dependet: epe i. ras. E<sup>2</sup>  
(resplendet *Bentley*) | auro: uiro i. ras. E<sup>2</sup> | cuius e fuco  
novi *Peiper* tergo ex huius *Bothe* cuius e tracto *Leo* (texto  
*de Wilamowitz*) || 230 cunctae domus *Gronov* || 233 f. sacro p.

hunc facinus ingens ausus assumpta in scelus  
 consorte nostri perfidus thalami avehit. 235  
 hinc omne cladis mutuae fluxit malum:  
 per regna trepidus exul erravi mea,  
 pars nulla generis tuta ab insidiis vacat,  
 corrupta coniunx, imperi quassa est fides,  
 domus aegra, dubius sanguis est — certi nihil 240  
 nisi frater hostis. quid stupes? tandem incipe  
 animosque sume: Tantalum et Pelopem aspice;  
 ad haec manus exempla poscuntur meae.  
 profare, dirum qua caput mactem via.  
 SAT. Ferro peremptus spiritum inimicum expuat. 245  
 ATR. De fine poenae loqueris; ego poenam volo.  
 perimat tyrannus lenis: in regno meo  
 mors impetratur. SAT. Nulla te pietas movet?  
 ATR. Excede, Pietas, si modo in nostra domo  
 umquam fuisti. dira Furiarum cohors 250  
 discorsque Erinyes veniat et geminas faces  
 Megaera quatiens: non satis magno meum  
 ardet furore pectus, impleri iuvat  
 maiore monstro. SAT. Quid novi rabidus struis?  
 ATR. Nil quod doloris capiat assueti modus; 255  
 nullum relinquam facinus et nullum est satis.  
 SAT. Ferrum? ATR. Parum est. SAT. Quid ignis?  
 ATR. Etiamnunc parum est.  
 SAT. Quonam ergo telo tantus utetur dolor?  
 ATR. Ipso Thyeste. SAT. Maius hoc ira est malum.  
 ATR. Fateor. tumultus pectora attonitus quatit 260  
 penitusque volvit; rapior et quo nescio,  
 sed rapior. imo mugit e fundo solum,  
 tonat dies serenus ac totis domus  
 ut fracta tectis crepuit et. moti lares

more A f. laxo Bentley || 237 erravit A || 238 p. n. nostri A ||  
 240 et c. n. N. Heinsius p. 39 || 242 animoque sume T. A cf.  
 Leo I 39 || 244 iactem E || 246 ergo E || 255 modum ω corr.  
 Madvig II 114 || 259 est i. hoc A(τ) || 262 effundo E

vertere vultum: fiat hoc, fiat nefas 265  
 quod, di, timetis. SAT. Facere quid tandem paras?  
 ATR. Nescio quid animo maius et solito amplius  
 supraque fines moris humani tumet  
 instatque pigris manibus — haud quid sit scio,  
 sed grando quiddam est. ita sit. hoc, anime, occupa. 270  
 dignum est Thyeste facinus et dignum Atreo:  
 quod uterque faciat, vidit infandas domus  
 Odrysia mensas — fateor, immane est scelus,  
 sed occupatum: maius hoc aliquid dolor  
 inveniat. animum Daulis inspira parens 275  
 sororque; causa est similis: assiste et manum  
 impelle nostram. liberos avidus pater  
 gaudensque laceret et suos artus edat.  
 bene est, abunde est. hic placet poenae modus  
 tantisper. ubinam est? tam diu cur innocens 280  
 versatur Atreus? tota iam ante oculos meos  
 imago caedis errat, ingesta orbitas  
 in ora patris — anime, quid rursus times  
 et ante rem subsidis? audendum est, age:  
 quod est in isto scelere praecipuum nefas, 285  
 hoc ipse faciet. SAT. Sed quibus captus dolis  
 nostros dabit perductus in laqueos pedem?  
 inimica credit cuncta. ATR. Non poterat capi,  
 nisi capere vellet. regna nunc sperat mea:  
 hac spe minanti fulmen occurret Iovi, 290  
 hac spe subibit gurgitis tumidi minas  
 dubiumque Libycae Syrtis intrabit fretum,  
 hac spe, quod esse maximum retur malum,  
 fratrem videbit. SAT. Quis fidem pacis dabit?  
 cui tanta credet? ATR. Credula est spes improba. 295

265 uertere nullum E || 267 animus *ω* corr. Leo || 268 ti-  
 met A || 269<sup>m</sup> animus E<sup>1</sup> || 270 anime incipe A || 272 quod  
*om.* A || 274 aliquid E || 275 animum gnati A || 276 soror est A<sup>ε</sup>  
*sororve Bentley* || 277 parens A || 282<sup>b</sup>. 283<sup>a</sup> (ing. — patris)  
*om.* A || 289 poterit A || 290 *post v.* 293 E (*post v.* 292 *ponen-*  
*dum suspicatur Leo*)

gnatis tamen mandata quae patruo ferant  
dabimus: relictis exul hospitiiis vagus  
regno ut miserias mutet atque Argos regat  
ex parte dominus. si nimis durus preces  
spernet Thyestes, liberos eius rudes 300  
malisque fessos gravibus et faciles capi  
prece commovebunt: hinc vetus regni furor,  
illinc egestas tristis ac durus labor  
quamvis rigentem tot malis subigent virum.  
SAT. Iam tempus illi fecit aerumnas leves. 305  
ATR. Erras: malorum sensus accrescit die.  
leve est miserias ferre, perferre est grave  
SAT. Alios ministros consili tristis lege.  
ATR. Peiora iuvenes facile praecepta audiunt.  
SAT. In patre facient quicquid in patruo doces: 310  
saepe in magistrum scelera redierunt sua.  
ATR. Vt nemo doceat fraudis et sceleris vias,  
regnum docebit. ne mali fiant times?  
nascuntur. istud quod vocas saevum asperum  
agique dure credis et nimium impie, 315  
fortasse et illic agitur. SAT. Hanc fraudem scient  
nati parari? ATR. Tacita tam rudibus fides  
non est in annis; detegent forsitan dolos:  
tacere multis discitur vitae malis.  
SAT. Ipsosque per quos fallere alium cogitas 320  
falles? ATR. Vt ipsi crimine et culpa vacent.  
quid enim necesse est liberos sceleri meos  
inserere? per nos odia se nostra explicent. —  
male agis, recedis, anime: si parcis tuis,

296 gnatis A || 300 citius Peiper || 302 prece commovebo E  
corr. L. Müller de r. m. p. 167 precommovebunt A preces mo-  
vebunt α pueri movebunt Bentley || 303 hinc durus ω corr.  
Bothe || 306 accessit E || 307 miseris A<sup>r</sup> est alterum om. ψ ||  
308 consiliis A<sup>r</sup> consilii E || 309. 310 person. notas om. A ||  
310 in p. discent Bentley || 317 parari tacita (ATR. om.) A ||  
320 ipsosne A || 321 ATR. om. E | ut — vacent proprio versu E |  
at ipsi A || 322 ATR. praef. E | est necesse A<sup>r</sup> | meo A || 323 se  
odia A<sup>r</sup>

parces et illis. consili Agamemnon mei 325  
 sciens minister fiat et fratri sciens  
 Menelaus adsit. prolis incertae fides  
 ex hoc petatur scelere: si bella abnuunt  
 et gerere nolunt odia, si patrum vocant, 330  
 pater est. eatur. — multa sed trepidus solet  
 detegere vultus, magna nolentem quoque  
 consilia produnt: nesciant quantae rei  
 fiant ministri. nostra tu coepta occules.  
 SAT. Haud sum monendus: ista nostro in pectore  
 fides timorque, sed magis claudet fides. 335

## CHORVS

[Tandem regia nobilis,  
 antiqui genus Inachi,  
 fratrum composuit minas.]

Quis vos exagitat furor,  
 alternis dare sanguinem 340  
 et sceptrum scelere aggredi?  
 nescitis, cupidi arcium,  
 regnum quo iaceat loco.  
 regem non faciunt opes,  
 non vestis Tyriae color, 345  
 non frontis nota regiae,  
 non auro nitidae trabes:  
 rex est qui posuit metus

325 illi A | Agamemnon E || 326 insciens m. E | patris  
 cliens A patri cl. E corr. Peiper (Bentley) || 327 assit E ||  
 328 qui bella E || 329 patrum E || 333 occule A || 335 claudit A ||  
 336—357 versus binorum colorum, distinctis singulorum in-  
 itiis E || 336—338 delet Richter, tuctur Leo II 383. At et se-  
 quentibus repugnant et posterioris cantici initio (546 sqq. 558 sq.) ||  
 342—352 afferuntur a Lactantio Placido Statii interprete. Cf.  
 praef. c. II || 342 ne sic horotis cup. a. Cod. Puteanus Lact. ||  
 343 uocat loco Lact. || 344 reges A || 345 uestes Lact. || 346 re-  
 gia Lact. || 347 fores E trabes A Lact. || 348 regem regem (sic)  
 q. p. m. Lact.

et diri mala pectoris, quem non ambitio inpotens et numquam stabilis favor vulgi praecipitis movet, non quicquid fodit Occidens aut unda Tagus aurea claro devehit alveo,	350      355
non quicquid Libycis terit fervens area messibus, quem non concutiet cadens obliqui via fulminis, non Eurus rapiens mare aut saevo rabidus freto ventosi tumor Hadriae, quem non lancea militis, non strictus domuit chalybs, qui tuto positus loco infra se videt omnia occurritque suo libens fato nec queritur mori.	360          365
Reges convenient licet qui sparsos agitant Dahae, qui rubri vada litoris et gemmis mare lucidis late sanguineum tenent, aut qui Caspia fortibus recludunt iuga Sarmatis, certet Danuvii vadum audet qui pedes ingredi et (quocumque loco iacent) Seres vellere nobiles: nil ullis opus est equis, nil armis et inertibus	370            375   379 381

350 inpotens A || 353—355 om. E || 359 obliqui E || 361 rapidus A || 362 adriae A || 363 lancea immitis E || 370 dachos (dacos) A || 371 littoris E || 372 lucidum A (sic Bentley) || 373 sanguineis Bentley || 376 danubii vadum E danubium licet A

telis quae procul ingerit	
Parthus, cum simulat fugas,	
admotis nihil est opus	385
urbes sternere machinis,	
longe saxa rotantibus.	387
mens regnum bona possidet.	380
[rex est qui metuit nihil,	388
rex est qui cupiet nihil.]	
hoc regnum sibi quisque dat.	390
Stet quicumque volet potens	
aulae culmine lubrico:	
me dulcis saturet quies;	
obscuro positus loco	
leni perfruar otio,	395
nullis nota Quiritibus	
aetas per tacitum fluat.	
sic cum transierint mei	
nullo cum strepitu dies,	
plebeius moriar senex.	400
illi mors gravis incubat	
qui, notus nimis omnibus,	
ignotus moritur sibi.	

### THYESTES TANTALVS PLISTHENES TACITVS

Optata patriae tecta et Argolicas opes  
 miserisque summum ac maxime exulibus bonum, 405  
 tractum soli natalis et patrios deos  
 (si sunt tamen di) cerno, Cyclopum sacras  
 turres, labore maius humano decus,

330 ante 390 posuit Swoboda || 383 talis E || 385 adsuētis  
 Koeischaus || 388. 389 del. Leo 389 om. A | metuet Bentley me-  
 tuat — cupiat Smith de arte rhet. p. 84 n. 1 || 396 notaque liti-  
 bus Markland (coetibus L. Müller) || 401 nulli A<sup>r</sup> (exc. Vd.) ||  
 401. 402 inverso ordine E || Thyestes Philistenes (sic pro Tantalo  
 per totam scaenam) A || 403 maximum ω corr. Bentley || 406 tac-  
 tum ω corr. Kappius Peric. crit. Erlang. 1786 p. 11 ex ed. vet.  
 Conr. Celtis (Bothe)



celebrata iuveni stadia, per quae nobilis  
palmam paterno non semel curru tuli. 410

occurreret Argos, populus occurreret frequens —  
sed nempe et Atreus. repete silvestres fugas  
saltusque densos potius et mixtam feris  
similemque vitam; clarus hic regni nitor  
fulgore non est quod oculos falso auferat: 415

cum quod datur spectabis, et dantem aspice.  
modo inter illa, quae putant cuncti aspera,  
fortis fui laetusque; nunc contra in metus  
revolvor: animus haeret ac retro cupit  
corpus referre, moveo uolentem gradum. 420

TANT. Pigro (quid hoc est?) genitor incessu stupet  
vultumque versat seque in incerto tenet.

THY. Quid, anime, pendes quidve consilium diu  
tam facile torques? rebus incertissimis,  
fratri atque regno, credis ac metuis mala 425  
iam victa, iam mansueta et aerumnas fugis  
bene collocatas? esse iam miseram iuvat.  
reflecte gressum, dum licet, teque eripe.

TANT. Quae causa cogit, genitor, a patria gradum  
referre visa? cur bonis tantis sinum 430  
subducis? ira frater abiecta redit  
partemque regni reddit et lacerae domus  
componit artus teque restituit tibi.

THY. Causam timoris ipse quam ignoro exigis.  
nihil timendum video, sed timeo tamen. 435

placet ire, pigris membra sed genibus labant  
alioque quam quo nitor abductus feror.  
sic concitatum remige et velo ratem  
aestus resistens remigi et velo refert.

412 subnempe e. A. repetet E || 415 qui A<sup>r</sup> || 416 quo A<sup>r</sup> |  
tandem A<sup>r</sup> vers. del. Peiper, antiquitus eum post 441 cum  
Thy. nota positum fuisse suspicatur Richter || 417 ista τ ||  
425 duobus versibus (fr. — credis | ac m. mala) E || 426 de-  
flecte A || 436 sub genibus E || 438 uento ratem A || 439 aestus  
resurgens A | remige et v feret (vel fert) A<sup>r</sup>

TANT. Evince quicquid obstat et mentem impedit 440  
reducemque quanta praemia expectent vide.

pater, potes regnare. THY. Cum possim mori.

TANT. Summa est potestas — THY. Nulla: si cupias  
nihil.

TANT. Gnatis relinques. THY. Non capit regnum duos.

TANT. Miser esse mavult esse qui felix potest? 445

THY. Mihi crede, falsis magna nominibus placent,  
frustra timentur dura. dum excelsus steti,

numquam pavere destiti atque ipsum mei  
ferrum timere lateris. o quantum bonum est  
obstare nulli, capere securas dapes 450

humi iacentem! scelera non intrans casas,

tutusque mensa capitur angusta cibus;

venenum in auro bibitur — expertus loquor:

malam bonae praeferre fortunam licet.

non vertice alti montis impositam domum 455

et eminentem civitas humilis tremit

nec fulget altis splendidum tectis ebur

somnosque non defendit excubitor meos;

non classibus piscamur et retro mare

iacta fugamus mole nec ventrem improbum 460

alimus tributo gentium, nullus mihi

ultra Getas metatur et Parthos ager;

non ture colimur nec meae excluso Iove

ornantur arae; nulla culminibus meis

imposita nutat silva nec fumant manu 465

succensa multa stagna nec somno dies

Bacchoque nox iungenda pervigili datur:

sed non timemur, tata sine telo est domus

rebusque parvis magna praestatur quies —

immane regnum est posse sine regno pati. 470

TANT. Nec abnuendum, si dat imperium deus,

440 Vince A(τ) pervince τ || 443 totum v. Thyestae continuat  
N. Heinsius p. 40 (potestas nulla, si) || 452 totusque E || 454 li-  
bet N. Heinsius p. 40 || 457 non fulget A(τ) || 460 non A ||  
462 metitur A || 467 ducenda A || 469 r. p. alta A || 471 abn. est E

nec appetendum est: frater ut regnes rogat.

THY. Rogat? timendum est. errat hic aliquis dolus.

TANT. Redire pietas unde submota est solet

reparatque vires iustus amissas amor.

475

THY. Amat Thyesten frater? aetherias prius

perfundet Arctos pontus et Siculi rapax

consistet aestus unda et Ionio seges

matura pelago surget et lucem dabit

nox atra terris, ante cum flammis aquae,

480

cum morte vita, cum mari ventus fidem

foedusque iungent. TANT. Quam tamen fraudem times?

THY. Omnem: timori quem meo statuam modum?

tantum potest quantum odit. TANT. In te quid potest?

THY. Pro me nihil iam metuo: vos facitis mihi

485

Atrea timendum. TANT. Decipi cautus times?

THY. Serum est cavendi tempus in mediis malis:

catur. unum genitor hoc testor tamen:

ego vos sequor, non duco. TANT. Respiciet deus

bene cogitata. perge non dubio gradu.

490

## ATREVS THYESTES TANTALVS PLISTHENES TACITI

Plagis tenetur clausa dispositis fera:

et ipsum et una generis invisi indolem

iunctam parenti cerno. iam tuto in loco

vorsantur odia. venit in nostras manus

tandem Thyestes, venit, et totus quidam.

485

vix tempero animo, vix dolor frenos capit.

sic, cum feras vestigat et longo sagax

472 THY. nec appetendum (*om.* est) A || 476 Thyestem A |  
 ethereas A<sup>r</sup> || 486 decipi *ex* recipi E<sup>1</sup> | captus *ω* *corr.* Madvig  
 II p. 114 || 487 THY. *om.* *ω* *add.* Gruter || 488 gen. hoc ortamen  
 est A || 489 THY. ego — duco A | respiciat A<sup>r</sup> || 490 *ducibus versi-*  
*culis* (b. cog. | p. — gradu) E || *inscr.*: Atreus Thyestes A ||  
 491 *ATR. praef.* E || 493 in *om.* E || 496 v. tempore a. v. frenos  
 dolor c. E || 497 sic qui Bentley

loro tenetur Vmber ac presso vias  
 scrutatur ore, dum procul lento suem  
 odore sentit, paret et tacito locum 500  
 rostro pererrat; praeda cum propior fuit,  
 cervice tota pugnat et gemitu vocat  
 dominum morantem seque retinenti eripit:  
 cum sperat ira sanguinem, nescit tegi;  
 tamen tegatur. aspice, ut multo gravis 505  
 squalore vultus obruat maestos coma,  
 quam foeda iaceat barba. praestetur fides —  
 fratrem iuvat videre. complexus mihi  
 redde expetitos. quicquid irarum fuit  
 transierit; ex hoc sanguis ac pietas die 510  
 colantur, animis odia damnata excidant.  
 THY. Diluere possem cuncta, nisi talis fores.  
 sed fateor, Atreu, fateor, admisi omnia  
 quae credidisti. pessimam causam meam  
 hodierna pietas fecit. est prorsus nocens 515  
 quicumque visus tam bono fratri est nocens.  
 lacrimis agendum est: supplicem primus vides;  
 hae te precantur pedibus intactae manus:  
 ponatur omnis ira et ex animo tumor  
 erasus abeat. obsides fidei accipe 520  
 hos innocentes, frater. ATR. A genibus manum  
 aufer meosque potius amplexus pete.  
 vos quoque, senum praesidia, tot iuvenes, meo  
 pendete collo. squalidam vestem exue  
 oculisque nostris parce et ornatus cape 525  
 pares meis laetusque fraterni imperi  
 capesse partem. maior haec laus est mea,  
 fratri paternum reddere incolumi decus:  
 habere regnum casus est, virtus dare.  
 THY. Di paria, frater, pretia pro tantis tibi 530

498 loto E || 504 spirat  $\psi$  || 507 iacet E | praestatur A $\tau$  ||  
 516 fratre E || 518 pedibus functe A $\tau$  || 521 manus. A || 522 pro-  
 perus Bentley || 524 pendente E || 526 quales mei sunt laetusque  
 frater imperii A || 527 maior hoc A $(\tau)$  (N. Heinsius p. 40)

meritis rependant. regiam capitis notam  
 squalor recusat noster et sceptrum manus  
 infausta refugit. liceat in media mihi  
 latere turba. ATR. Recipit hoc regnum duos.  
 THY. Meum esse credo quicquid est, frater, tuum. 535  
 ATR. Quis influentis dona fortunæ abnuit?  
 THY. Expertus est quicumque quam facile effluant.  
 ATR. Fratrem potiri gloria ingenti vetas?  
 THY. Tua iam peracta gloria est, restat mea:  
 respuere certum est regna consilium mihi. 540  
 ATR. Meam relinquam, nisi tuam partem accipis.  
 THY. Accipio: regni nomen impositi feram,  
 sed iura et arma servient mecum tibi.  
 ATR. Imposita capiti vincla venerando gere;  
 ego destinatas victimas superis dabo. 545

CHORVS

Credat hoc quisquam? feras ille et acer  
 nec potens mentis truculentus Atreus  
 fratris aspectu stupefactus haesit.  
 nulla vis maior pietate vera est:  
 iurgia externis inimica durant, 550  
 quos amor verus tenuit, tenebit.  
 ira cum magnis agitata causis  
 gratiam rupit cecinitque bellum,  
 cum leves frenis sonuere turmae,  
 fulsit hinc illinc agitatus ensis 555  
 quem movet crebro furibundus ictu  
 sanguinem Mavors cupiens recentem:  
 opprimit ferrum manibusque iunctis  
 ducit ad pacem Pietas negantes.

Otium tanto subitum e tumultu 560  
 quis deus fecit? modo per Mycenae

539 THY. om. A<sup>r</sup> || 540 THY. praef. A<sup>r</sup> || 543—545 Atreo dan-  
 tur A<sup>r</sup> || 544 ven. regem E || 558 opprimit E || 559 ducit e  
 ducet Leo

arma civilis crepuere belli:  
 pallidae natos tenere matres;  
 uxor armato timuit marito,  
 cum manum invitus sequeretur ensis, 565  
 sordidus pacis vitio quietae;  
 ille labentes renovare muros,  
 hic situ quassas stabilire turres,  
 ferreis portas cohibere claustris  
 ille certabat, pavidusque pinnis 570  
 anxiae noctis vigil incubabat:  
 peior est bello timor ipse belli.

Iam minae saevi cecidere ferri,  
 iam silet murmur grave classicorum,  
 iam tacet stridor litui strepentis: 575

alta pax urbi revocata laetae est.  
 sic, ubi ex alto tumuere fluctus  
 Bruttium Coro feriente pontum,  
 Scylla pulsatis resonat cavernis  
 ac mare in portu timuere nautae 580

quod rapax haustum revomit Charybdis,  
 et ferus Cyclops metuit parentem  
 rupe ferventis residens in Aetnae,  
 ne superfusus violetur undis  
 ignis aeternis resonans caminis, 585

et putat mergi sua posse pauper  
 regna Laertes Ithaca tremente:  
 si suae ventis cecidere vires,  
 mitius stagno pelagus recumbit;  
 alta, quae navis timuit secare, 590  
 hinc et hinc fuis speciosa velis  
 strata ludenti patuere cumbae,

563 p. matres tenere natos A (natis timuere Bentley) ||  
 564 amato E || 566 sordibus E || 571 nocti A || 576 alma Bentley ||  
 urbis A | est om. E || 578 choro E Brutium ponto f. corum A ||  
 579 pulsatus E || 580 in totum A || 581 auster A aestu Bessel ||  
 582 ferox E (Ribb.) || 585 arcanis Bentley || 588. 587 del. Peiper ||  
 591 spatiosa A || 592 cimbe A<sup>r</sup>

et vacat mersos numerare pisces  
 hic ubi ingenti modo sub procella  
 Cyclades pontum timuere motae. 595

Nulla sors longa est: dolor ac voluptas  
 invicem cedunt; brevior voluptas.  
 ima permutat levis hora summis:  
 ille qui donat diadema fronti,  
 quem genu nixae tremuere gentes, 600  
 cuius ad nutum posuere bella  
 Medus et Phoebi propioris Indus  
 et Dahae Parthis equitem minati,  
 anxius sceptrum tenet et moventes  
 cuncta divinat metuitque casus 605  
 mobiles rerum dubiumque tempus.

Vos quibus rector maris atque terrae  
 ius dedit magnum necis atque vitae,  
 ponite inflatos tumidosque vultus:  
 quicquid a vobis minor expavescit, 610  
 maior hoc vobis dominus minatur;  
 omne sub regno graviore regnum est.  
 quem dies vidit veniens superbum,  
 hunc dies vidit fugiens iacentem.

Nemo confidat nimium secundis, 615  
 nemo desperet meliora lassis:  
 miscet haec illis prohibetque Clotho  
 stare Fortunam, rotat omne fatum.  
 nemo tam divos habuit faventes,  
 crastinum ut posset sibi polliceri: 620  
 res deus nostras celeri citatas  
 turbine versat.

597 in textu om. in marg. add. E<sup>1</sup> || 603 dachi vel dache  
 (dace) A<sup>r</sup> || 605 cuncta divitias A || 610 extimescit A || 616 lapsis ψ  
 cf. ad. HI 646

## NVNTIVS CHORVS

Quis me per auras turbo praecipitem vehet.  
 atraque nube involvet, ut tantum nefas  
 eripiat oculis? o domus Pelopi quoque 625  
 et Tantalo pudenda! CHOR. Quid portas novi?  
 NVNT. Quaenam ista regio est? Argos et Sparte, pios  
 sortita fratres, et maris gemini premens  
 fauces Corinthos, an feris Hister fugam  
 praebens Alanis, an sub aeterna nive 630  
 Hyrcana tellus an vagi passim Scythae?  
 quis hic nefandi est conscius monstri locus?  
 CHOR. Effare et istud pande, quodcumque est, malum.  
 NVNT. Si steterit animus, si metu corpus rigens  
 remittet artus. haeret in vultu trucis 635  
 imago facti. ferte me insanae procul,  
 illo, procellae, ferte quo fertur dies  
 hinc raptus. CHOR. Animos gravius incertos tenes.  
 quid sit quod horres ede et auctorem indica:  
 non quaero quis sit, sed uter. effare ocius. 640  
 NVNT. In arce summa Pelopiae pars est domus  
 conversa ad austros, cuius extremum latus  
 aequale monti crescit atque urbem premit  
 et contumacem regibus populum suis  
 habet sub ictu; fulget hic turbæ capax 645  
 immane tectum; cuius auratas trabes  
 variis columnae nobiles maculis ferunt.  
 post ista vulgo nota, quae populi colunt,  
 in multa dives spatia discedit domus;  
 arcana in imo regio secessu iacet, 650  
 alta vetustum valle compescens nemus,  
 penetrabile regni, nulla qua laetos solet

623 NVNT. praef. E | uehit E || 624 involuit E uoluet A  
 corr. α || 627 impios A || 629 Corinthus A<sup>r</sup> || 632 choro datur A ||  
 639 ede et] effer A || 640 quaero om. A<sup>r</sup> | quid E || 641 pelop-  
 pis A pelopaeae E corr. Bothe || 650 sec. patet A latet ci. Richter ||  
 652 quae EA corr. ψ



praebere ramos arbor aut ferro coli,  
 sed taxus et cupressus et nigra ilice  
 obscura nutat silva, quam supra eminens 655  
 despectat alte quercus et vincit nemus.  
 hinc auspicari regna Tantalidae solent,  
 hinc petere lassis rebus ac dubiis opem.  
 affixa inhaerent dona: vocales tubae  
 victaeque falsis axibus pendent rotae 661  
 fractique currus, spolia Myrtoi maris 660  
 et omne gentis facinus; hoc Phrygius loco  
 fixus tiaras Pelopis, hic praeda hostium  
 et de triumpho picta barbarico chlamys.  
 fons stat sub umbra tristis et nigra piger 665  
 haeret palude: talis est dirae Stygis  
 deformis unda quae facit caelo fidem.  
 hinc nocte caeca gemere feralis deos  
 fama est, catenis lucus excussis sonat  
 ululantque manes. quicquid audire est metus 670  
 illic videtur: errat antiquis vetus  
 emissa bustis turba et insultant loco  
 maiora notis monstra; quin tecta solet  
 micare silva flamma, et excelsae trabes  
 ardent sine igne. saepe latratu nemus 675  
 trino remugit, saepe simulacris domus  
 attonita magnis. nec dies sedat metum:  
 nox propria luco est et superstitio inferum  
 in luce media regnat. hinc orantibus  
 responsa dantur certa, cum ingenti sono 680  
 laxantur adyto fata et inmugit specus  
 vocem deo solvente. quo postquam furens

655 supremiens E || 659 lapsis  $\psi$  | et dubiis A || 660 et  
 661 sedes mutare iussit M. Müller Ph. p. 269 || 661 vitaeque E  
 vinctaeque Bentley vectaeque Bothe || 663 pelops E || 668 hic  
 nocte tota A | feralis A || 670 audiri N. Heinsius p. 41 ||  
 673 ioco E || 673 tota  $\omega$  corr. Richter symb. p. 38 (tota  
 N. Heinsius p. 41, subita, tetra, falsa Bentley) || 674 flamma  
 silva A

intravit Atreus liberos fratris trahens,  
 ornantur arae — quis queat digne eloqui? 685  
 post terga iuvenum nobiles religat manus  
 et maesta vitta capita purpurea ligat;  
 non tura desunt, non sacer Bacchi liquor  
 tangensque salsa victimam culter mola.  
 servatur omnis ordo, ne tantum nefas  
 non rite fiat. CHOR. Quis manum ferro admovet? 690  
 NVNT. Ipse est sacerdos, ipse funesta prece  
 letale carmen ore violento canit,  
 stat ipse ad aras, ipse devotos neci  
 contrectat et componit et † ferro admovet;  
 attendit ipse: nulla pars sacri perit. 695  
 lucus tremescit, tota succusso solo  
 nutavit aula, dubia quo pondus daret  
 ac fluctuanti similis; e laevo aethere  
 atrum cucurrit limitem sidus trahens.  
 libata in ignes vina mutato fluunt 700  
 cruenta Baccho, regium capiti decus  
 bis terque lapsum est, flevit in templis ebur.  
 movere cunctos monstra, sed solus sibi  
 immotus Atreus constat atque ultro deos  
 terret minantes. iamque dimissa mora 705  
 adsistit aris, torvum et obliquum intuens. *looking with*  
*astone*  
 ieiuna silvis qualis in Gangeticis  
 inter iuvencos tigris erravit duos,  
 utriusque praedae cupida que primum ferat  
 incerta morsus (flectit hoc rictus suos, 710  
 illo reflectit et famem dubiam tenet),  
 sic dirus Atreus capita devota impiae

685 reuocat manus A || 688 tangensue A | fusa τ || 692 ore  
 truculento Peiper, more sollempni Bentley || 694 verba ferro ad-  
 movet ex v. 690 intrusa expulisse genuina. Lco suspicatur; ferrum  
 adm. Peiper, atque arae admovet (vel et retro trahit) Bentley,  
 ferrum parat Koetschau || 698 toto A<sup>r</sup> (exc. E10) | t. s. loco E  
 (Ribb.) || 698 om. τ || 706 assiluit aris A || 710 huc A cf. Agam.  
 v. 143 || 711 famem E || 712 durus E

speculatur irae: quem prius mactet sibi  
 dubitat, secunda deinde quem caede immolet.  
 nec interest, sed dubitat et saevum scelus 715  
 iuvat ordinare. CHOR. Quem tamen ferro occupat?  
 NVNT. Primus locus (ne desse pietatem putes)  
 avo dicatur: Tantalus prima hostia est.  
 CHOR. Quo invenis animo, quo tulit vultu necem?  
 NVNT. Stetit sui securus et non est præces 720  
 perire frustra passus; ast illi ferus  
 in vulnere ensem abscondit et penitus premens  
 iugulo manum commisit: educto stetit  
 ferro cadaver, cumque dubitasset diu,  
 hac parte an illa caderet, in patrum cadit. 725  
 tunc ille ad aras Plisthenem saevus trahit  
 adicitque fratri; colla percussa amputat;  
 cervice caesa truncus in pronum ruit,  
 querulum cucurrit murmure incerto caput.  
 CHOR. Quid deinde gemina caede perfunctus facit? 730  
 puerone parcit an scelus sceleri ingerit?  
 NVNT. Silva iubatus qualis Armenia leo  
 in caede multa victor armento incubat  
 (cruore rictus madidus et pulsa fame  
 non ponit iras: hinc et hinc tauros premens 735  
 vitulis minatur dente iam lasso piger),  
 non aliter Atræus saevit atque ira tumet,  
 ferrumque gemina caede perfusum tenens,  
 oblitus in quem fureret, infesta manu  
 exegit ultra corpus — ut pueri statim 740  
 pectore receptus ensis in tergo extitit;  
 cadit ille et aras sanguine extinguens suo  
 per utrumque vulnus moritur. CHOR. O saevum scelus!  
 NVNT. Exhorruistis? hactenus si stat nefas,

713 speculator E speculatus N. Heinsius p. 41 || 714 secundam E || 715 tantum scelus A || 726 philistinem A<sup>r</sup> || 731 quærone E puerisne A<sup>r</sup> | scelere E || 732 iuvatus E | armepa A<sup>r</sup> || 739 rueret A || 740 ac av at a corr. M. Müller p. 42 (ut pueri causali sensu) || 744 non stat A

pius est. CHOR. An ultra maius aut atrocius 745  
 natura recipit? NVNT. Sceleris hunc finem putas?  
 gradus est. CHOR. Quid ultra potuit? obiecit feris  
 lanianda forsā corpora atque igne arcuit?  
 NVNT. Vtinam arcuisset! ne tegat functos humus  
 nec solvat ignis! avibus epulandos licet 750  
 ferisque triste pabulum saevis trahat —  
 votum est sub hoc quod esse supplicium solet:  
 pater insepultos spectet! o nullo scelus  
 credibile in aevo quodque posteritas neget —  
 erepta vivis exta pectoribus tremunt 755  
 spirantque venae corque adhuc pavidum salit;  
 at ille fibras tractat ac fata inspicit  
 et adhuc calentes viscerum venas notat.  
 postquam hostiæ placuere, securus vacat  
 iam fratris epulis: ipse divisum secat severed 760  
 in membra corpus, amputat trunco tenus  
 umeros patentis et lacertorum moras,  
 denudat artus durus atque ossa amputat;  
 tantum ora servat et datas fidei manus.  
 haec veribus haerent viscera et lentis data 765  
 stillant caminis, illa flammatus latex  
 querente aeno iactat. impositas dapes  
 transiluit ignis inque trepidantes focos  
 bis ter regestus et pati iussus moram  
 invitus ardet. stridet in veribus iecur; liver 770  
 nec facile dicam, corpora an flammae magis  
 gemuere. piceos ignis in fumos abit;  
 et ipse fumus, tristis ac nebula gravis,  
 non rectus exit seque in excelsum levat:  
 ipsos penates nube deformi obsidet. 775

745 plus est A || 750 ne A || 751 tradat E || 757 incipit E ||  
 761 in membra E | lancinat N. Heinsius p. 42 || 762 patentis A ||  
 763 del. C. Barth (Bentley) | dirus ψ || 765 veribus A cf. v. 770 ||  
 767 candente aeno E cf. Werner p. 52 || 768 crepitantes ψ || 769 ut  
 pati N. Heinsius p. 43 || 771 dicas id. ibid. | fl. gemant A || 772 pi-  
 cetus A || 774 levans ψ || 775 spissus N. Heinsius p. 43 (Oed. 326)

O Phoebe patiens, fugeris retro licet  
 medioque ruptum meriseris caelo diem,  
 sero occidisti. lancinat gnatos pater *shattered daylight*  
 artusque mandit ore funesto suos; *tear to pieces*  
 nitet fluente madidus unguento comam 780  
 gravisque vino; saepe praeclosae cibum  
 tenere fauces — in malis unum hoc tuis  
 bonum est, Thyesta, quod mala ignoras tua.  
 sed et hoc peribit. verterit currus licet  
 sibi ipse Titan obvium ducens iter 785  
 tenebrisque facinus obruat tetrum novis  
 nox missa ab ortu tempore alieno gravis,  
 tamen videndum est. tota patefient mala.

CHORVS

Quo terrarum superumque parens,  
 cuius ad ortus noctis opacae 790  
 decus omne fugit, quo vertis iter  
 medioque diem perdis Olympo?  
 cur, Phoebe, tuos rapis aspectus?  
 nondum serae nuntius horae  
 nocturna vocat lumina Vesper; 795  
 nondum Hesperiae flexura rotae  
 iubet emeritos solvere currus;  
 nondum in noctem vergente die  
 tertia misit bucina signum:  
 stupet ad subitae tempora cenae 800  
 nondum fessis bubus arator.  
 quid te aetherio pepulit cursu?

777 raptum *id.* || 780 fluentem *Bentley* | coma **A** || 781 reclusae **E** || 788 nota patefiant **E** || 789—884 *dimetri his monom. intermixtis*: 843<sup>b</sup> (turba d.) 877 (card. m.) 881 (sive e.) **A** *dimetri, sed* 829. 830 (perc. — ruina) *trimeter* **E** || 789 potens *N. Heinsius p. 43. 219* || 791 cecus **E** || 792 produs *N. Heinsius ibid.* || 793 post 801 *ponit Peiper* || 798 innocentem **E** || 801 bobus **A** || 802 ethereo **A**

quae causa tuos  
 limite certo deiecit equos?  
 numquid aperto carcere Ditis 805  
 victi temptant bella Gigantes?  
 numquid Tityos pectore fesso  
 renovat veteres saucius iras?  
 num reiecto  
 latus explicuit monte Typhoeus?  
 numquid struitur via Phlegraeos 810  
 alta per hostes et Thessalicum  
 Thressa premitur Pelion Ossa?  
 solitae mundi periere vices?  
 nihil occasus, nihil ortus erit?  
 stupet Eoos 815  
 assueta deo tradere frenos  
 genetrix primae roscida lucis  
 perversa sui limina regni;  
 nescit fessos  
 tinguere currus nec fumantes  
 sudore iubas mergere ponto. 820  
 ipse insueto novus hospitio  
 Sol Auroram videt occiduus,  
 tenebrasque iubet surgere nondum  
 nocte parata: non succedunt  
 astra nec ullo micat igne polus, 825  
 non Luna gravis digerit umbras.

Sed quicquid id est, utinam nox sit!  
 trepidant, trepidant  
 pectora magno percussa metu:  
 ne fatali cuncta ruina 830  
 quassata labent iterumque deos  
 hominesque premat deforme chaos,  
 iterum terras et mare cingens

808 titius A<sup>r</sup> || 810 feruitur E || 813 et 814 per interrogatio-  
 nem efferendos esse docuit M. Müller Ph. p. 270 || 814 hortus E ||  
 818 lumina A<sup>r</sup> || 826 nec A | graves A || 833 mare et ignes ω  
 corr. Leo

et vaga picti sidera mundi  
natura tegat. 835

non aeternae facis exortu  
dux astrorum saecula ducens  
dabit aestatis brumaeque notas,  
non Phoebeis obvia flammis  
*dispel* demet nocti Luna timores 840

vincetque sui fratris habenas,  
curvo brevius limite currens;  
ibit in unum

congesta sinum turba deorum.  
hic qui sacris pervius astris  
secat obliquo tramite zonas *angle* 845  
flectens longos signifer annos, *signal bearer*

lapsa videbit sidera labens;  
hic qui nondum vere benigno  
reddit Zephyro vela tepenti,  
Aries praeceps ibit in undas, 850

per quas pavidam vexerat Hellen;  
hic qui nitido Taurus cornu  
praefert Hyadas, secum Geminos  
trahet et curvi bracchia Cancri;  
Leo flammiferis aestibus ardeus 855

iterum e caelo cadet Hercules,  
cadet in terras Virgo relictas  
iustaeque cadent pondera Librae  
secumque trahent Scorpion acrem;  
et qui nervo tenet Haemonio 860

pinnata senex spicula Chiron,  
rupto perdet spicula nervo;  
pigram referens hiemem gelidus  
cadet Aegoceros frangetque tuam,  
quisquis es, urnam; tecum excedent 865  
ultima caeli sidera Pisces,

835 alternae *N. Heinsius p. 43* || 837 aestates *E* || 851 uixerat *E* | hellem *ω* corr. *ψ* || 861 pennata *A* | spicula nervo *E* || 862 addit *i. mg.* *E*<sup>1</sup> (ut *v. 597*) || 863 hiemen *E* || 864 egloceros *A*<sup>r</sup>

Plostraque numquam perfusa mari  
 merget condens omnia gurgēs; *whirlpool*  
 et qui medias dividit Vrsas,  
 fluminis instar lubricus Anguis 870  
 magnoque minor iuncta Draconi  
 frigida duro. Cynosura gelu,  
 custosque sui tardus plaustri *cart*  
 iam non stabilis ruet Arctophylax.  
 Nos e tanto visi populo 875  
 digni premeret quos everso  
 cardine mundus?  
 in nos aetas ultima venit?  
 o nos dura sorte creatos,  
 seu perdidimus solem miseri, 880  
 sive expulimus!  
 abeant questus, discede, timor:  
 vitae est avidus quisquis non vult  
 mundo secum pereunte mori.

## ATREVS

Aequalis astris gradior et cunctos super 885  
 altum superbo vertice attingens polum.  
 nunc decora regni teneo, nunc solium patris.  
 dimitto superos: summa votorum attigi.  
 bene est, abunde est, iam sat est etiam mihi.  
 sed cur satis sit? pergam et impleto patre 890  
 funere suorum. ne quid obstaret pudor,  
 dies recessit: perge dum caelum vacat.  
 utinam quidem tenere fugientes deos  
 possem et coactos trahere, ut ultricem dapem

867 monstraque  $\omega$  corr. Leo I 221 (astraque Bentley,  
 plaustraque *id. ad Luc. I 74*) || 872 cynoscyra E || 874 i. n. in-  
 stabilis E | artophylax  $\omega$  || 882 habeant E || 883 celum A<sup>r</sup> ||  
 890<sup>b</sup> 891<sup>a</sup> (pergam et implebo patrem funere — suorum sic  $\omega$ )  
 corrupta esse docuit B. Schmidt *Fleck. ann. 97 p. 875, delevit*  
*Leo, emendavit M. Müller p. 43* || 891 quit E || 892 uocat A ||  
 893 quidaem ex quidam (*incerta m.*) E || 894 et ultr. d. E



omnes viderent — quod sat est, videat pater. 895  
 etiam die nolente discutiam tibi  
 tenebras, miseriae sub quibus latitant tuae.  
 nimis diu conviva securo iaces  
 hilarique vultu, iam satis mensis datum est  
 satisque Baccho: sobrio tanta ad mala 900  
 opus est Thyeste. turba famularis, fores  
 templi relaxa, festa patefiat domus.  
 libet videre, capita natorum intuens  
 quos det colores, verba quae primus dolor  
 effundat aut ut spiritu expulso stupens 905  
 corpus rigescat. fructus hic operis mei est.  
 miserum videre nolo, sed dum fit miser.  
 aperta multa tecta conlucent face.  
 resupinus ipse purpuræ atque auro incubat,  
 vino gravatum fulciens laeva caput. 910  
 eructat. o me caelitem excelsissimum,  
 regumque regem! vota transcendendi mea.  
 satur est, capaci ducit argento merum —  
 ne parce potu: restat etiamnunc cruor  
 tot hostiarum; veteris hunc Bacchi color 915  
 abscondet — hoc, hoc mensa cludatur scypho  
 mixtum suorum sanguinem genitor bibat:  
 meum bibisset. ecce, iam cantus ciet  
 festasque voces nec satis menti imperat.

THYESTES

Pectora longis hebetata malis, 920  
 iam sollicitas ponite curas.

900 bacho E || 907 m. uirum uid. n. E || 909 purpura A  
 911 e. omne ω corr. α || 912 regum atque r. E || 916 abscon-  
 dat τ || 919 festaque E || tituli loco CHORVS. THYESTES E 938—  
 941 *Thyestae*, 942—944 *choro*, 945—960 *Thyestae*, 961—964 *choro*.  
 965—969 *Thyestae assignantur* E, Peiper 920—926<sup>a</sup> *choro*, 926<sup>b</sup>  
 —933<sup>a</sup> *Thyestae*, 933<sup>b</sup>—937 *choro*, 938—941 *Thy.*, 942—944 *et*  
 950—951 (*sic coniungendos*) *choro*, 945—949 *Thy.*, 952—956  
*choro*, 957—960 *Thy.*, 961—964 *choro*, 965—969 *Thy. tribuendos*

fugiat maeror fugiatque pavor,  
 fugiat trepidi comes exilii  
 tristis egestas  
 rebusque gravis pudor afflictis: 925  
 magis unde cadas quam quo refert.

Magnum, ex alto culmine lapsum  
 stabilem in plano figere gressum;  
 magnum, ingenti strage malorum  
 pressum fracti pondera regni 930  
 non inflexa cervice pati  
 nec degenerem victumque malis  
 rectum impositas ferre ruinas.

Sed iam saevi nubila fati  
 pelle ac miseri 934<sup>b</sup>  
 temporis omnis dimitte notas; 935  
 redeant vultus ad laeta boni,  
 veterem ex animo mitte Thyesten.

Proprium hoc miseris sequitur vitium,  
 numquam rebus credere laetis:  
 redeat felix fortuna licet, 940  
 tamen afflictos gaudere piget.  
 quid me revocas festumque vetas  
 celebrare diem, quid fieri iubes,  
 nulla surgens dolor ex causa?  
 quid me prohibes flore decenti 945  
 vincere comam? prohibet, prohibet!

Vernae capiti fluxere rosae,  
 pingui madidus crinis amomo  
 inter subitos stetit horrores,  
 imber vultu nolente cadit, 950  
 venit in medias voces gemitus.  
 maeror lacrimas amat assuetas,

esse statuit, cf. *Leo I 137. canticum dimetris decurrit claudente monometro ω, nisi quod 930—932 pro tribus dimetris duo trimetros habet E || 935 tempore in omni E del. Peiper | omnes A || 936 adhleta E || 945 quis me prohibet ω corr. N. Heinsius p. 44 || 946 uincere E | prohibet et proh. A<sup>r</sup>*

flendi miseris dira cupido est.  
libet infaustos mittere questus,  
libet et Tyrio saturas ostro 955  
rumpere vestes, ululare libet.

Mittit luctus signa futuri  
mens, ante sui praesaga mali:  
instat nautis fera tempestas,  
cum sine vento tranquilla tument. 960

Quos tibi luctus quosve tumultus  
fingis, demens? credula praesta  
pectora fratri: iam, quicquid id est,  
vel sine causa vel sero times.

Nolo infelix, sed vagus intra 965  
terror oberrat, subitos fundunt  
oculi fletus, nec causa subest.  
dolor an metus est?

an habet lacrimas magna voluptas?

ATREVS THYESTES

ATR. Festum diem, germane, consensu pari 970  
celebremus: hic est, sceptrum qui firmet mea  
solidamque pacis alliget certae fidem.

THY. Satias dapibus me nec minus Bacchi tenet.  
augere cumulus hic voluptatem potest,  
si cum meis gaudere felici datur. 975

ATR. Hic esse natos crede in amplexu patris.  
hic sunt eruntque; nulla pars proles tuae  
tibi subtrahetur. ora quae exoptas dabo  
totumque turba iam sua implebo patrem.  
satiaberis, ne metue. nunc mixti meis 980  
incunda mensae sacra iuvenilis colunt;  
sed accientur. poculum infuso cape  
gentile Baccho. THY. Capiam fraternae dapibus

955 libet ei *Bothe*, sed cf. *Leo I 67* || 961 q. t. uultus  $\Delta^r$  ||  
968 metus an dolor est *Nolte ZG 1880 p. 87 coll. Luc. II 27* ||  
971 qui sceptrum  $\Delta^r$  || 973 saties  $\Delta$  || 975 felici gaudere  $\Delta^r$  (*exc.*  
*Vad.*) || 978 hora  $E$  || 981 colant  $\psi$

donum. paternis vina libentur deis,  
 tunc hauriantur. sed quid hoc? nolunt manus 985  
 parere, crescit pondus et dextram gravat;  
 admotus ipsis Bacchus a labris fugit  
 circaque rictus ore decepto fluit  
 et ipsa trepido mensa subsiluit solo.  
 vix lucet ignis; ipse quin aether gravis 990  
 inter diem noctemque desertus stupet.  
 quid hoc? magis magisque concussi labant  
 convexa caeli; spissior densis coit  
 caligo tenebris noxque se in noctem abdidit;  
 fugit omne sidus. quicquid est, fratri precor 995  
 gnatisque parcat, omnis in vile hoc caput  
 abeat procella. redde iam gnatos mihi!  
 ATR. Reddam, et tibi illos nullus eripiet dies.  
 THY. Quis hic tumultus viscera exagitat mea?  
 quid tremuit intus? sentio impatiens onus 1000  
 meumque gemitu non meo pectus gemit.  
 adeste, nati, genitor infelix vocat,  
 adeste. visis fugiet hic vobis dolor —  
 unde obloquuntur? ATR. Expedi amplexus pater:  
 venere. gnatos equid agnoscis tuos? 1005  
 THY. Agnosco fratrem. sustines tantum nefas  
 gestare, Tellus? non ad infernam Styga  
 tenebrasque mergis rupta et ingenti via  
 ad chaos inane regna cum rege abripis?  
 non tota ab imo tecta convellens solo 1010  
 vertis Mycenae? stare circa Tantalum  
 uterque iam debuimus: hinc compagibus  
 et hinc revulsis, si quid infra Tartara est

985 non uult manus A || 988 effluit A || 994 addidit *ψ*  
*Gronov, Leo; at cf. E. Thomas Herm. 28, 308* || 998 illos  
*om. A<sup>r</sup>* || 999 quid E || 1000 fremuit *Bentley* || 1001 meumque  
 cum gemitu A<sup>r</sup> || 1003 fugiat E || 1005 et quid E || 1007 in-  
 ferna A<sup>r</sup> || 1008 te nosque mergis *ω corr. B. Schmidt Observ.*  
*p. 9 (amnesque Peiper)* || 1012—1014 *sic dispositi A: 1014<sup>a</sup> (aus-*  
*que n.) 1013<sup>b</sup> (si q. i. T. e) 1012 (uterq. — comp.) 1013<sup>a</sup> 1014<sup>b</sup> (et*  
*h. r. huc T. i. s.)* || 1013 si quis intra A

avosque nostros, hoc tuam inmani sinu  
 demitte vallem nosque defossos tege 1015  
 Acheronte toto. noxiae supra caput  
 animae vagentur nostrum et ardenti freto  
 Phlegethon harenas igneus totas agens  
 exilia supra nostra violentus fluat —  
 immota tellus pondus ignavum iaces? 1020  
 fugere superi. ATR. Iam accipe hos potius libens  
 diu expetitos — nulla per fratrem est mora:  
 frueri, osculare, divide amplexus tribus.  
 THY. Hoc foedus? haec est gratia, haec fratris fides?  
 sic odia ponis? non peto, incolumis pater 1025  
 natos ut habeam; scelere quod salvo dari  
 odioque possit, frater hoc fratrem rogo:  
 sepelire liceat. redde quod cernas statim  
 uri; nihil te genitor habiturus rogo,  
 sed perditurus. ATR. Quicquid e natis tuis 1030  
 superest habes, quodcumque non superest habes.  
 THY. Vtrumne saevis pabulum alitibus iacent,  
 an beluis servantur, an pascunt feras?  
 ATR. Epulatus ipse es impia natos dape.  
 THY. Hoc est deos quod puduit, hoc egit diem 1035  
 aversum in ortus. quas miser voces dabo  
 questusque quos? quae verba sufficient mihi?  
 abscisa cerno capita et avulsas manus  
 et rupta fractis cruribus vestigia —  
 hoc est quod avidus capere non potuit pater. 1040  
 volvuntur intus viscera et clusum nefas

1014 hoc (huc A cf. v. 710) tua in mani s. E || 1015 di-  
 mitte A | ualle E || 1017 arenti Bothe || 1018 tortas Delrio, tostas  
 Rapheling probante Gronovio || 1019 exitia ω corr. Gronov ||  
 1020 iacet E || 1021 iam om. ω add. B. Schmidt de em. Sen. tr.  
 p. 20 en add. Bentley | recipe hosce citius. liberis tandem  
 tuis A || 1022 d. expetitis (n. p. f. e. m.) frueri A || 1024 THY.  
 om. E || 1025 si odia A<sup>r</sup> | incolumes A || 1029 te genitor nihil A<sup>r</sup> ||  
 1031 s. habebis quodque A || 1033 feras an pascunt E an beluas  
 s. ut pascant f. Bentley || 1036 adversum E corr. ψ || 1038 euul-  
 sas A<sup>r</sup> || 1041 clausum A

sine exitu luctatur et quaerit fugam.  
 da, frater, ensem (sanguinis multum mei  
 habet ille): ferro liberis detur via.  
 negatur ensis? pectora inliso sonent 1046  
 contusa planctu — sustine, infelix, manum,  
 parcamus umbris. tale quis vidit nefas?  
 quis inhospitalis Caucasi rupem asperam  
 Heniochus habitans quisve Cecropiis metus  
 terris Procrustes? genitor en natos premo 1050  
 premorque natis — sceleris est aliquis modus.  
 ATR. Sceleri modus debetur ubi facias scelus,  
 non ubi reponas. hoc quoque exiguum est mihi.  
 ex vulnere ipso sanguinem calidum in tua  
 defundere ora debui, ut viventium 1055  
 biberes cruorem — verba sunt irae data  
 dum propero. ferro vulnera impresso dedi,  
 cecidi ad aras, caede votiva focos  
 placavi et artus, corpora exanima amputans,  
 in parva carpsi frustra et haec ferventibus 1060  
 demersi aenis, illa lentis ignibus  
 stillare iussi; membra nervosque abscidi  
 viventibus, gracilique traiectas veru  
 mugire fibras vidi et aggressi manu  
 mea ipse flammis — omnia haec melius pater 1065  
 fecisse potuit, cecidit in cassum dolor:  
 scidit ore natos impio, sed nesciens,  
 sed nescientes. THY. Clausa litoribus vagis  
 audite maria, vos quoque audite hoc scelus,  
 quocumque, di, fugistis. audite inferi, 1070  
 audite terrae, Noxque Tartarea gravis  
 et atra nube, vocibus nostris vaca  
 (tibi sum relictus, sola tu miserum vides,

1042 quaerit uiam A || 1044 demus uiam A || 1052 sceleris  
 m. dabitur A<sup>r</sup> || 1054 callidum E || 1055 diffundere A || 1060 fru-  
 stra A<sup>r</sup> || 1063 traiecto A || 1064 aggressi E || 1065 ipsa E ||  
 1069 vosque dii audite A || 1070 q. diffugistis EA corr. *ψ* ||  
 1072 geminata nube Bentley

tu quoque sine astris), vota non faciam improba,  
 pro me nihil precabor — et quid iam potest 1075  
 pro me esse? vobis vota prospicient mea.  
 tu, summe caeli rector, aetheriae potens  
 dominator aulae, nubibus totum horridis  
 convolve mundum, bella ventorum undique  
 committe et omni parte violentum intona, 1080  
 manumque non qua tecta et immeritas domos  
 telo petis minore, sed qua montium  
 tergemina moles cecidit et qui montibus  
 stabant pares Gigantes, hac arma expedi  
 ignesque torque. vindica amissum diem, 1085  
 iaculare flammam, lumen ereptum polo  
 fulminibus exple. causa, ne dubites diu,  
 utriusque mala sit; si minus, mala sit mea:  
 me pete, trisulco flammeam telo facem  
 per pectus hoc trans mitte — si gnatos pater 1090  
 humare et igni tradere extremo volo,  
 ego sum cremandus. si nihil superos movet  
 nullumque telis impios numen petit,  
 aeterna nox permaneat et tenebris tegat  
 immensa longis scelera. nil, Titan, queror, 1095  
 si perseveras. ATR. Nunc meas laudo manus,  
 nunc parta vera est palma. perdideram scelus,  
 nisi sic doleres. liberos nasci mihi  
 nunc credo, castis nunc fidem reddi toris.  
 THY. Quid liberi meruere? ATR. Quod fuerant tui. 1100  
 THY. Natos parenti — ATR. Fateor et, quod me iuvat,  
 certos. THY. Piorum praesides testor deos.  
 ATR. Quin coniugales? THY. Scelere quis pensat scelus?  
 ATR. Scio quid queraris: scelere praerepto doles,  
 nec quod nefandas hauseris angit dapes — 1105  
 quod non pararis! fuerat hic animus tibi

1077 ethereae A<sup>r</sup> || 1081 manumque E et sic Leo cf. I 40 ||  
 1084 haec ω corr. Scaliger || 1086 exemptum A<sup>r</sup> || 1088 mala  
 est E || 1095 i. l. secula A(τ) || 1103 quid c. ω corr. N. Heinsius  
 p. 44 || 1105 tangit A

instruere similes inscio fratri cibos  
 et adiuvante liberos matre aggredi  
 similique leto sternere — hoc unum obstitit:  
 tuos putasti. THY. Vindices aderunt dei;  
 his puniendum vota te tradunt mea.  
 ATR. Te puniendum libetis trado tuis.

1110

1112 ATR. om. E

Thyestes explicit. Incipit Hercules E sequitur Thebais A



# HERCVLES [OETAEVVS]

**Nota.** Herculeæ Oetaeum a Seneca abiudicandam esse totam post N. Heinsium et Ric. Bentleyum et ipse quondam statueram (De Seneca trag. auctore p. 31) et Th. Birt statuit (Mus. Rhen. 34 p. 509); sublatis initio fabulae (v. 1—232) et fine (1691 sqq.) genuinam relinqui Senecae tragoediam P. Habrucker coniecit (Quaest. Annaeanae p. 49). Solam priorem fabulae partem (1—705) a Seneca esse profectam eumque integram de Herculis morte tragoediam scribere in mente non habuisse F. Leo copiose argumentatur (I 74); singulas potius eum scripsisse scaenas, alteram de virginibus ex Oechalia abductis, alteram de Deianirae zelotypia. Cui ita assentitur L. Tachau (Philol. XLVI [1887] p. 378), ut ne prologum quidem et quod sequitur chori oarmon (v. 1—172) ab ipso philosopho facta esse censeat. Argumenta a Leone prolata acriter impugnavit ac maximam partem vel infirmavit vel diluit P. Melzer dissertatione de Hercule Oetaeo Annaeana programmati gymnasii Chemnitziani addita (1890), sic statuens fabulam a poeta breviter delineatam, non absolutam et perpolitam esse: composuisse eum singulas scaenas, antequam de totius fabulae consilio et ordine satis ei constaret, nam et plures inveniri eiusdem consilii scaenas et male cohaerentes et inter se pugnantes neque dubitandum videri, quin Seneca, si extremum perpoliendi operis laborem adhibuisset, gemellis locis deletis in solitum versuum numerum tragoediam fuerit contracturus (p. 13). Neque nova Pauli Barthii Lipsiensis argumentatio per litteras mecum communicata eo valet, ut stare possit Leonis sententia.

# PERSONAE

I HERCVLES

II IOLE

DEIANIRA

III NVTRIX

ALCMENA

IV HYLIVS

NVNTIVS

LICHAS

PHILOCTETES } TACITI

CHORVS I OECHALIARVM VIRGINVM

CHORVS II AETOLARVM MVLIERVM

SCAENA I IN EVBOEA INSVLA

SCAENA II TRACHINE ATQVE IN OETA MONTE

Ille autem in altera tragoediae parte ea desiderat, quae Iugonii et sermonis Annaeani maxime propria ut in ceteris philosophi operibus sic in tragoediis ubique perspicue appareant, antitheticam dico orationis compositionem et sermonem stoicis sententiis illustratum. Et recte quidem quamquam ille observavit in priore tragoediae parte illa orationis et sententiarum lumina frequentius deprehendi quam in altera, tamen in hoc quoque neque prorsus desunt (cf. 1465 coll. 975, 1170, 1607, 1763, 1849, 1847; stoicae *γνώμαι* singulis versibus conceptae non inveniuntur, at hercle tota illa morientis herois descriptio per 300 versus continuata mentem versu stoicam mirum quantum spirat), neque si deessent quicquam certi de auctoris quaestione statui posset; tum demum nimirum auctor huius fabulae partis diversus a philosopho habendus necessario esset, si cum eius dicendi sentiendique ratione pugnantia legentibus occurrerent. Quae cum ita sint, in ea disquisitionis via, quam Meizerus ingressus est, eo magis proficiendum esse viris doctis censeo, quo maiore probabilitatis specie A. Hosius (Fleckeis. annal. Supplem. 19 [1893], p. 286), A. Lucanum in Pharsalia componenda cum ceteras Senecae tragoedias tum Herculem Oetaeum ante oculos habuisse et in usum convertiisse comparatione subtiliter instituta demonstravit. Unitatis defensores etiam exitere O. Ribbeck (Hist. poes. Rom. III 69), A. Steinberger (Commentationes Gulielmo de Christ dedicatae 1891 p. 188), Mich. Müller, in Sen. trag. quaest. crit. 1898 thesis 1.

## HERCVLES

Sator deorum, cuius excussum manu  
 utraeque Phoebi sentiunt fulmen domus,  
 secure regna — protuli pacem tibi,  
 quacumque Nereus porrigi terras vetat. 5  
 non est tonandum: perfidi reges iacent,  
 saevi tyranni. fregimus quicquid fuit  
 tibi fulminandum. sed mihi caelum, parens,  
 adhuc negatur? parui certe Iove  
 ubique dignus teque testata est meum  
 patrem noverca. quid tamen nectis moras? 10  
 numquid timemur? numquid impositam sibi  
 non poterit Atlas ferre cum caelo Herculem?  
 quid astra, genitor, quid negas? mors me tibi  
 certe remisit, omne concessit malum  
 quod terra genuit, pontus aer inferi: 15  
 nullus per urbes errat Arcadias leo,  
 Stymphalis icta est, Maenali nulla est fera;  
 sparsit peremptus aureum serpens nemus  
 et hydra vires posuit et notos Hebro  
 cruore pingues hospitum fregi greges 20  
 hostisque traxi spolia Thermodontiae.  
 vidi silentum fata nec tantum redi,  
 sed trepidus atrum Cerberum vidit dies

HERCVLES E HERCVLES OETAEVVS A scaenae inscr. om. EA

1 HERC. praef. E | excelsum A(τ) || 14 cum cesset A(τ) ||  
 15 quodcumque A(τ) |. pontus om. ψ (Vd. Ag.) || 16 argolicas  
 I. Gronov || 18 stravit N. Heinsius p. 433 || 19 virus N. Hein-  
 sius p. 434 || 20 fudi greges A || 22 v. regentem A

et ille solem. nullus Antaeus Libys  
 animam resumit, cecidit ante aras suas 25  
 Busiris, una est Geryon sparsus manu  
 taurusque populis horridus centum pavor.  
 quodcumque tellus genuit infesta occidit  
 meaque fusum est dextera: iratis deis  
 non licuit esse. si negat mundus feras, 30  
 animum noverca, redde nunc nato patrem  
 vel astra forti. nec peto ut monstres iter;  
 permitte tantum, genitor: inveniam viam.  
 vel si times ne terra concipiat feras,  
 properet malum quodcumque, dum terra Herculem 35  
 habet videtque: nam quis invadet mala  
 aut quis per urbes rursus Argolicas erit  
 Iunonis odio dignus? in tutum meas  
 laudes redegisti, nulla me tellus silet:  
 me sensit ursae frigidum Scythicae genus 40  
 Indusque Phoebos subditus, cancro Libys;  
 te, clare Titan, testor: occurri tibi  
 quacumque fulges, nec meos lux prosequi  
 potuit triumphos, solis excessi vices  
 intraque nostras substitit metas dies. 45  
 natura cessit, terra defecit gradum:  
 lassata prior est. nox et extremum chaos  
 in me incucurrit: inde ad hunc orbem redi,  
 nemo unde retro est. tulimus Oceani minas,  
 nec ulla valuit quaterere tempestas ratem 50  
 quancumque pressi — pars quota est Perseus mei?

26 est om. E || 28 infestum α || 29 dextera A(τ) | iratis  
 dies E || 30 sic negat A || 31 dominum ci. Peiper | coërcam E  
 nimium novercae N. Heinsius p. 434 tandem novercae Leo. Cf.  
 Ovid. M. IX 198: defessa iubendo est saeva Iovis coniunx  
 (Melzer p. 12 n.) || 32 redde astra ci. Richter || 39 recepi A ||  
 40 Scythie A(τ) || 41 cancri E || 43 fuges E || 45 infraque ω  
 corr. Gronov || 47 laxata per me nox A l. peior n. ci. Gronov ||  
 48 cucurrit A || 49 unde omne E unde nemo A | retro est E  
 retro (om. est) A corr. α || 51 pressit E | pars quota est quam  
 prosequor A cf. Melzer p. 12

iam vacuus aether non potest odio tuae  
 sufficere nuptae quasque devincam feras  
 tellus timet concipere nec monstra invenit.  
 ferae negantur: Hercules monstri loco 55  
 iam coepit esse; quanta enim fregi mala,  
 quot scelera nudus! quicquid immane obstitit,  
 solae manus stravere; nec iuvenis feras  
 timui nec infans. quicquid est iussum, leve est,  
 nec ulla nobis segnis illuxit dies. 60  
 o quanta fudi monstra quae nullus mihi  
 rex imperavit! institit virtus mihi  
 Iunone peior. sed quid inpavidum genus  
 fecisse prodest? non habent pacem dei:  
 purgata tellus omnis in caelo videt. 65  
 quodcumque timuit: transtulit Iuno feras.  
 ambit peremptus cancer ardentem plagam  
 Libyaeque sidus fertur et messes alit;  
 annum fugacem tradit Astraeo leo,  
 at ille, iactans fervidam collo iubam, 70  
 austrum madentem siccatur et nimbos rapit.  
 invasit omnis ecce iam caelum fera  
 meque antecessit: victor e terris meos  
 specto labores, astra portentis prius  
 ferisque Iuno tribuit, ut caelum mihi 75  
 faceret timendum. sparserit mundum licet  
 caelumque terris peius ac peius Styge  
 irata faciat, dabitur Alcidae locus.  
 si post feras, post bella, post Stygium canem  
 haud dum astra merui, Siculus Hesperium latus 80  
 tangat Pelorus, una iam tellus erit;  
 illinc fugabo maria: si iungi iubes,  
 committat undas Isthmos, et iuncto salo  
 nova ferantur Atticae puppes via.

52 uagus E | potuit E || 56 quanta nunc *ω* corr. Bothe ||  
 64 fregisse E || 65 omne iam *ci. Richter, cf. v. 72* || 68 men-  
 ses E || 69 fugate A || 70 caelo iubam EA corr. α || 71 nimbos  
 trahit A || 76 faciat A(τ) || 77 leuius styge E || 80 nondum A

mutetur orbis, vallibus currat novis	85
Hister novasque Tanais accipiat vias.	
da, da tuendos, Iuppiter, saltem deos:	
illa licebit fulmen a parte auferas,	
ego quam tuebor. sive glaciale polum,	
seu me tueri fervidam partem iubes,	90
hac esse superos parte securos puta.	
Cirrhæa Pæan templa et ætheriam domum	
serpente caeso meruit: o quotiens iacet	
Python in hydra! Bacchus et Perseus deis	
iam se intulere: sed quota est mundi plaga	95
oriens subactus aut quota est Gorgon fera?	
quis astra natus laudibus meruit suis	
ex te et noverca? quem tuli mundum peto.	
Sed tu, comes laboris Herculei, Licha,	
perfer triumphos, Euryti victos lares	100
stratumque regnum. vos pecus rapite ocius	
qua templa tollens acta Cenæi Iovis	
austro timendum spectat Euboicum mare.	

## CHORVS

Par ille est superis cui pariter dies	
et fortuna fuit, mortis habet vices	105
lente cum trahitur vita gementibus.	
quisquis sub pedibus fata rapacia	
et puppem posuit fluminis ultimi,	
non captiva dabit bracchia vinculis	
nec pompæ veniet nobile ferculum:	110
numquam est ille miser cui facile est mori.	

93 at quotiens A a qu. *ci. Peiper* || 100 Euryta E || 102 pol-  
lens ara E (*et sic Birt 533*) tollens ara A *corr. Rutgers p. 92* ||  
103 astro A || *Scaenam post prologum mutari\** vidit *Melzer p. 11* ||  
IOLE in *inscr. add. ψ* || 108 luminis A(τ) liminis ψ

\*) In prologo Euryti regnum in Eubœa habes (v 100), tum virgines captæ patriam Oechaliæ profitentur Aetoliam (125 sqq.), Ioles lamenta Trachine audiuntur ante regiam (v. 195. 224). En diversa primi actus lineamenta! Vide notam titulo subiectam p. 319.

illum si medio decipiat ratis  
 ponto, cum Borean expulit Africus  
 aut Eurus Zephyrum, cum mare dividunt,  
 non puppis lacerae fragmina conligit, 115  
 ut litus medio speret in aequore:  
 vitam qui poterit reddere protinus,  
 solus non poterit naufragium pati.

Nos turpis macies et lacrimae tenent  
 et crinis patrio pulvere sordidus. 120

nos non flamma rapax, non fragor obruit:  
 felices sequeris, mors, miseros fugis,  
 stamus, nec patriae messibus heu locus  
 at silvis dabitur, lapsaque sordidae  
 fient templa casae; iam gelidus Dolops 125

hac ducet pecudes qua tepet obrutus  
 stratae qui superest Oechaliae cinis.  
 illo Thessalicus pastor inops loco  
 indocta referens carmina fistula  
 cantu nostra canet tempora flebili; 130

et dum pauca deus saecula contrahet,  
 quaeretur patriae quis fuerit locus.  
 felix incolui non steriles focos  
 nec ieiuna soli iugera Thessali:  
 ad Trechina vocor, saxa rigentia 135

et dumeta iugis horrida torridis,  
 vix gratum pecori montivago nemus.  
 at si quas melior sors famulas vocat,  
 illas aut volucer transferet Inachus  
 aut Dircaea colent moenia, qua fluit 140

118 naufragium non poterit pati A || 121. 122 *del. Tachau Philol.* 46, 379 || 123 stamus nec patriis E | moenibus h. l. A quo stamus, patriae messibus h. l. N. Heinsius p. 437 Leo ci.: stamus nec patria est: mess. h. l. cf. Birt p. 534 (*Tachau l. n. ci. sqalet, sc. crinis*), Richter *ymb.* p. 38 || 124 et  $\omega$  corr. Scaliger || 126 qua patet E q. patet obrutae Stratus Birt || 127 echelidae E etholiae  $\psi$  || 128 in oppido  $\omega$  corr. Richter l. n. || 131 cum Bentley | contrahit A || 133 locos A || 135 trochina E (trechina  $\Sigma$ ) carcina A $\tau$  || 140 colunt A( $\tau$ ) | fugit  $\psi$  (B 10 Ag.)

Ismenos tenui flumine languidus — hic mater tumidi nupserat Herculis.	142
Falsa est de geminis fabula noctibus, aether cum tenuit sidera longius commisitque vices Lucifer Hespero et Solem vetuit Delia tardior:	147
quae cautes Scythiae, quis genuit lapis? num Titana ferum te Rhodope tulit, te praeruptus Athos, te fera Caspias, quae virgata tibi praebuit ubera?	150
nullis vulneribus pervia membra sunt: ferrum sentit hebes, lentior est chalybs; in nudo gladius corpore frangitur et saxum resilit, fataque negligit et mortem indomito corpore provocat.	143
non illum poterant figere cuspides, non arcus Scythica tensus harundine, non quae tela gerit Sarmata frigidus aut qui soliferae suppositus plagae vicino Nabatae vulnera dirigit	145
Parthus Gnosiacis certior ictibus. muros Oechaliae corpore propulit, nil obstare valet; vincere quod parat iam victum est — quota pars vulnere concidit? pro fato patuit vultus iniquior	146
et vidisse sat est Herculeas minas. quis vastus Briareus, quis tumidus Gyas, supra Thessalicum cum stetit aggerem caeloque inseruit vipereas manus,	151
	155
	160
	165

141 Ismenon E || 142 del. Peiper || post 142 traiecit Leo  
v. 147—150 || 144 ferunt A(2) ferunt? te A || 145 caseta A  
caspia α || 150 soles A || 151 monstra sunt A || 152 sensit A ||  
155 Martem Peiper || 160 vicinus ψ(E<sup>2</sup>) || 162 oetholie A(2) ||  
163 potuit EA(?) corr. ψ (Ag. Vd.) || 166 et vicisse s. e. Hercu-  
leis minis A || 167 qui — qui A | gigans E gigas A corr. Delrio ||  
168 subter Thessalicum stetit aggerem E supra Thessalicos con-  
stitit aggeres A corr. Gronov (cum stetit Σ) || 169 caeloque in-  
sereret vipereas minas E c. ut insereret v. manus A corr. Gronov



hoc vultu riguit? commoda cladibus 170  
 magnis magna patent; nil superest mali:  
 iratum miserae vidimus Herculem.

## IOLE

At ego infelix non templa suis  
 conlapsa deis sparsosve focos,  
 natis mixtos arsisse patres 175  
 hominique deos, templa sepulchris,  
 nullum querimur commune malum:  
 alio nostras fortuna vocat  
 lacrimas, alias flere ruinas

Me fata iubent. 180  
 quae prima querar? quae summa gemam?  
 pariter cuncta a deflere iuvat  
 nec plura dedit pectora Tellus  
 ut digna sonent verbera fatis.  
 me vel Sipylum flebile saxum 185  
 fingite, superi, vel in Eridani  
 ponite ripis, ubi maesta sonat  
 Phaetontiadum silva sororum;  
 me vel Siculis addite saxis,  
 ubi fata gemam Thessala Siren, 190  
 vel in Edonas tollite silvas

172 miseri E || 173—209 dimetri claudente monometro ω nisi quod binis trimetris 207—209 (vidi — iacuit) in E, 218—220 (iam iam — mihi) in A descripti sunt, monometri in E extant 184 (verb. f.) et 212 (quaer. e.) || 175 n. m. | a. p. duobus versibus E || 180 mea ω corr. Rapheling || 181 E: Quae summa gemam? pariter | Casusque tuos respicis amens? omissis vv. 182—225, quos tamen m. 1 folio minore, a quaternione alieno exaravit || 182 cuncta EA corr. Richter | post iuvat lacunam statuit D. Heinsius quam Gronovius sic explendam censuit: [cur non oculos plures nobis] nihil desiderat Bentley (nec causali sensu positum) || 184 verbera planctu A || 185 si syphum E sisiphi A (sipyli ψ) corr. Gronov || 186 figat superi A || 188 phoetontia dum. E | turba sororum A || 190 gemit A | sirene E | 191 edonias EA corr. ψ | ponite E

qualis natum Daulias ales  
 solet Ismaria flere sub umbra;  
 formam lacrimis aptate meis  
 resonetque malis aspera Trachin. 195

Cyprias lacrimas Myrrha tuetur,  
 raptum coniunx Ceyca gemit,  
 sibi Tantalus est facta superstes;  
 fugit vultus Philomela suos.  
 natumque sonat flebilis Atthis: 200  
 cur mea nondum capiunt volucres  
 bracchia plumas? felix, felix,  
 cum silva domus nostra feretur,  
 patrioque sedens ales in agro  
 referam querulo murmure casus 205  
 volucremque Iolen fama loquetur.

Vidi, vidi  
 miseranda mei fata parentis,  
 cum letifero stipite pulsus  
 tota iacuit sparsus in aula: 210  
 a si tumulum fata dedissent,  
 quotiens, genitor, quaerendus eras?  
 potuine tuam spectare necem,  
 nondum teneras vestite genas  
 necdum forti sanguine, Toxeu?  
 quid vestra queror fata, parentes, 215  
 quos in tutum mors aequa tulit?  
 mea me lacrimas fortuna rogat.

Iam iam dominae captiva colus  
 fusosque legam. pro saeve decor  
 formaque mortem paritura mihi, 220  
 tibi cuncta domus concidit uni,

192 daunias A(τ) || 196 cypria E Cinyrae ci. Peiper | myrtha E ||  
 199 fylomela E philomena A || 200 flebilis ltyu A || 202 bra-  
 chia E || 205 qua. erulo E | m. questus A || 206 Iolem turba l. A ||  
 208 fama E | quin (i. e. quin) laetif. E || 211 si tum. E pro si t. A  
 corr. de Wilamowitz || 214 fortis A | textum E || 215 querar A ||  
 217 om. A(τ) || 218 colos A || 219 pro saepe dolor A || 221 con-  
 cipit E contigit A corr. ψ

dum me genitor negat Alcidae  
atque Herculeus socer esse timet.  
sed iam dominae tecta petantur.

CHOR. Quid regna tui clara parentis 225  
casusque tuos respicis amens?  
fugiat vultus fortuna prior.  
felix quisquis novit famulum  
regemque pati  
vultusque suos variare potest. 230  
rapuit vires pondusque malis  
casus animo qui tulit aequo.

## NVTRIX DEIANIRA LICHAS TACITVS

O quam cruentus feminas stimulat furor,  
cum patuit una paelici et nuptae domus!  
Scylla et Charybdis Sicula contorquens freta 235  
minus est timenda, nulla non melior fera est.  
namque ut reluxit paelicis captae decus  
et fulsit Iole qualis innubis dies  
purisve clarum noctibus sidus micat,  
stetit furenti similis ac torvum intuens 240  
Herculea coniunx; feta ut Armenia iacens  
sub rupe tigris hoste conspecto exilit  
aut iussa thyrsu quatere conceptum ferens  
Maenas Lyaeum, dubia quo gressus ferat  
haesit parumper; tum per Herculeos lares 245  
attonita fertur; tota vix satis est domus:  
incurrit, errat, sistit, in vultus dolor  
processit omnis, pectori paene intimo

226 proavosque tuos A || 228 patiens quisquis A (sapiens D. Heinsius) || 229 vultusque — potest om. A(?) del. Peiper || 230 pepulit vires A || 231 mali ω corr. Bothe (malo Gronov) || supra v. 233 DELANIRA E (sic ubique) Lichae mentionem om. ω || 233 NVI. praef. E | stim. dolor A || 236 m. timendae Leo || 237 decor N. Heinsius p. 437 coll. v. 219 || 238 in nubes E || 239 purumue claris A || 241 armento iacens A || 243 gerens ci. Richter || 244 gressus agat A || 246 lymphata rapitur, tota A || 247 vultus ω (sed vultus E fere ubique in hac fabula) || 248 omnes E

nihil est relictum; fletus insequitur minas.  
 nec unus habitus durat aut uno furit 250  
 contenta voltu: nunc inardescunt genae,  
 pallor ruborem pellit et formas dolor  
 errat per omnes: queritur, implorat, gemit.  
 sonuere postes: ecce praecipiti gradu  
 secreta mentis ore confuso exerit. 255

DEI. Quaecumque partem sedis aetheriae premis,  
 coniunx Tonantis, mitte in Alciden feram  
 quae mihi satis sit. si qua fecundum caput  
 palude tota vastior serpens movet,  
 ignara vinci, si quid excessit feras 260  
 immane dirum horribile, quo viso Hercules  
 avertat oculos, hoc specu immenso exeat.  
 vel si ferae negantur, hanc animam precor  
 converte in aliquod: quodlibet possum malum  
 hac mente fieri. commoda effigiem mihi 265  
 parem dolori: non capit pectus minas.  
 quid excutis telluris extremae sinus  
 orbemque versas? quid rogas Ditem mala?  
 omnes in isto pectore invenies feras  
 quas timeat; odiis accipe hoc telum tuis: 270  
 ego sim noverca. perdere Alciden potes:  
 perfer manus quocumque; quid cessas, dea?  
 utere furente! quod iubes fieri nefas?  
 reperi, quid haeres? ipsa iam cesses licet,  
 haec ira satis est. NVT. Pectoris sani parum 275  
 aestus, alumna, comprime et flammam doma;  
 frena dolorem. coniugem ostende Herculis.  
 DEI. Iole meis captiva germanos dabit

249 ins. genas A || 251 vultu A ut ubique || 255 exerit E ||  
 256 quaecumque E || 261 quod E || 262 sinu imm. A || 264 ali-  
 quid ψ aliud N. Heinsius p. 437 || 269 inuenias A || 270 ti-  
 muit E || 271 sum ω corr. Birt || 273 fiet nefas α || 274 peperit EA  
 corr. ψ (Vd.) || 275 ira fati est E | NVN. E || 276 alumna, questus ω  
 corr. N. Heinsius p. 439 || 278 Illi meis A(τ)

natis Iovisque net ex famula nurus?  
 num flamma cursus pariter et torrens ferent 280  
 et ursa pontum sicca caeruleum bibet?  
 non ibo inulta: gesseris caelum licet  
 totusque pacem debeat mundus tibi,  
 est aliquid hydra peius: iratae dolor  
 nuptae. quis ignis tantus in caelum furit 285  
 ardentis Aetnae? quicquid est victum tibi  
 hic vincet animus. capta praeripiet toros?  
 adhuc timebam monstra, iam nullum est malum:  
 cessere pestes, in locum venit ferae  
 invisae paelix. summe pro rector deum 290  
 et clare Titan, Herculis tantum fui  
 coniunx timentis; vota quae superis tuli,  
 cessere captae, paelici felix fui,  
 illi meas audistis, o superi, preces,  
 incolumis illi remeat. o nulla dolor 295  
 contente poena, quaere supplicia horrida,  
 incogitata, infanda, lunonem doce,  
 quid odia valeant: nescit irasci satis.  
 pro me gerebas bella, propter me vagas  
 Achelous undas sanguine infecit suo, 300  
 cum lenta serpens fieret, in taurum trucem  
 nunc flecteret serpente deposita minas,  
 et mille in hoste vinceris uno feras.  
 iam displicemus, capta praelata est mihi.  
 non praeferetur: qui dies thalami ultimus 305  
 nostri est futurus, hic erit vitae tuae.  
 quid hoc? recedit animus et ponit minas;  
 iam cessat ira. quid miser langues dolor?  
 perdis furorem, coniugis tacitae fidem

280 Non fl. EA corr.  $\psi$  | feret EA corr.  $\psi$  || 283 mundus michi E || 284 h. potius A(τ) || 286 haethnae E || 290 protector  $\omega$  corr. Lipsius || 291 coniunx. Timentis Birt p. 535 Hercules t. fuit ci. Koetschau, at cf. Melzer p. 33 || 295 incolumes E || 301 cum E || 303 ut mille Peiper || 307 resedit ci. Wüstemann || 308 cessit  $\omega$  corr. Iortinus Misc. obs. I 72 || 309 coni. sanctae A

mihi reddis iterum. — quid vetas flammas ali? 310  
 quid fragnis ignes? hunc mihi serva impetum,  
 pares eamus, non erit votis opus:  
 aderit noverca quae manus nostras regat  
 vel invocata. NVT. Quod paras demens scelus?  
 perimes maritum, cuius extremus dies 315  
 primusque laudes novit et caelo tenus  
 erecta terras fama suppositas habet?  
 Graiorum in istos terra consurget lares  
 domusque soceri prima et Aetolum genus  
 sternetur omne, saxa iam dudum ac faces 320  
 in te ferentur, vindicem tellus suum  
 defendet omnis: una quot poenas dabis?  
 effugere terras crede et humanum genus  
 te posse, fulmen genitor Alcidae gerit:  
 iam iam minaces ire per caelum faces 325  
 specta et tonantem fulmine excusso diem.  
 mortem quoque ipsam, quam putas tutam, time:  
 dominatur illic patruus Alcidae tui.  
 quocumque perges, misera, cognatos deos  
 illic videbis. DEI. Maximum fieri scelus 330  
 et ipsa fateor, sed dolor fieri iubet.  
 NVT. Moriere. DEI. Moriar Herculis nempe incluti  
 coniunx nec ullus nocte discussa dies  
 viduam notabit nec meos paelex toros  
 captiva capiet. ante ab occasu dies 335  
 nascetur, Indos ante glacialis polus  
 Scythasve tepida Phoebus inficiet rota,  
 quam me relictam Thessalae aspiciant nurus.  
 meo iugales sanguine extinguam faces.

312 patres erimus E pares eramus A corr. *Madvig II 125*  
 (coimus ci. *Gronov ferimus Birt*) || 314 nec invocata ω corr.  
*Richter coll. 312* || 317 flamma A(τ) || 318 Angor. in istos E  
 corr. *Leo I 3* (Argorum *Birt*) Rogos in i. t. c. parens A || 320 ster-  
 netur omne, nam tuum gens Herculem A || 321 om. A || 322 de-  
 fendit o. A || 326 specto N. *Heinsius p. 440* || 329 pergis A(τ) ||  
 330 illi *Gronov* || 332 NVN. E | nempe om. E || 336 n. Indis, a.  
 glaciale polum A || 337 afficiet A || 338 inspiciant E || 339 iugali A(τ)

aut pereat aut me perimat; elisis feris 340  
 et coniugem addat, inter Herculeos licet  
 me quoque labores numeret: Alcidae toros  
 moritura certe corpore amplectar meo.  
 ire, ire ad umbras Herculis nuptam libet,  
 sed non inultam: si quid ex nostro Hercule 345  
 concepit Iole, manibus evellam meis  
 ante et per ipsas pælicem invadam faces.  
 me nuptiali victimam feriat die  
 infestus, Iolen dum supra exanimem ruam.  
 felix iacet quicumque quos odit premit. 350  
 NVT. Quid ipsa flammis pascis et vastum foves  
 ultro dolorem? misera, quid cassum times?  
 dilexit Iolen: nempe cum staret parens  
 regisque natam peteret. in famulae locum  
 regina cecidit: perdidit vires amor 355  
 multumque ab illa traxit infelix status.  
 illicita amantur, excidit quicquid licet.  
 DEL. Fortuna amorem peior inflammat magis:  
 amat vel ipsum quod caret patrio lare,  
 quod nudus auro crinis et gemma iacet, 360  
 ipsas misericors forsitan aerumnas amat;  
 hoc usitatum est Herculi: captas amat.  
 NVT. Dilecta Priami nempe Dardanii soror  
 concessa famula est; adice quot nuptas prius,  
 quot virgines dilexit: erravit vagus. 365  
 Arcadia nempe virgo, Palladios choras  
 dum nequit, Auge, vim stupri passa excidit  
 nullamque amoris Hercules retinet notam.

340 ante elisis spatium relictum XIII litterarum E (Ribb.) ||  
 344 Herculi iunctam licet A || 346 avellam Eψ || 352 ultro  
 d. | misera q. c. t. E | casum ω corr. Lipsius || 353 dum starent  
 lares A || 354 enim fam. l. E || 356 vultumque E | illo ω corr.  
 N. Heinsius p. 441 | statu A(τ) | versum del. Tachau p. 736  
 coll. 394 sq. || 359 ipsam ψ || 362 om. E | nutrici datur A corr.  
 Delrio || 363 priamo A || 364 famulo ψ || 366 archadia E ||  
 368 retinet Herculei notam A retinet Herculis notam E corr.  
 Leo I 3

referam quid alias? nempe Thespiades vacant  
 brevique in illas arsit Alcides face. 370  
 hospes Timoli Lydiam fovit nurum  
 et amore captus ad leves sedit colus,  
 udum feroci stamen intorquens manu.  
 nempe illa cervix spolia deposuit ferae  
 crinemque mitra pressit et famulus stetit, 375  
 hirtam Sabaea marcidus myrrha comam:  
 ubique caluit, sed levi caluit face.  
 DEI. Haerere amantes post vagos ignes solent.  
 NVT. Famulamne et hostis praeferet gnatam tibi?  
 DEI. Vt alta silvas forma vernantes habet, 380  
 quas nemore nudo primus investit tepor,  
 at cum solutos expulit Boreas Notos  
 et saeva totas bruma discussit comas,  
 deforme solis aspicias truncis nemus:  
 sic nostra longum forma percurrens iter 385  
 deperdit aliquid semper et fulget minus  
 nec illa vetus est. quicquid in nobis fuit  
 olim petatum cecidit aut pariter labat.  
 aetas citato senior eripuit gradu 390  
 materque multum rapuit ex illo mihi. 389  
 vides ut altum famula non perdat decus? 391  
 cessere cultus penitus et paedor sedet;

369 Thespidēs E mene Thespiades vocant? A || 370 in illis  
*N. Heinsius* || 371 h. tymolidiam f. n. E || 372<sup>o</sup> meroque *N. Heinsius*  
*p. 441 coll. v. 572* | colos ω || 373 unum A colum f. E corr.  
*G. Canter nov. lect. p. 137* (tenerum *Birt*) | tamen E || 374 Ne-  
 meaea c. *N. Heins. p. 442* || 378 nutricis notam huc transtulit  
*ex v. 379 E* || 379 famulam nec h. E | galatam E || 380—390 cf.  
*Leo I 194 sqq. M. Müller p. 44 sqq.* || 380 ut laeta *Madvig*  
*II 126, at cf. v. 391* | uern. alit A || 381 cum nemora nuda  
*ci. Leo* || 382 extulit vel excutit ψ (*illud Vd. Ag. hoc R 10*) ||  
 383 decussit A || 384 aspicit E || 387 nec illa uenus est E  
 corr. *Baehrens* (haec illa *Venus Kiefsling*) malisque minus est A ||  
 388 et pariter E corr. *M. Müller*, et partu A | (labor Mater-  
 que *ci. Leo*) || 390 del. *Habrucker*, ante v. 389 posuit *M. Müller* |  
 ex isto mihi *Bentley* || 392 nullus ω corr. *D. Heinsius* (*N. Heins.*  
*p. 443*)



tamen per ipsas fulget aerumnas decor  
 nihilque ab illa casus et fatum grave  
 nisi regna traxit. hic meum pectus timor, 395  
 altrix, lacessit, hic rapit somnos pavor.  
 praeclara totis gentibus coniunx eram  
 thalamosque nostros invido voto nurus  
 optabat omnis, quaeve mens quicquam deos  
 orabat ullos: nuribus Argolicis fui 400  
 mensura voti. quem Iovi socerum parem,  
 altrix, habebō? quis sub hoc mundo mihi  
 dabitur maritus? ipse, qui Alcidae imperat,  
 facibus suis me iungat Eurystheus licet,  
 minus est; toris caruisse regnantis leve est: 405  
 alte illa cecidit quae viro caret Hercule.  
 NVT. Conciliat animos coniugum partus fere.  
 DEI. Hic ipse forsan dividet partus toros.  
 NVT. Famula illa trahitur interim donum tibi.  
 DEI. Hic quem per urbes ire praeclarum vides 410  
 et fulva tergo spolia gestantem ferae,  
 qui regna miseris donat et celsis rapit,  
 vasta gravatus horridam clava manum,  
 cuius triumphos ultimi Seres canunt  
 et quisquis alius orbe †concepto iacet, 415  
 levis est nec illum gloriae stimulat decor;  
 errat per orbem, non ut aequetur Iovi  
 nec ut per urbes magnus Argolicas eat:  
 quod amet requirit, virginum thalamos petit.  
 si qua est negata, rapitur; in populos furit, 420  
 nuptas ruinis quaerit et vitium impotens

395 hinc A || 396 hinc A || 398 inv. fato A || 399 obtabat E |  
 quae nimis quisquis deos A || 400 fuit E || 401 m. v. Iuno quem  
 s. p. E || 402 qui E || 405 toros meruisse A | regnante E || 406 alte  
 iam cec. E || 407—439 om. E (in mg. deficit hic multum E<sup>2</sup>) ||  
 408 sic ipse ω corr. N. Heinsius p. 444 || 410 hunc ψ (Vd. Ag.) |  
 perclarum M || 411 et uiva ω corr. N. Heinsius p. 443 || 412 ceu  
 regna M || 415 concepto ΣA consepito ψ consumpto ci. Grote  
 confecto Gronov composito Peiper contemptor Richter || 420 ra-  
 pitur Σψ capitur A

virtus vocatur. cecidit Oechalia inclita  
 unusque Titan vidit atque unus dies  
 stantem et cadentem; causa bellandi est amor.  
 totiens timebit Herculi natam parens 425  
 quotiens negabit, hostis est quotiens socer  
 fieri recusat: si gener non fit, ferit.  
 post haec quid istas innocens servo manus,  
 donec furentem simulet ac saeva manu  
 intendat arcus meque natumque opprimat? 430  
 sic coniuges expellit Alcides suas,  
 haec sunt repudia; nec potest fieri nocens:  
 terris videri sceleribus causam suis  
 fecit novercam. quid stupes, segnis furor?  
 scelus occupandum est: perage dum fervet manus. 435  
 NVT. Perimes maritum? DEI. Paelicis certe meae.  
 NVT. At Iove creatum. DEI. Nempe et Alcmena satum.  
 NVT. Ferrone? DEI. Ferro. NVT. Si nequis? DEI. Per-  
 imam dolo.  
 NVT. Quis iste furor est? DEI. Quem meus coniunx  
 docet.  
 NVT. Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum? 440  
 DEI. Caelestis ira quos premit, miseros facit:  
 humana nullos. NVT. Parce, miseranda, et time.  
 DEI. Contempsit omnes ille qui mortem prius;  
 libet ire in enses. NVT. Maior admissio tuus,  
 alumna, dolor est; culpa par odium exigat. 445  
 cur saeva modicis statuis? ut laesa es, dole.  
 DEI. Leve esse credis paelicem nuptae malum?  
 quicquid dolorem pascit, hoc nimium puta.  
 NVT. Amorne clari fugit Alcidae tibi?  
 DEI. Non fugit, altrix, remanet et penitus sedet 450

422 etholia A(τ) || 427 non est ω corr. N. Heinsius p. 444 ||  
 435 perge ω corr. Peiper || 440 nov. perimit A(τ) || 442<sup>b</sup>—  
 444\* (NVT. parce — enses) om. E (in marg.: deficit hic E<sup>2</sup> ||  
 443 nutrici continuatur A || 445 culpa propius exigat E || 446 ut  
 passa es A || 447 paelicis ω corr. Gronov || 448 id nim. A | versus  
 nutrici datur ψ (Vd. Ag.)

fixus medullis, crede; sed magnus dolor  
 iratus amor est. NVT. Artibus magicis fere  
 coniugia nuptae precibus admixtis ligant.  
 vernare iussi frigore in medio nemus  
 missumque fulmen stare; concussi fretum 455  
 cessante vento, turbidum explicui mare  
 et sicca tellus fontibus patuit novis;  
 habuere motum saxa, discussi fores  
 umbrasque Ditis, et mea iussi prece  
 manes locuntur, tacuit infernus canis; 460  
 nox media solem vidit et noctem dies: 462  
 mare terra caelum et Tartarus servit mihi 461  
 nihilque leges ad meos cantus tenet:  
 flectemus illum, carmina invenient iter.  
 DEI. Quas Pontus herbas generat aut quas Thessala 465  
 sub rupe Pindus alit: ubi inveniam malum  
 cui cedat ille? carmine in terras mago  
 descendat astris Luna desertis licet  
 et bruma messes videat et cantu fugax  
 stet deprehensum fulmen et versa vice 470  
 medius coactis ferveat stellis dies:  
 non flectet illum. NVT. Vicit et superos Amor.  
 DEI. Vincetur uni forsitan et spolium dabit  
 Amorque summus fiet Alcidae labor. —  
 sed te per omne caelitum numen precor, 475  
 per hunc timorem: quicquid arcani apparō  
 penitus recondas et fide tacita premas.

452 fare E || 455 mixtumque flumen E || 458 discussi  
 arbores *ci. Birt* discussi inferos *Leo* || 459 umbrae stetit *ω*  
*corr. Richter symb. p. 38* (undae *Birt*) || 460 sonuit A novit E  
*corr. Leo I 224* || 461 *om. E, post 462 posuit Bothe* || 463 te-  
 nent *ω corr. ψ* || 465 quae Th. A(τ) || 466 aluit E aut A(τ)  
*corr. Peiper* (tale ubi *Birt*) || 467 terris E || 468 descendat  
 in astra luna discedat licet E || 470 sit depr. A | f. ad-  
 versa v. E || 471 m. c. fugerit A || 472 n. f. unum EA  
 (visum *ψ*) *corr. Richter* (sic teste *Leone cod. Laur. 37, 6*) |  
*versus totus Deianirae est E* || 477 fidem tacitam exprima-  
 mas E

NVT. Quid istud est quod esse secretum petis?

DEI. Non tela sunt, non arma, non ignis minax.

NVT. Praestare fateor posse me tacitam fidem, 48  
si scelere careat: interim scelus est fides.

DEI. Circumspice agedum, ne quis arcana occupet,  
partemque in omnem vultus inquirens eat.

NVT. En locus ab omni tutus arbitrio vacat.

DEI. Est in remoto regiae sedis loco 48  
arcana tacitus nostra defendens specus.

non ille primos accipit soles locus,  
non ille seros, cum ferens Titan diem  
lassum rubenti mergit Oceano iugum.

illic amoris pignus Herculei latet. 49

altrix, fatebor: auctor est Nessus mali  
quem gravida Nephele Thessalo genuit duci,  
qua trepidus astris inserit Pindus caput  
ultraque nubes Othrys eductus riget.

namque ut subactus Herculis clava horridi 49  
Achelous omnis facilis in species dari

tandem peractis omnibus patuit feris  
unoque turpe subdidit cornu caput,  
me coniugem dum victor Alcides habet,  
repetebat Argos. forte per campos vagus 50

Euenos altum gurgitem in pontum ferens  
iam paene summis turbidus silvis erat.

transire Nessus verticem solitus vadis  
pretium poposcit; meque iam dorso ferens  
qua iungit hominem spina deficiens equo, 50  
frangebat ipsas fluminis tumidi minas.

478 secr. iubes A || 479 minae A || 482 aucupet Scaliger  
485 sedis egregiae loco A || 486 def. locus A || 488 cum auferens  
Richter, post 488 lacunam statuit Leo || 489 lassam A | diem E  
rotam A corr. M. Müller p. 48 coll. v. 781 || 490 illinc E  
491 Nessus est auctor A || 492 nefele E nubes A || 493 qua  
celsus A qua aetherius Leo q. rigidus O. Rofsbach || 494 eductus  
rubes E || 496 omnes A faciles inspicies E || 498 turpis A || 501 he-  
benus A || 502 ripis erat A || 503 solitus vagus E s. vagum A  
corr. ψ || 504 gerens Bentley

iam totus undis Nessus exierat ferox  
 medioque adhuc errabat Alcides vado,  
 vasto rapacem verticem scindens gradu;  
 at ille ut esse vidit Alciden procul: 510  
 'tu praeda nobis' inquit 'et coniunx eris;  
 prohibetur undis', meque complexus ferens  
 gressum citabat; non tenent undae Herculem:  
 'infide vector' inquit 'immixti licet  
 Ganges et Hister vallibus iunctis eant, 515  
 vincemus ambos, consequar telo fugam.'  
 praecessit arcus verba; tum longum ferens  
 harundo vulnus tenuit haerentem fugam  
 mortemque fixit. ille, iam quaerens diem,  
 tabum fluente volneris dextra excipit 520  
 traditque nobis unguulae insertum suae,  
 quam forte saeva sciderat avolsam manu.  
 tunc verba moriens addit: 'hoc' inquit 'magae  
 dixere amorem posse defigi malo;  
 hoc docta Mycale Thessalas docuit nurus, 525  
 unam inter omnis Luna quam sequitur magas  
 astris relictis. inlitas vestes dabis  
 hac' inquit 'ipsa tabe, si paelex tuos  
 invisita thalamos tulerit et coniunx levis  
 aliam parenti dederit altisono nurum. 530  
 hoc nulla lux conspiciat, hoc tenebrae tegant  
 tantum remotae: sic potens vires suas  
 sanguis tenebit.' verba deprendit quies  
 mortemque lassis intulit membris sopor.  
 tu, quam meis admittit arcanis fides, 535  
 perge ut nitentem virus in vestem datum

510 ast A | Alcidem  $\omega$  corr. Bothe || 512 complexam A ||  
 514 victor E | immixtus E $\psi$  || 516 consequitur A || 520 tabem A ||  
 duentis A fluentem (sc. tabem) ci. *Burmam*, corr. *Leo II 383* ||  
 521 unguula insertam sua A || 523 tum A || 525 monuit (vel mouit)  
 nurus A || 526 omnes A | magam A || 534 impulit E || 536 ni-  
 centes v. in vestes satum A | post perge tale quid excidisse  
 suspicatur *Richter symb. p. 6* (atque pignus veneris arcano  
 e loco Prome) ut nit.

mentem per artus adeat et tacitum meams  
 intret medullas. NVT. Ocius iussa exequar,  
 alumna, precibus tu deum invictum advoca,  
 qui certa tenera tela dimittit manu. 540  
 DEI. Te deprecor, quem mundus et superi timent  
 et aequor et qui fulmen Aetnaeum quatit,  
 timende matri te aliger saevae puer:  
 intende certa spiculum velox manu,  
 non ex sagittis levibus: e numero precor 545  
 graviore prome quod tuae nondum manus  
 misere in aliquem; non levi telo est opus,  
 ut amare possit Hercules. rigidas manus  
 intende et arcum cornibus iunctis para.  
 nunc, nunc sagittam prome qua quondam horridum 550  
 Iovem petisti, fulmine abiecto deus  
 cum fronte subita tumuit et rabidum mare  
 taurus puellae vector Assyriae scidit;  
 immitte amorem, vincat exempla omnia:  
 amare discat coniugem. si quas decor 555  
 Ioles inussit pectori Herculeo faces,  
 extingue totas, perbibat formam mei.  
 tu fulminantem saepe domuisti Iovem,  
 tu furva nigri sceptrata gestantem poli,  
 turbae ducem maioris et dominum Stygis, 560  
 tuque o noverca gravior irata deus,  
 cape hunc triumphum solus et vince Herculem.  
 NVT. Prolata vis est quaeque Palladia colu  
 lassavit omnem texta famularum manum.

537 tactus sinus A tacitus mās E corr. Richter *ibid.* (tacite  
 intimas *ci. Koetschau coll. Med. 818 Thy. 97*) || 538 i. ad med. E |  
 NVN. E || 541 te te precor A || 542 quatis Bothe || 543 t. m.  
 teliger A || 545 ex umero E || 546 gravi deprome E graviore  
 profer A corr. ψ || 548 rigida manu N. Heinsius *p. 447* ||  
 550 condam E | horridus A || 552 timuit A(τ) | rapidum A ||  
 553 excidit E || 555 coniuges A || 556 immisit Ioles A || 557 flam-  
 mas mei A || 559 fulva EA corr. ψ || 561 tu qui nov. A || 562 solus  
 evince A || 563 colis E colus A corr. ψ (*Ag. Vd.*) || 564 tela ψ |  
 fabularum manus E famularem manum A corr. ψ

nunc congeratur virus et vestis bibat 565  
 Herculea pestem; precibus augebo malum.  
 in tempore ipso navus occurrit Lichas:  
 celanda vis est dira, ne pateant doli.  
 DEI. O quod superbae non habent umquam domus,  
 fidele semper regibus nomen Licha, 570  
 cape hos amictus, nostra quos nevit manus,  
 dum vagus in orbe fertur et victus mero  
 tenet feroci Lydiam gremio nurum,  
 dum poscit Iolen; sed iecur fors horridum  
 flectam merendo: merita vicerunt malos. 575  
 non ante coniunx induat vestes iube  
 quam ture flammās pascat et placet deos,  
 cana rigentem populo cinctus comam.  
 ipsa in penates regios gressus feram  
 precibusque Amoris horridi matrem colam. 580  
 vos, quas paternis extuli comites focis,  
 Calydoniae lugete deflendā vicem.

## CHORVS

Flemus casus, Oenei, tuos  
 comitum primos turba per annos,  
 flemus dubios, veneranda, toros. 585  
 nos Acheloi tecum solitae  
 pulsare vadum, quom iam tumidas  
 vere peracto poneret undas

565 congregetur u. ut A || 567 nouus E gnauus A || 568 pateat E corr. ψ illa ne pateant mala A || 572 orbem ω corr. N. Hein-ius p. 449 || 574 nunc posc. A | forsan E cf. Melzer p. 34 || 575 f. emerendo. m. vincunt et m. A || 576 vestes ind. coniunx A || 577 fl. spargat et poscat deos A || 578 vinctus A || 579 ad pen. A || 581 expulit E || 582 deflete lugendas vices A || 583—705 dimetri ω nisi quod 603 (fort. ruit) et 690<sup>a</sup> (nomina p.) vel 691 (m. ruinis sic E) monometri, et 623—625 duobus trimetris discripti sunt E || 583 oenee E || 584 miseranda A uenerande E corr. Gronov || 587 quum E cum A corr. Peiper (cf. 596. 607. 610) || 588 om. et i. mg. add. E<sup>1</sup> | peractos E

gracilisque gradu serperet aequo  
 nec praecipitem volveret amnem 590  
 flavus rupto fonte Lycormas;  
 nos Palladias ire per aras  
 et virgineos celebrare choros,  
 nos Cadmeis orgia ferre  
 tecum solitae condita cistis, 595  
 quom iam pulso sidere brumae  
 tertia soles evocat aestas  
 et spiciferae concessa deae  
 Attica mystas cludit Eleusin.  
 nunc quoque casum quemcumque times, 600  
 fidas comites accipe fatis:  
 nam rara fides  
 ubi iam melior fortuna ruit.  
 Tu quicumque es qui sceptras tenes,  
 licet omne tua vulgus in aula 605  
 centum pariter limina pulset:  
 quom tot populis stipatus eas,  
 in tot populis vix una fides.  
 tenet auratum limen Erinys,  
 et quom magnae patuere fores, 610  
 intrant fraudes cautique doli  
 ferrumque latens; cumque in populos  
 prodire paras, comes invidia est:  
 noctem quotiens summovet Eos,  
 regem totiens credite nasci. 615  
 pauci reges, non regna colunt:  
 plures fulgor concitat aulae;  
 cupit hic regi proximus ipsi

589 uado A | sēper et E || 591 f. rapido A | ponte N. *Hein-*  
*sius p. 449* | Lycormas E || 592 palladas E || 596 quom E cum A ||  
 598 spicē fere E || 599 claudit Eleusis A || 600 fatum quod-  
 cumque A || 605 aulā E || 607 quem E cum A | stipatus — po-  
 pulis *om. ψ (Vd. Ag.)* || 608 populos E || 609 teneat E | herinis E ||  
 610 cum A || 613 parant ω *corr. Richter* || 614 eous EA(τ) ||  
 617 conuocat A



clarus latas ire per urbes:  
 urit miserum gloria pectus; 620  
 cupit hic gazis implere famem,  
 nec tamen omnis plaga gemmiferi  
 sufficit Histri nec tota sitim  
 Lydia vincit nec quae Zephyro  
 subdita tellus stupet aurato 625  
 flumine clarum radiare Tagum;  
 nec si totus serviat Hebrus  
 ruraque dives iungat Hydaspes  
 intraque suos currere fines  
 spectet toto flumine Gangen: 630  
 avidis, avidis natura parum est.  
 colit hic reges regumque lares,  
 non ut presso vomere semper  
 numquam cesset curvus arator  
 vel mille secent arva coloni: 635  
 solas optat quas ponat opes.  
 colit hic reges, calcet ut omnes  
 perdatque aliquos nullumque levet:  
 tantum ut noceat, cupit esse potens.  
 rarum est felix idemque senex: 643  
 quota pars moritur tempore fati? 640  
 quos felices Cynthia vidit, 641  
 vidit miseros enata dies. 642  
 Caespes Tyrio mollior ostro 644  
 solet inpavidos ducere somnos; 645  
 aurea rumpunt tecta quietem  
 vigilesque trahit purpura noctes.  
 o si pateant pectora ditum!  
 quantos intus sublimis agit

619 clarus totas E clarusque A datas ψ || 623 Austri vel  
 Euri vel Indi N. Heinsius p. 450 Hermi Bentley || 627 Hermus  
 Delrio || 628 cingat A uingat E (Ribb.) || 629 extraque E ||  
 630 spectent A(τ) || 635 mille se centauria E<sup>1</sup> (cf. Leo I 21) ||  
 636 donet A ponit E corr. Gronov || 638 alios E || 642 abitura  
 dies A renata N. Heinsius p. 450 || 643 ante 640 posuit Richter

fortuna metus! Bruttia Coro 650  
 pulsante fretum lenior unda est;  
 pectora pauper secura gerit.  
 tenet e patula pocula fago,  
 sed non trepida tenet illa manu;  
 carpit faciles vilesque cibos, 655  
 sed non strictos respicit enses:  
 aurea miscet pocula sanguis.  
 coniunx modico nupta marito  
 non disposito clara monili  
 gestat pelagi dona rubentis, 660  
 nec gemmiferas detrahit aures  
 lapis Eoa lectus in unda,  
 nec Sidonio mollis aeno  
 repetita bibit lana rubores,  
 nec Maeonia distinguit acu 665  
 quae Phoebeis subditus euris  
 legit Eois Ser arboribus.  
 quaelibet herbae tinxere colus  
 quas indoctae nevere manus:  
 sed non dubios fovet illa toros. 670  
 sequitur dira lampade Erinys  
 quarum populi coluere diem,  
 nec sibi felix pauper habetur  
 nisi felices cecidisse videt.  
 Quisquis medium defugit iter 675  
 stabili numquam tramite currit:  
 dum petit unum praebere diem  
 patrioque puer constitit axe  
 nec per solitum decurrit iter,  
 sed Phoebeis ignota petens 680

650 choro E || 651 mitior A || 653 e om. E et ψ || 654 ipsa A ||  
 655. 656 om. ψ (Vd. Ag.) || 664 rubores ex ruboris E<sup>1</sup> || 667 seres A(τ)  
 arboribus ser E || 668 colus ex colos E<sup>1</sup> colos A || 673. 674 huic  
 loco parum aptos post v. 613 Richter, post 639 inserendos esse  
 Koetschau censet || 676 curret A || 678 patriosque puer concitat  
 axes A || 679 percurrit A || 680 ign. secat A

sidera flammis errante rota,  
 secum pariter perdidit orbem.  
 medium caeli dum sulcat iter,  
 tenuit placitas Daedalus oras  
 nullique dedit nomina ponto; 685  
 sed dum volucres vincere veras  
 Icarus audet

patriasque puer despicit alas  
 Phoeboque volat proximus ipsi,  
 dedit ignoto nomina ponto: 690  
 male pensantur magna ruinis.  
 felix alius magnusque sonet;  
 me nulla vocet turba potentem.  
 stringat tenuis litora puppis  
 nec magna meas aura phaselos 695  
 iubeat medium scindere pontum:  
 transit tutos Fortuna sinus  
 medioque rates quaerit in alto,  
 quarum feriunt sipara nubes.

Sed quid pavido territa vultu, 700  
 qualis Baccho saucia maenas,  
 fert in medium regina gradum?  
 quae te rursus fortuna rotat?  
 miseranda, refer: licet ipsa neges,  
 vultus loquitur quodcumque tegis. 705

## DEIANIRA NVTRIX

Vagus per artus errat excussos tremor,  
 erectus horret crinis, impulsis adhuc

683 cum peregerat A peragrat vel pergit (peregit) ψ ||  
 684 latias A placidas E (sic Lachmann ad Propert. I 21, 21)  
 corr. Gronov || 689 proximus A(τ) || 692 m. uolet A || 693 uocent  
 uerba E | potentum A(τ) || 695 meos A || 699 suppara A ||  
 701 saucia thyas A || 702 fertur medio E f. rapido A corr.  
 Koetschau (dubio Gronov, trepido Rapheling) | gradu EA corr.  
 Koetschau || 705 quode. negas A || supra 706 DEIANIRA. CHORVS  
 vel DEIANIRA NVTRIX YLVS vel inscr. omissa ψ (de A non constat) ||  
 706 excusso E

stat terror animis et cor attonitum salit  
 pavidumque trepidis palpitat venis iecur.  
 ut fractus austro pontus etiamnum tūmet, 710  
 quamvis quiescat languidis ventis dies,  
 ita mens adhuc vexatur excusso metu.  
 semel profecto premere felices deus  
 cum coepit, urget. hos habent magna exitus.  
 NVT. Quis tam impotens, miseranda, te casus rotat? 715  
 DEI. Vt missa palla est tabe Nessea inlita  
 thalamisque maerens intuli gressum meis,  
 nescio quid animus timuit. an fraudem struit?  
 libet experiri. solibus dirus ferum  
 flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit: 720  
 hic ipse fraudes esse praemonuit dolus.  
 et forte, nulla nube respersus iubar,  
 laxabat ardens fervidum Titan diem.  
 vix ora solvi patitur etiam nunc timor.  
 medios in ignes solis eieci pavens 725

\*

\*

quo tincta fuerat palla vestisque inlita;  
 abiectus horret villus et perdit comam  
 †tepefactus astris vix quoque est. monstrum elocor.

710 etiamnunc A || 711 languidus E || 712 excussa A(τ) ||  
 713 NVT. E | simul A | promere f. deos E || 714 cum concepit E ||  
 715 CHOR. A *personae notam om.* E | o misera A(τ) || 716—728 cf.  
*Richter symb. p. 18—22* || 717 th. amens A || 718 et fraudem ω  
*corr. Peiper (lacunam post timuit significat Leo)* || 719 sedibus E |  
 uirus ω *corr. de Wilamowitz* || 720 arguit ω *corr. ψ* || 721 praem.  
 deus A || 722 respersum E || 725 solis eiceram facem E s. et  
 claram f. A *Leo ci.: medios in ignes vellus eieci madens coll.*  
*v. 735 et Soph. Trach. 672 sq. corr. Richter* || 727 abiectus (ab-  
 iectum vel abiectumque A(τ)) h. sanguis (uirus ψ) et Phoebi co-  
 mam ω *corr. Richter, talem excidisse ratus versum: <de pecude*  
*lanam, tinctam eodem sanguine>* || 728 ardet A *arsit Peiper*  
*(refutat Richter l. n.)* | uix queo monstrum eloqui A vix quod  
 est monstrum eloquor *Kaibel*, tumque (vix monstrum eloquor)  
*Leo; versum ad exemplar Sophocleum (Trach. 697) sic restituere*  
*tentavit Richter: tepet ac senescit vixque adest: monstrum*  
*elocor.*

nives ut Eurus solvit aut tepidus Notus,  
 quas vere primo lucidus perdit Mimans, 730  
 utque evolutos frangit Ionio salo  
 opposita fluctus Leucas et lassus tumor  
 in litore ipso spumat, aut caelestibus  
 aspersa tepidis tura laxantur focus,  
 sic languet omne vellus et perdit comas. 735  
 dumque ista miror, causa mirandi perit;  
 quin ipsa tellus spumeos motus agit  
 et quicquid illa tabe contactum est labat.

\* \*  
 tumensque tacita \*

quassat caput \*

\* \*  
 [natum paventem cerno et ardenti pede 740  
 gressus ferentem. prome quid portes novi.]

### ° HYLLVS ET IDEM

I, profuge, quaere si quid ulterius patet  
 terris freto sideribus Oceano inferis,  
 ultra labores, mater, Alcidae fuge.  
 DEI. Nescio quod animus grande praesagit malum. 745  
 HYL. Regna triumphi, templa Iunonis pete:  
 haec tibi patent, delubra praeclusa omnia.  
 DEI. Effare quis me casus insontem premat.  
 HYL. Decus illud orbis atque praesidium unicum,  
 quem fata terris in locum dederant Iovis, 750

730 lubricus A | minas E om. ψ || 731 euolutus E || 732 la-  
 psus ψ || 734 tepido E || 735 uirus et perdit comam A ||  
 736 ipsa ω corr. N. Heinsius p. 451 || 739 tumensque ta-  
 cita | Quassat caput E tum. tac. sequitur et q. c. (uno versu) A ||  
 740. 741 videntur ad lacunam sarciendam interpolati esse. Cf.  
 Leo ad h. l. || 742 inscr. om. A || 743 oceano E || 746. 747 om. A  
 extant Eψ Hylli sunt E, Deianirae continentur ψ || 746 regna  
 triumphia Lipsius regnat triumphat (scil. Iuno) Leo. At regna  
 nescio an acc. pl. sit a positione producta (regna scil. ubi Iuno  
 triumphat)

o mater, abiit: membra et Herculeos toros  
 urit lues nescio qua; qui domuit feras,  
 ille ille victor vincitur maeret dolet.  
 quid quaeris ultra? DEI. Misérias properant suas  
 audire miseri; fare, quo posita in statu 755  
 iam nostra domus est? o lares, miseri lares!  
 nunc vidua, nunc expulsa, nunc ferar obruta.  
 HYL. Non sola maeres Herculem, toto iacet  
 mundo gemendus; fata nec, mater, tua  
 privata credas: iam genus totum obstrepit. 760  
 hunc ecce luctum quem gemis cuncti gemunt,  
 commune terris omnibus pateris malum.  
 luctum occupasti: prima, non sola Herculem,  
 miseranda, maeres. DEI. Quam prope a leto tamen  
 ede, ede quaeso iaceat Alcides meus. 765  
 HYL. Mors refugit illum victa quae in regno suo  
 semel est nec audent fata tam vastum nefas  
 admittere. ipsas forsitan trepida colus  
 Clotho manu proiecit et fata Herculis  
 timet peragere. pro diem, infandum diem! 770  
 hocne ille summo magnus Alcides erit?  
 DEI. Ad fata et umbras adque peiorem polum  
 praecedere illum dicis? an possum prior  
 mortem occupare? fare, si nondum occidit.  
 HYL. Euboica tellus vertice immenso tumens 775  
 pulsatur omni latere: Phrixium mare  
 scindit Caphereus, servit hoc Austro latus;  
 at qua nivosi patitur Aquilonis minas,  
 Euripus undas flectit instabilis vagas  
 septemque cursus volvit et totidem refert, 780

751 habiit E || 752 quae A || 753 ille *semel om.* E ||  
 756 o laris E || 757 feror A || 758 Hercules A | totoque iacet E  
 (toti *Ascensius*) || 759 ne  $\psi$  || 760 credis E || 761 nunc ecce  
 luctu E *corr. Richter* hunc eiulatu A | cuncta E || 766 uicta-  
 que E || 768 colos A || 769 fatum A || 771 hoccine E | illo  $\psi$  ||  
 772 *Hyllo continuatur* A | atque  $\omega$  *corr. Birt* || 773 pr. tu  
 ill. A || 776 omni parte A | frixium E || 777 Caphareus A ||  
 779 instabiles vagas A || 780 cursus flectit A

dum lassa Titan mergat Oceano iuga.  
 hic rupe celsa, multa quam nubes ferit,  
 annosa fulgent templa Cenaei Iovis.  
 ut stetit ad aras omne votivum pecus  
 totumque tauris genuit auratis nemus, 785  
 spolium leonis sordidum tabo exuit  
 posuitque clavae pondus et pharetra graves  
 laxavit umeros. veste tum fulgens tua,  
 cana revinctus populo horrentem comam,  
 succendit aras: 'accipe has' inquit 'focis 790  
 non false messis genitor et largo sacer  
 splendescat ignis ture, quod Phoebum colens  
 dives Sabaeis colligit truncis Arabs.  
 pacata tellus' inquit 'et caelum et freta,  
 feris subactis omnibus victor redi: 795  
 depone fulmen.' gemitus in medias preces  
 stupente et ipso cecidit; hinc caelum horrido  
 clamore complet: qualis impressa fugax  
 taurus bipenni vulnus et telum ferens  
 delubra vasto trepida mugitu replet, 800  
 aut quale mundo fulmen emissum tonat,  
 sic ille gemitu sidera et pontum ferit,  
 et vasta Chalcis sonuit et voces Cyclas  
 excepit omnis; hinc petrae Capherides,  
 hinc omne voces reddit Herculeas nemus. 805  
 flentem videmus. vulgus antiquam putat  
 rabiem redisse; tum fugam famuli petunt.  
 at ille voltus ignea torquens face

781 mergit Gronov | oceano E | iubar A || 782 nulla ω  
 corr. Leo || 783 caenae Iovis E || 785 tantis genuit armentis A ||  
 787 gravis vel gravi A(τ) || 788 tunc A dum E corr. ψ || 791 fal-  
 sae E | messes A || 793 truncus puncto sup. s addito E<sup>1</sup> ||  
 794 om. E || 797 hic A || 798 fugax: x i. ras. E<sup>2</sup> fugas Σ ||  
 799 bipenne A | vulnus, sed prior u i. ras. E (cum A) vol-  
 nus Σ || 800 tepida E || 802 gemitus A || 803 Calchis E  
 Calpe A || 804 excipit E | Capharides A || 806 vulgus ω ||  
 807 tunc ω corr. Bothe || 808 vultus, sed prior u i. ras. E<sup>2</sup>  
 (cum A) voltus Σ

unum inter omnis sequitur et quaerit Lichan.  
 complexus aras ille tremibunda manu 810  
 mortem metu consumpsit et parvum sui  
 poenae reliquit. dumque moribundum manu  
 tenuit cadaver: 'hac manu, hac' inquit 'ferar,  
 o fata, victus? Herculem vicit Lichas?  
 ecce alia clades: Hercules perimit Lichan. 815  
 facta inquinantur: fiat hic summus labor.'  
 in astra missus fertur et nubes vago  
 spargit cruore; talis in caelum exilit  
 harundo Getica visa dimitti manu  
 aut quam Cydon excussit: inferius tamen 820  
 et tela fugient. truncus in pontum cadit,  
 in saxa vertex: unus ambobus iacet.  
 'resistite' inquit 'non furor mentem abstulit,  
 furore gravius istud atque ira malum est:  
 in me iuvat saevire.' vix pestem indicat 825  
 et saevit: artus ipse dilacerat suos  
 et membra vasta carpit avellens manu.  
 exuere amictus quaerit: hoc solum Herculem  
 non posse vidi; trahere conatus tamen  
 et membra traxit: corporis palla horridi 830  
 pars est et ipsa: pestis immiscet cuti.  
 nec causa dirae cladis in medio patet,  
 sed causa tamen est; vixque sufficiens malo  
 nunc ore terram languidus prono premit,

809 omnes A | quaerit et sequitur A | licam A lycham E ||  
 811. 812 omissos in margine supplevit E<sup>1</sup> ut v. 588 || 811 parum A ||  
 812 tremibundum ω corr. Bentley | metu Peiper semianimum  
 parens ci. Leo || 813 ac m. ac E hac manu inquit te feram A ||  
 814 vinctus E | vicit lychas E peremit (sic) licas A || 815 cladis.  
 Herculis peremit E || 816 fata inquinantur. fiet A || 819 iussa EA  
 corr. α || 821 fugiente trunco corpus i. p. c. A || 822 i. s. versus E  
 i. s. cervix A corr. Gronov | funus ω corr. N. Heinsius p. 404 ||  
 827 capit E || 828 exuere E || 831 parum est et ipsam E |  
 uestis ω corr. Leo | immiscet cutem ω corr. Richter (i. cuti  
 scil. pallam, vestis increscit cuti de Wilamowitz) || 834 prono  
 ferit A



nunc poscit undas: unda non vincit malum; 835  
 fluctisona quaerit litora et pontum occupat:  
 famularis illum retinet errantem manus.  
 o sortem acerbam! fuimus Alcidae pares.  
 nunc puppis illum litore Euboico refert  
 Austerque lenis pondus Herculeum rapit; 840  
 destituit animus membra, nox oculos premit.  
 DEI. Quid, anime, cessas? quid stupes? factum est scelus,  
 natum repositit Iuppiter, Iuno aemulum.  
 reddendus orbi est: quod potes redde exhibe:  
 eat per artus ensis exactus meos. 845  
 sic, sic agendum est. tam levis poenas manus  
 tantas repositit? perde fulminibus, socer,  
 nurum scelestam. nec levi telo manus  
 armetur: illud fulmen exiliat polo,  
 quo, nisi fuisset genitus Alcides tibi, 850  
 hydram cremasses: pestem ut insolitam feri  
 et ut noverca potius irata malum.  
 emitte telum quale in errantem prius  
 Phaethonta missum est: perdidisti in solo Hercule  
 et ipsa populos. quid rogas telum deos? 855  
 iam parce socero: coniugem Alcidae necem  
 optare pudeat: haec erit voto manus,  
 a me petatur; occupa ferrum ocius.  
 cur deinde ferrum? quicquid ad mortem trahit  
 telum est abunde: rupe ab aetheria ferar. 860  
 haec, haec renatum prima quae poscit diem,  
 Oeta eligatur, corpus hinc mitti placet;  
 abrupta cautes scindat et partem mei  
 ferat omne saxum, pendeant lacerae manus

836 et nota quaerit A | littora E || 839 Eub. ferit E ferens  
 N. Heinsius p. 406 vehit Gronov || 842 est om. A || 844 potest ω  
 corr. Gronov (cf. Thy. 15) | reddi A || 845 exactos E || 847 redde ω  
 corr. Rapheling tolle ψ | f. precor E || 850 ni A || 851 cremas.  
 sis E || 852 et tu E | nou. peius A || 854 perdidisti sola Herculem E  
 p. erepto Hercule A corr. N. Heinsius p. 406 || 856 coniugi E  
 857 hoc A | votum maius A || 858 occupata, sed ta expunct. E<sup>1</sup> ||  
 859 cur? deme α | in mortem A || 862 Oceano eligatur E

totumque rubeat asperi montis latus. 865  
 levis una mors est — levis? at extendi potest.  
 eligere nescis, anime, cui telo incubes;  
 utinam esset, utinam fixus in thalamis meis  
 Hercules ensis: huic decet ferro inmorti.  
 una perire dextera nobis sat est? 870  
 coite, gentes, saxa et immensas faces  
 iaculetur orbis, nulla nunc cesset manus,  
 corripite tela, vindicem vestrum abstuli:  
 impune saevi sceptrata iam reges gerent,  
 impune iam nascetur indomitum malum; 875  
 repetentur arae cernere assuetae hostiam  
 similem colenti: sceleribus feci viam,  
 ego vos tyrannis regibus monstris feris  
 saevisque raptio vindice opposui deis.  
 cessas, Tonantis socia? non spargis facem 880  
 imitata fratrem et mittis ereptam Iovi  
 meque ipsa perdis? laus tibi erepta incluta est,  
 ingens triumphus: aemuli, Iuno, tui  
 mortem occupavi. HYL. Quid domum impulsam trahis?  
 erroris est hic omne quodcumque est nefas. 885  
 haut est nocens quicumque non sponte est nocens.  
 DEI. Quicumque fato ignoscit et parcit sibi,  
 errare meruit: morte damnari placet.  
 HYL. Nocens videri, qui mori quaerit, cupit.  
 DEI. Mors innocentes sola deceptos facit. 890  
 HYL. Titana fugiens — DEI. Ipse me Titan fugit.  
 HYL. Vitam relinques? DEI. Miseram, ut Alciden sequar.  
 HYL. Superest et auras ille caelestes trahit.  
 DEI. Vinci Hercules cum potuit, hinc coepit mori.

865 ponti latus A || 866 et extendi E || 868 thalamos  
 meos E || 871 incensas A immissas N. Heinsius p. 407 || 872 non  
 cesset E || 874 gerunt A gerant E corr. α || 875 om. A(ε) ||  
 876 reddentur ω corr. Leo || 881 eretam E || 884—932 *Hylli*  
*partes nutritrici tribuuntur* A || 885 erroris istie A || 889 qui petit  
 mortem cupit A || 891 fugies A | DEI. (ut ubique) thiestem  
 Titan f. E || 892 relinquens E | miseram? d. ut Alcidem E  
 misera? d. et Alcidem A corr. Gronov || 893 ut E

- HYL. Virum sequeris. DEI. Praegredi castae solent. 897  
 HYL. Natum relinques fataque abrumpes tua? 895  
 DEI. Quaecumque natus sepelit haec vixit diu.  
 HYL. Si te ipsa damnas, scelere te misera arguis. 898  
 DEI. Nemo nocens sibi ipse poenas inrogat.  
 HYL. Multis remissa est vita quorum error nocens, 900  
 non dextra fuerat. fata quis damnat sua?  
 DEI. Quicumque fata iniqua sortitus fuit.  
 HYL. Hic ipse Megaram nempe confixam suis  
 stravit sagittis atque natorum indolem  
 Lernaea figens tela furibunda manu; 905  
 ter parricida factus ignovit tamen  
 sibi, non furori: fonte Cinyphio scelus  
 sub axe Libyco tersit et dextram abluit.  
 quo, misera, pergis? cur tuas damnas manus?  
 DEI. Damnatus devictus Alcides manus: 910  
 placet scelus punire. HYL. Si novi Herculem,  
 aderit cruenti forsitan victor mali  
 dolorque fractus cedet Alcidae tuo.  
 DEI. Exedit artus virus ut fama est hydrae;  
 immensa pestis coniugis membra abstulit. 915  
 HYL. Serpentis illi virus enectae autumas  
 haut posse vinci qui malum vivum tulit?  
 elisit hydram, dente tecum fixo tenens  
 media palude victor, effuso obrutus  
 artus veneno. sanguis hunc Nessi opprimet, 920  
 qui vicit ipsas horridi Nessi manus?

896 quaecumque natus E quemcumque natum A corr. Scaliger  
 898 sceleris A(τ) || 897 ante 899 transposuit Melzer p. 5 | arro-  
 gat E cf. Melzer p. 4 n. 3 || 902 fugit A || 903 ipse hic Mege-  
 ram A | Megere E Megeram A | conphiniam E<sup>1</sup> ophiniam E<sup>2</sup> ||  
 904 indoles A || 905 L. flectens A || 907 sibi. nam furoris A ||  
 908 s. axi libico torsit et dextram a. E || 909 quid tuas A ||  
 911 p. s. puniri E fraudem placet punire A || 915. 916 om., sed  
 in marg. add. E<sup>1</sup>: HYL. Serpentis illud | virus. ut fam | est ydrae  
 (a cultro desecta) || 917 qua E | m. et vivum A || 918 cum infixo  
 stetit A Leo ci.: dente dum infecto tumet Richter: dente iam  
 infixo tumens || 921 horridas A(τ) || 922 tenentur E

DEI. Frustra tenetur ille qui statuit mori.  
 vixit satis quicumque cum Alcide occidit: 924  
 proinde lucem fugere decretum est mihi. 923  
 NVT. Per has aniles ecce te supplex comas 925  
 atque ubera ista paene materna obsecro:  
 depone tumidas pectoris laesi minas  
 mortisque dirae expelle decretum horridum.  
 DEI. Quicumque misero forte dissuadet mori,  
 crudelis ille est: interim poena est mori, 930  
 sed saepe donum; pluribus veniae fuit.  
 NVT. Defende saltem dexteram, infelix, tuam  
 fraudisque facinus esse, non nuptae, sciat.  
 DEI. Defendar illic: inferi absolvent ream,  
 a me ipsa damnor; purget has Pluton manus. 935  
 stabo ante ripas immemor, Lethe, tuas  
 et umbra tristis coniugem excipiam meum.  
 sed tu, nigrantis regna qui torques poli,  
 para laborem (scelera quae quisquam ausus est,  
 hic vincit error: Iuno non ausa Herculem est 940  
 eripere terris) horridam poenam para.  
 Sisyphia cervix cesset et nostros lapis  
 impellat umeros; me vagus fugiat latex  
 meamque fallax unda deludat sitim;  
 merui manus praebere turbinibus tuis, 945  
 quaecumque regem Thessalum torques rota;  
 effodiat avidus hinc et hinc vultur fibras;  
 vacat una Danais, has ego explebo vices:  
 laxate manes. recipe me comitem tibi,  
 Phasiaca coniunx: peior haec, peior tuo 950

923 sq. turbatum versuum ordinem corr. Melzer p. 29 ||  
 924 quicumque Alcidem A(τ) || 925 HYL. E || 927 lassus E ||  
 929 suadet E || 931 NVT. A om. E | d. in pl. A || 932 NVN. E  
 om. A || 933 sciant E || 934 soluent A || 935 Pluto A || 939 quis-  
 que ω corr. Madvig II p. 126 || 940 vincit A vincet E corr. Richter |  
 est om. E | verba Iuno — terris (941) del. Peiper ex Delvii sen-  
 tentia || 942 sisyphaea E || 944 decipiat sitim A || 948 vacet ω  
 corr. Raphaeling (cf. Hf. 500) || 949 comitem tui A || 950 p. hac E |  
 peior tua A

utroque dextra est scelere, seu mater nocens  
 seu dira soror es; adde me comitem tuis,  
 Threicia coniunx, sceleribus; natam tuam,  
 Althaea mater, recipe, nunc veram tui  
 agnosce prolem — quid tamen tantum manus 955  
 vestrae abstulerunt? claudite Elysium mihi  
 quaecumque fidae coniuges nemoris sacri  
 lucos tenetis; si qua respersit manus  
 viri cruore nec memor castae facis  
 stricto cruenta Belias ferro stetit, 960  
 in me suas agnoscat et laudet manus.  
 in hanc abire coniugum turbam libet;  
 sed et illa fugiet turba tam diras manus.  
 invicte coniunx, innocens animus mihi,  
 scelesta manus est. pro nimis mens credula, 965  
 pro Nesse fallax atque semiferi doli!  
 auferre cupiens paelici eripui mihi.  
 recede, Titan, tuque quae blanda tenes  
 in luce miseros vita: caritura Hercule  
 lux vilis ista est. exigam poenas tibi 970  
 reddamque vitam. fata an extendo mea  
 mortemque, coniunx, ad tuas servo manus?  
 virtusne superest aliqua et armatae manus  
 intendere arcum tela missurum valent?  
 an arma cessant teque languenti manu 975  
 non audit arcus? si potes letum dare,  
 animose coniunx, dexteram expecto tuam.

951 utraque A | dextra E | scelere — es om. A(τ) cf. ad  
 v. 973 || 954 altheam E | tuam A || 959 c. fides A(τ) || 960 s. c.  
 bella cum ferro E cf. *Hf.* 261 || 961 agnoscat A || 962 in hac  
 abire coniugem turba l. E || 963 sed om. E || 965 res cred. E ||  
 966 namque semiferi doli A || 969 cariture A || 970 lux illa  
 sistat. exigat penas sibi E || 971 fatane ext. A || 972 in tuas A |  
 servem A || 973 armata E corr. *Lipsius* aliqua Sarmatica et  
 manus A || post 973 inseritur v. 952 sic: seu dira soror est.  
 adde me comitem tuis A cf. ad v. 951 || 974 miserorum valent E  
 missurum valet A || 976 arcu E | potest telum d. A || 977 ani  
 mosa A

mors differatur: frange ut insontem Lichan,  
 alias in urbes sparge et ignotum tibi  
 inmitte in orbem; perde ut Arcadiae nefas 980  
 et quicquid aliud restitit: ab illis tamen,  
 coniunx, redisti. HYL. Parce iam, mater, precor,  
 ignosce fati; error a culpa vacat.  
 DEI. Si vera pietas, Hylle, quaerenda est tibi,  
 iam perime matrem — trepida quid tremuit manus? 985  
 quid ora flectis? hoc erit pietas scelus.  
 ignave dubitas? Herculem eripuit tibi  
 haec, haec peremit dextra cui debes patri  
 avum Tonantem. maius eripui decus,  
 quam in luce tribui. si tibi ignotum est nefas, 990  
 a matre disce. seu tibi iugulo placet  
 mersisse ferrum sive maternum libet  
 invadere uterum, mater intrepidum tibi  
 praebebit animum. non erit tantum scelus  
 a te peractum: dextera sternar tua, 995  
 sed mente nostra. natus Alcidae, times?  
 ita nulla perages iussa nec franges mala  
 [erres per orbem. si qua nascetur fera]  
 referens parentem? dexteram intrepidam para.  
 patet ecce plenum pectus aerumnis: feri. 1000  
 scelus remitto, dexteræ parcent tuae  
 Eumenides ipsae — verberum crepuit sonus.  
 quaenam ista torquens angue vibrato comam  
 temporibus atras squalidis pinnas quatit?  
 quid me flagranti dira persequeris face, 1005  
 Megaera? poenas poscis Alcidae? dabo.

978 Lycham E licam A || 980 emitte A || 981 cessit E |  
 imbellis tamen ci. Birt || 982 parce — precor om. E || 985 pa-  
 uida quid A | renuit Gronov || 986 haec E || 987 eripui A ||  
 988 dextera E || 994 totum scelus A || 995 om. E || 996 Alc.  
 tibi E || 997 peragas i. n. peragens m. A || 998 om. E del. Peiper  
 (cf. Leo I 211) || 999 referas A referes E corr. Leo || 1001 parcam A(τ) ||  
 1003 angui E igne N. Heinsius p. 411 | uipereo ω corr. Peiper  
 coll. Hf. v. 789 || 1004 hastas E aptas Madvig II 126 | pennas A ||  
 1005 flagrante A || 1006 poscit Alcides A

iamne inferorum, dira, sedere arbitri?  
 sedent. reclusas carceris video fores.  
 quis iste saxum immane detritis gerit  
 iam senior umeris? ecce iam victus lapis 1010  
 quaerit relabi? membra quis quatitur rota?  
 hic ecce pallens dira Tisiphone stetit,  
 causam reposit; parce verberibus precor,  
 Megaera, parce, sustine Stygias faces:  
 scelus est amoris. sed quid hoc? tellus labat 1015  
 et aula tectis crepuit excussis — minax  
 unde iste coetus? totus in vultus meos  
 decurrit orbis, hinc et hinc populi fremunt  
 totusque poscit vindicem mundus suum.  
 iam parcite, urbes. quo fugam praeceps agam? 1020  
 mors sola portus dabitur aerumnis meis.  
 testor nitentis flammeam Phoebi rotam  
 superosque testor: Herculem in terris adhuc  
 moritura linquo. HYL. Fugit attonita, ei mihi.  
 peracta iam pars matris est: statuit mori; 1025  
 nunc nostra superest, mortis auferre impetum.  
 o misera pietas: si mori matrem vetas,  
 patri es scelestus; si mori pateris, tamen  
 in matre peccas — urget hinc illinc scelus.  
 in hibenda tamen est, verum ut eripiam scelus. 1030

1007 diua A dira sede sedere A || 1008 sed ecce dira E  
 sed ecce diras A corr. L. Müller d. r. m. p. 171 (sed ecce aper-  
 tas Gronov sedere, apertas Leo sed en reclusas Tartari v. f.  
 Bothe Stygiique, dira, c. v. f. Birt) || 1009 detritus A || 1010 uec-  
 tus ψ || 1011 prebet rote A queritur rotae E corr. Peiper-  
 (teritur rota N. Heinsius p. 414) || 1012 ecce patiens diratis si-  
 phone E | tesiphone A(τ) || 1013 poposcit A || 1016 creuit E |  
 excessit minax A || 1018 premunt A(τ) || 1021 labitur E | aer.  
 locus A || 1023 in om. A || 1025 matris et E || 1027<sup>b</sup> et 1028<sup>b</sup> com-  
 mutantur A(τ) || 1029 peccas. surgit A peccas. urget ex pecca.  
 surget corr. E<sup>1</sup> | i. nefas A || 1030 pergam et A verum et E  
 corr. B. Schmidt obs. crit. p. 10

## CHORVS

Verum est quod cecinit sacer  
Thressae sub Rhodopes iugis  
aptans Pieriam chelyn  
Orpheus Calliopae genus,  
aeternum fieri nihil. 1035

Illiis stetit ad modos  
torrentis rapidi fragor,  
oblitusque sequi fugam  
amisit liquor impetum;  
et dum fluminibus mora est, 1040

defecisse putant Getae  
Hebrum Bistones ultimi.  
advexit volucrem nemus  
et silva residens venit:

aut si qua aera pervolat, 1045  
auditis vaga cantibus  
ales deficiens cadit;

abrumpit scopulos Athos  
Centauros obiter ferens  
et iuxta Rhodopen stetit 1050  
laxata nive cantibus;

et quercum fugiens suam  
ad vatem properat Dryas;  
ad cantus veniunt tuos  
ipsis cum latebris ferae, 1055

iuxtaque inpauidum pecus  
sedit Marmaricus leo  
nec dammae trepidant lupos

1031—1130 *bini glyconeii coniuncti distinctis singulorum  
initiis* E || 1032 *om.* A<sup>(r)</sup> | *rodope* E *corr.* ψ || 1033 *a. pierian* E  
*tangens treiciam* A | *chelym ω corr. Gronov* || 1034 *caliopae* E ||  
1038 *fugas* A || 1040—1042 *del. Peiper* || 1041 *Geten* A (*Getae  
dativus' Leo*) || 1043—1047 *post 1048—1051 posuit Peiper* ||  
1043 *uolueret* E || 1045 *aere* E || 1048 *abrumpit* A || 1049 *cen-  
taurus* E || 1050 *rodope* A || 1051 *lassatam* E || 1054 *suos* A  
suis ψ || 1055 *ipse* A



et serpens latebras fugit. [tunc oblita veneni.]	1060
Quin per Taenarias fores manes cum tacitos adit maerentem feriens chelyn, cantu Tartara flebili et tristes Erebi deos	1065
vicit nec timuit Stygis iuratos superis lacus. haesit non stabilis rota victo languida turbine, increvit Tityi iecur,	1070
dum cantu volucres tenet;	1071
et vinci lapis improbus	1081
et vatem potuit sequi;	1082
tunc primum Phrygius senex	1075
undis stantibus immemor excussit rabidam sitim nec pomis adhibet manus.	1078
auditum quoque navita,	1072
inferni ratis aequoris	1073
nullo remigio venit.	1074
sic cum vinceret inferos	1079
Orpheus carmine funditus,	1080
consumptos iterum deae	1083

1060 *del. Peiper adscriptum ex Silio III 301* || 1061 qui A(τ) ||  
 1062 manes commonitos A || 1063 chelym ω *corr. Gronov* ||  
 1066 mouit A uidit E *corr. Bothe* || 1071 cantus A || *post*  
 1071 v. 1081 et 1082 *posuit Peiper. Stare non possunt quae*  
*M. Müller p. 52 sq. disputat* || 1072 audito quoque ω *corr.*  
*Koetschau (audis tu quoque Birt Mus. Rhen. 34, 29, audit dum q.*  
*M. Müller p. 51)* || 1075 Stygius senex E || 1077 excessit E  
 exclusit N. Heinsius p. 536 || *post 1078 v. 1072—1074 revocavit*  
*Richter symb. p. 28* || 1079 sic cum inquirens inferos | O. carmina  
 funderet E sed cum linqueret inferos | O. carmina fundens A  
*corr. Richter. Leo' ci.: sic cum novit et inferos | Orpheus car-*  
*mine figere (ut apodosis a consumptos incipiat) M. Müller:*  
 si cum linqueret i. O. c. funderet (*ut 1081. 1082 sint apodosis*) ||  
 1082 patitur sequi N. Heinsius l. n. || 1083 consumptas ψ

supplem Eurydices colus!  
 sed dum respicit immemor 1085  
 nec credens sibi redditam  
 Orpheus Eurydicen sequi,  
 cantus praemia perdidit:  
 quae nata est iterum perit.  
 tunc, solamina cantibus 1090  
 quaerens, flebilibus modis  
 haec Orpheus cecinit Getis:  
 Leges in superos datas  
 et qui tempora digerit  
 quattuor praecipitis deus 1095  
 anni, disposuit vices;  
 nulli non avidi colus  
 Parcas stamina nectere:  
 quod natum est, † poterit mori.  
 Vati credere Thracio 1100  
 devictus iubet Hercules.  
 iam, iam legibus obrutis  
 mundo cum veniet dies,  
 australis polus obruet  
 quicquid per Libyam iacet 1105  
 et sparsus Garamas tenet;  
 arctous polus obruet  
 quicquid subiacet axibus  
 et siccus Boreas ferit.  
 amisso trepidus polo 1110  
 Titan excutiet diem.

1084 colos A(τ) || 1085 et dum ψ || 1089 quonam est E ||  
 1092 cantus Orphei et initium et finem intercidisse putat Leo,  
 locum recte traditum esse probat M. Müller p. 54 || 1094—  
 1096 post v. 1109 posuit Rutgers V. L. p. 93 sq. || 1094 di-  
 gerens A || 1095 quattuor praecipites E || 1097—1099 cum se-  
 quentibus coniunxit Leo || 1097 avidas polo A || 1098 parcat E ||  
 1099 poterit mori ω patitur N. Heinsius p. 537 quod erit m.  
 Birt opus est m. Richter symb. p. 29 toleret mori Koetschau;  
 longe aliter de sententia statuit M. Müller l. n. || 1102 regibus E ||  
 1104 obruit E corrueat A(τ) || 1107 arctos E || 1110 amissum A

caeli regia concidens ortus atque obitus trahet atque omnis pariter deos perdet mors aliqua et chaos,	1115
et mors fata novissima in se constituet sibi. quis mundum capiet locus? discedet via Tartari, fractis ut pateat polis?	1120
an quod dividit aethera a terris spatium sat est tet mundi nimium malis? quis tantum capiet (nefas) fatum, quis superos locus?	1125
pontum Tartara sidera regna unus capiet tria. Sed quis non modicus fragor aures attonitas movet? est est Hercules sonus.	1130

## HERCVLES CHORVS

Converte, Titan clare, anhelantes equos, emitte noctem: pereat hic mundo dies quo morior, atra nube inhorrescat polus; obsta novercae. nunc, pater, caecum chaos reddi decebat, hinc et hinc compagibus	1135
ruptis uterque debuit frangi polus; quid parcis astris? Herculem amittis, pater. nunc partem in omnem, Iuppiter, specta poli,	---

1112 concidet A || 1113 certos atque A || 1114 omnes A ||  
1115 nox alia N. Heinsius p. 544 || 1117 constituit E || 1119 dis-  
cede E || 1120 stratis ut A || 1123 niueum est malis E || 1125 fati  
vel fatis ψ | fratrum qui E | superis ω superi Gronov, corr.  
Leo || 1126 sidera tartara A || scaenae inscribitur HERCVLES ω,  
CHORVS add. ψ || 1131 HERC. praef. E || 1133 moriar A || 1134 no-  
verca EA corr. ψ | caelo E tetrum ψ || 1135 et om. E || 1137 au-  
stris E | amittit E || 1138 parte in omni A | spectat E

ne quis Gyas Thessalica iaculetur iuga  
 et fiat Othrys pondus Encelado leve. 1140  
 laxabit atri carceris iam iam fores  
 Pluton superbus, vincula excutiet patri  
 caelumque reddet. ille qui pro fulmine  
 tuisque facibus natus in terris eram,  
 ad Styga revertor: surget Enceladus ferox 1145  
 mittetque quo nunc premitur in superos onus;  
 regnum omne, genitor, aetheris dubium tibi  
 mors nostra faciet — antequam spolium tui  
 caelum omne fiat, conde me tota, pater,  
 mundi ruina, frange quem perdis polum. 1150

CHOR. Non vana times, gnate Tonantis:  
 nunc Thessalicam Pelion Ossam  
 premet et Pindo congestus Athos  
 nemus aetheriis inseret astris;  
 vincet scopulos inde Typhoeus 1155  
 et Tyrrhenam feret Inarimen;  
 feret Aetnaeos inde caminos  
 scindetque latus montis aperti  
 nondum Enceladus fulmine victus:  
 iam te caeli regna secuntur. 1160

HERC. Ego qui relicta morte, contempta Styge  
 per media Lethes stagna cum spolio redi  
 quo paene lapsis excidit Titan equis,  
 ego quem deorum regna senserunt tria,  
 morior nec ullus per meum stridet latus 1165  
 transmissus ensis, haut meae telum necis  
 [saxum est nec instar montis abrupti latus]

1139 nec E | gigas ω corr. Leo || 1140 leve i. ras. E<sup>1</sup> levo M ||  
 1141 laxavit A(τ) || 1143 om. E || 1144 erat E || 1146 montemque E ||  
 1148 sp. tibi E || 1149 c. o. faciat E || 1150 premis p. E || 1151 non una E |  
 post h. v. posuit v. 1160 Peiper || 1152 iam Thessalia P. oasa A || 1156 tyr-  
 hream E || 1160 signa A | sequuntur E sequentur A | nova inscriptio  
 HERCVLES Eψ, om. ψ || 1162 stadia A(τ) || 1163 quo poenae lassis E  
 cum paene trepidis A corr. ψ (quom Peiper laxis Bessel p. 107) ||  
 1166 aut EA corr. ψ || 1167 om. E | abruptum Bothe | lapis Gronov

est totus Othrys, non truci rictu gigans  
 Pindo cadaver obruit toto meum:  
 sine hoste vincor, quodque me torquet magis 1170  
 (o misera virtus!) summus Alcidae dies  
 nullum malum prosternit, inpendo, ei mihi,  
 in nulla vitam facta. pro mundi arbiter  
 superique quondam dexteræ testes meae,  
 pro cuncta tellus, Herculem vestrum placet 1175  
 †morte ferire? dirus o nobis pudor,  
 o turpe fatum, femina Herculeae necis  
 auctor feretur! morior Alcides quibus?  
 invicta si me cadere feminea manu  
 voluere fata perque tam turpes colus 1180  
 mea mors cucurrit, cadere potuissem, ei mihi,  
 Iunonis odio: feminae caderem manu,  
 sed caelum habentis. si nimis, superi, fuit,  
 Scythico sub axe genita domuisset meas  
 vires Amazon — feminae cuius manu 1185  
 Iunonis hostis vincor? hinc gravior tibi,  
 noverca, pudor est. quid diem hunc laetum vocas?  
 quid tale tellus genuit iratae tibi?  
 mortalis odia femina excessit tua.  
 adhuc ferebas esse te Alcidae imparem: 1190  
 victa es duobus — pudeat irarum deos.  
 utinam meo cruore satiasset suos  
 Nemeaea rictus pestis aut centum anguibus

1168 aut totus Othrys A est totus Athos E | vultu gigas A  
 rictu gygans E || 1172 inpende ei mihi E inpendo male A ||  
 1173 uita E || 1174 quondam dexteræ quondam meae E || 1175 Her-  
 culis vestri A || 1176 mortem perire A morte hac perire N. Hein-  
 sius p. 453 morbo perire Birt perire inertem L. Müller de re  
 metr. p. 170 inertem obire Leo || 1178 a. f. auctor a. q. A (horror  
 N. Heinsius p. 453) || 1179 iniqua idem || 1180 quodque E terque A  
 corr. ψ | turpe scelus E turpes colos A || 1181 potuissem mihi A  
 potuissem michi E corr. Lipsius (placuisset m. Birt) || 1182 fe-  
 minae caderem minis A corr. N. Heinsius p. 454 l. o. cadere  
 potuissetm (sic) nimis E || 1183 sed nimis ψ superis A || 1186 gra-  
 vior tui ω corr. Gronov || 1187 talem vocas E || 1190 furebas  
 Gruter, frémēbas Lipsius || 1193 Nemea ω corr. α

vallatus hydram tabe pavissem mea,  
 utinam fuisset praeda Centauris datus 1195  
 aut inter umbras vinctus aeterno miser  
 saxo sederem! spolia nunc traxi ultima  
 Fato stupente, nunc ab inferna Styge  
 lucem recepi, Ditis evici moras —  
 ubique mors me fugit, ut leto inclitae 1200  
 sortis carerem. pro ferae, victae ferae!  
 non me triformis sole conspecto canis  
 ad Styga reduxit, non sub Hesperio polo  
 Hibera vicit turba pastoris feri,  
 non gemina serpens. perdidit mortem, ei mihi, 1205  
 totiens honestam: titulus extremus quis est?

CHOR. Viden ut laudis conscia virtus  
 non Lethaeos horreat amnes?  
 pudet auctoris, non morte dolet:  
 cupit extremum finire diem 1210  
 vasta tumidi mole gigantis  
 et montiferum Titana pati  
 rabidaeque necem debere ferae.  
 sed tua causa est, miserande, manus,  
 quod nulla fera est nullusque gigas: 1215  
 nam quis dignus necis Herculeae  
 superest auctor nisi dextra tui?

1194 ydrae tabe patuisset meas E hydram carne ci. *Koetschau* ||  
 1196 victus EA corr. ψ || 1197 cum traxi ω corr. *Leo* || 1198 facto E ||  
 1199 lucis erui moras E erupi N. *Heinsius* p. 454 et rupi L.  
*Müller* || 1200 me mors A | inclito A || 1201 mortis E fortis A  
 corr. *Leo* | o ferae ω corr. α | f. v. o ferae A || 1202 iole con-  
 spectu E || 1203 a stiga E | revexit *Leo*, reflexit vel retorsit  
*Richter* | esperio E | 1205 perdidit et mortem michi E p. m. hei  
 m. A || 1207 videt ut laudes E || 1209 om. ψ del. *Peiper* || 1211 v.  
 t. morte g. E vasta pressus mole gigantum A || 1212 mortif-  
 erum E || 1214 si tua c. e. miseranda necis A sed t. c. e. m.  
 maius E venerande manus *Gronov*, miserande *Leo* (miseranda  
 magis *Bothe*) || 1215 est om. E || 1216 iam A inscr. HERCVLES ω  
 om. ψ

HERC. Heu qualis intus scorpius, quis fervida  
 plaga revulsus cancer infixus meas  
 urit medullas? sanguinis quondam capax 1220  
 tumidi igne cor pulmonis arentes fibras  
 distendit, ardet felle siccato iecur  
 totumque lentus sanguinem avexit vapor.  
 primam cutem consumpsit, hinc aditum nefas  
 in membra fecit, abstulit pestis latus, 1225  
 exedit artus penitus et costas malum,  
 hausit medullas: ossibus vacuis sedet;  
 nec ossa durant ipsa, sed compagibus  
 discussa ruptis mole conlapsa fluunt.  
 defecit ingens corpus et pesti satis 1230  
 Herculea non sunt membra — pro quantum est  
 malum  
 quod esse vastum fateor, o dirum nefas!  
 en cernite, urbes, cernite ex illo Hercule  
 quid, quid supersit. Herculem agnoscis, pater?  
 hisne ego lacertis colla Nemeaei mali 1235  
 elisa pressi? tensus hac arcus manu  
 astris ab ipsis detulit Stympthalidas?  
 his ego citatam gressibus vici feram  
 radiante clarum fronte gestantem caput?  
 his fracta Calpe manibus emisit fretum? 1240  
 his tot ferae, tot scelera, tot reges iacent?  
 his mundus umeris sedit? haec moles mea est,

1218 HERC. *praef.* ψ | heu quis intus scorpius A || 1219 p.  
 reuersus A || 1221 tumidi iecur ω tumidi cor en N. *Heinsius*  
 p. 275, tumet igne cor, p. *Leo*, corr. M. *Müller* p. 57 || 1223 san-  
 guine vexat E || 1224 aditus A || 1225 abstulit costis iecur A ||  
 1226 totas malum A tostas N. *Heinsius* p. 276 || 1228 ossa  
 d. ossa sed E || 1230 pestis at est E || 1232 quod ego esse  
 Birt || 1233 incernite E || 1234 quid supersit E q. iam s. A  
 corr. M. *Müller* p. 54 | agnoscit E || 1235 colla nemeae mala E  
 spolia nemei mali A corr. ψ || 1237 depulit E || 1239 radiata E ||  
 1240 h. f. carpent E | elisit A elisi E corr. *Gronov* (elisum et  
 fr. *Peiper*) | fretum ex ferum E<sup>1</sup> || 1242 mei est A

haecne illa cervix? hasne ego opposui manus  
 caelo ruenti? quis mea custos manu  
 trahetur ultra Stygius? ubi vires prius 1245  
 memet sepultae? quid patrem appello Iovem?  
 quid per Tonantem vindico caelum miser?  
 iam, iam meus credetur Amphitryon pater.  
 quaecumque pestis viscere in nostro lates,  
 procede — quid me vulnere occulto petis? 1250  
 quis te sub axe frigido pontus Scythes,  
 quae pigra Tethys genuit aut Maurum premens  
 Hibera Calpe litus? o dirum malum!  
 utrumne serpens squalidum crista caput  
 vibrans an aliquod et mihi ignotum malum? 1255  
 numquid cruore es genita Lernaee ferae  
 an te reliquit Stygius in terris canis?  
 omne es malum nullumque — quis voltus tibi est?  
 concede saltem scire quo peream malo;  
 quaecumque pestis sive quaecumque es fera, 1260  
 palam timere! quis tibi in medias locum  
 fecit medullas! ecce direpta cute  
 viscera manus detexit; ulterior tamen  
 inventa latebra est — o malum simile Herculi!  
 unde iste fletus? unde in has lacrimae genas? 1265  
 invictus olim voltus et numquam malis  
 lacrimas suis praebere consuetus (pudet)  
 iam flere didicit. quis dies fletum Herculis,

1243 has ego A || 1244 cuius o custos A || 1245 o vires A | ubi  
 v. patris *Bothe* || 1246 in me sepultae *ω corr. Gronov* || 1247 uen-  
 dico caelum mihi A || 1248 om. A(τ) || 1249 visceribus in nostris E ||  
 1251 quis me E | Scythes E || 1252 Thaethys meruit aut M. tra-  
 hens E || 1253 eraclia penitus? o E || 1254 virumne serpens squa-  
 lido cristam caput E || 1255 om. E | ignotum est malum A(τ) ||  
 1256 cruoris genita L. ferens E || 1257 requirit E || 1258 o. est EA  
*corr. ψ* || 1259 scire me malum *sic* E || 1260 pestis seua A | es  
 efferat A || 1261 timeri E timeres A *corr. de Wilamowitz* ||  
 1263 visc. malum *Bentley* || 1264 est. esto malum. simul et her-  
 culi E || 1265 unde has lacrimas gerit E || 1266 magis E ||  
 1267 consuerit pudis E



quae terra vidit? siccus aerumnas tuli.  
 tibi illa virtus, quae tot elisit mala, 1270  
 tibi cessit uni; prima et ante omnis mihi  
 fletum abstulisti: durior saxo horrido  
 et chalybe voltus et vāga Symplegade  
 rictus meos infregit et lacrimam expulit.  
 flentem gementem, summe pro rector poli, 1275  
 me terra vidit, quodque me torquet magis,  
 noverca vidit. urit ecce iterum fibras,  
 incaluit ardor — unde nunc fulmen mihi?

CHOR. Quid non possit superare dolor?  
 quondam Getico durior Haemo 1280  
 nec Parrhasio lenior axe  
 saevo cessit membra dolori  
 fessumque moyens per colla caput  
 latus alterno pondere flectit,  
 fletum virtus saepe resorbet. 1285  
 sic arctos laxare nives  
 quamvis tepido sidere Titan  
 non tamen audet vincitque faces  
 solis adulti glaciale iubar.

## HERCVLES ALCMENA

Convertite voltus ad meas clades, patēr: 1290  
 numquam ad tuas confugit Alcides manus,  
 non cum per artus hydra fecundum meos  
 caput explicaret; inter infernos lacus  
 possessus atra nocte cum Fato steti

1270 om. E || 1271 omnes A || 1272 sq. durius — volnus *ci.*  
*Melzer p. 29* || 1273 vagas tymphalida E || 1274 ritus *N. Heinsius*  
*p. 277 coll. Stat. Theb. XII 535* | lacrimas E | extulit A ||  
 1275 prospector A(τ) protector ψ || 1281 parnasio E | lentior ω  
*corr. D. Heinsius* (et P. lentior *Gronov*) || 1282 laeuo E ||  
 1283 mouet E || 1285 resoluit A || 1288 vincitque nefas A(τ) •  
 1289 adusti ω *corr. Zinzerling (Petron. c. 119 v. 148)* || 1290 *inscr.*  
*om. ψ*

nec invocavi; tot feras vici horridas,	1295
reges, tyrannos, nec tamen voltus meos in astra torsi: semper haec nobis manus votum spondit; nulla propter me sacro micuere caelo fulmina — hic aliquid dies optare iussit. primus audierit preces	1300
idemque summus: unicum fulmen peto; giganta crede: non minus caelum mihi asserere potui — dum patrem verum puto, caelo peperi. sive crudelis, pater, sive es misericors, commoda nato manum	1305
properante morte et occupa hanc laudem tibi. vel si piget manusque detrectat nefas, emitte Siculo vertice ardentes, pater, Titanas in me, qui manu Pindon ferant † aut Ossa qui me monte proiecto opprimat.	1310
abrumpat Erebi claustra, me stricto petat Bellona ferro; mitte Gradivum trucem, armetur in me dirus: est frater quidem, sed ex noverca. tu quoque, Alcidae soror tantum ex parente, cuspidem in fratrem tuum	1315
iaculare, Pallas. supplices tendo manus ad te, noverca: sparge tu saltem; precor, telum (perire feminae possum manu) iam fracta, iam satiata — quid pascis minas? quid quaeris ultra? supplicem Alciden vides,	1320
at nulla tellus, nulla me vidit fera	

1296 non tamen A || 1299 aliquod *N. Heinsius* p. 278 ||  
 1300 audieris E || 1302 credo A<sup>(τ)</sup> | verum mihi A || 1305 sq. manu  
 pr. mortem *Peiper* || 1306 propera autem mortem A<sup>(τ)</sup> propera-  
 que mortem *Birt* || 1309 qui manus Pindo ferat E q. manu  
 Pindum ferant A *Madvig*: quae manus Pindon ferat *Koetschau*:  
 qui manus Pindo inferant || 1310 aut te Ossa A | proscripto op-  
 primat E proiecto opprimant A *Madvig*: aut te, Ossa, quae me  
 m. prurpto o. *de Wilamowitz*: Otonve qui me *Leo*: Ossamque,  
 ut in me m. p. opprimar *Koetschau*: et ossa qui mea m. proi.  
 opprimant || 1311 abrumpet et A || 1318 possim ψ || 1319 farta  
*Birt coll. Cic. Tusc. II 24* || 1320 Alcidem EA corr. ψ || 1321 et  
 nulla ω corr. *Koetschau*

te deprecantem. nunc mihi irata † pater  
opus est noverca — nunc tuus cessat dolor?  
nunc odia ponis? parcis ubi votum est mori.  
o terra et urbes, non facem quisquam Herculi, 1325  
non arma tradet? tela subtrahitis mihi?  
ita nulla saevas terra concipiat feras  
post me sepultum nec meas umquam manus  
imploret orbis, si qua nascentur mala,  
nascatur ultor: undique infelix caput 1330  
mactate saxis, vincite aerumnas meas.  
ingrate cessas orbis? excidimus tibi?  
adhuc malis ferisque suppositus fores,  
ni me tulisses. vindicem vestri malis  
eripite, populi: tempus hoc vobis datur 1335  
pensare merita — mors erit pretium omnium.

ALCM. Quas misera terras mater Alcidae petam?  
ubi natus, ubinam? certa si visus notat,  
reclinis ecce corde anhelante aestuat;  
gemit: peractum est. membra complecti ultima, 1340  
o nate, liceat, spiritus fugiens meo  
legatur ore: brachia, amplexus cape.  
ubi membra sunt? ubi illa quae mundum tulit  
stelligera cervix? quis tibi exiguum tui  
partem reliquit? HERC. Herculem spectas quidem, 1345  
mater, sed umbram et vile nescio quid mei.  
agnosce, mater — ora quid flectis retro

1322 te de precante E | irata quidem A irata acriter vel:  
ira ter quater o. e. novercae Richter irata insuper Koetschau  
irata ac fera Leo || 1323 num E || 1324 num ex nom E<sup>1</sup> ||  
1325 terre A || 1328 sepulto E || 1329 nascetur fera A || 1330 nas-  
catur alius A nascetur odium E corr. Peiper (nascatur opifer  
Leo) || 1331 mactare E || 1334 vestrum A vestris E corr. N. Hein-  
sius p. 279 || 1335 excipite A || 1336 pensate A || 1338 ubi intus E  
ubinam est A || 1339 anhelanti A || 1340 ultimum Bothe ||  
1342 brachia et amplexus E brachia in amplexus A corr.  
Richter || 1344 tui ex tua E<sup>1</sup> || 1345 reliquid | quis feram mundus  
nouam? | HERC. Herculem E (v. 1349) || 1346 umbre simile A

voltumque mergis? Herculem dici tuum  
partum erubescis? ALCM. Quis feram mundus novam,  
quae terra genuit? quodve tam dirum nefas 1350  
de te triumphat? victor Hercules quis est?  
HERC. Nuptae iacentem cernis Alciden dolis.  
ALCM. Quis tantus est qui vincat Alciden dolus?  
HERC. Quicumque, mater, feminae iratae sat est.  
ALCM. Et unde in artus pestis aut ossa incidit? 1355  
HERC. Aditum venenis palla femineis dedit.  
ALCM. Vbinam ista palla est? membra nudata intuor.  
HERC. Consumpta mecum est. ALCM. Tantane inventa  
est lues?  
HERC. Errare mediis crede visceribus meis,  
o mater, hydram et mille cum Lerna feras. 1360  
quae tanta nubes flamma Sicanias secat,  
quae Lemnos ardens, quae plaga igniferi poli  
vetans flagranti currere in zona diem?  
in ipsa me iactate. pro comites, freta  
mediosque in annes — quis sat est Hister mihi? 1365  
non ipse terris maior Oceanus meos  
franget vapores, omnis in nostris malis  
deficiet umor, omnis arescet latex.  
quid, rector Erebi, me remittebas Iovi?  
deciuit tenere; redde me tenebris tuis, 1370  
talem subactis Herculem ostende inferis.  
nil inde ducam, quid times iterum Herculem?  
invade, mors, non trepida: iam possum mori.  
ALCM. Compesce lacrimas saltem et aerumnas doma  
malisque tantis Herculem indomitum refer 1375  
mortemque differ: quos soles, vince inferos.

1348 uultumque mergis E u. maerens A || 1350 quodque E ||  
1354 cuicumque m. femina irata s. e. E || 1355 at unde A ||  
1356 feminea E || 1357 ipsa A || 1359 medias N. Heinsius p. 280 |  
credo A || 1361 Sicania secat E Sicanias bibit A || 1362 inferni  
p. A || 1363 uetat E || 1365 qui E || 1370 teneri E || 1371 qualem  
s. h. ostendes E || 1372 nichil inducam E || 1373 ne trepida E ||  
1374 erumpna E || 1376 m. uince A || quod EA corr. ψ

- HERC. Si me catenis horridus vinctum suis  
 praeberet avidae Caucasus volucris dapem,  
 Scythia gemente flebilis gemitus mihi  
 non excidisset; si vagae Symplegades 1380  
 utraque premerent rupe, redeuntis minax  
 ferrem ruinas; Pindus incumbat mihi  
 atque Haemus et qui Thracios fluctus Athos  
 frangit Iovisque fulmen excipiens Minas:  
 non ipse si in me, mater, hic mundus ruat 1385  
 superque nostros flagret incensus toros  
 Phoebus axis, degener mentem Herculis  
 clamor domaret; mille decurrant ferae  
 pariterque lacerent, hinc feris clangoribus  
 aetheria me Stymphalis, hinc taurus minax 1390  
 cervice tota pulset et quicquid fuit  
 solum quoque ingens; surgat hinc illinc nemus  
 artusque nostros durus immittat Sinis:  
 sparsus silebo — non ferae excutient mihi,  
 non arma gemitus, nil quod impelli potest. 1395  
 ALCM. Non virus artus, nate, femineum coquit,  
 sed dura series operis et longus tibi  
 pavit cruentos forsitan morbos labor.  
 HERC. Vbi morbus, ubinam est? estne adhuc aliquid  
 mali  
 in orbe mecum? veniat, huc aliquis mihi 1400  
 intendat arcus: nuda sufficiet manus.

1378 p. alicue casus E || 1379 Scithe E | gementem EA(τ)  
 corr. ψ || 1380 extitisset ω corr. Bentley || 1381 utraque E  
 utrimque A corr. ψ | rupes A(τ) | redeuntis A | minas ω corr.  
 Leo Mus. Rhen. 35 p. 431 n. || 1382 ruine A || 1384 fr. tonantis  
 f. excipiens Iouis A fr. Iovisque f. excutiens minas E corr.  
 Lipsius || 1386 rogos A || 1389 fera E || 1392 illinc fremens A  
 s. q. urgeat (om. ingens) h. et i. nemus E s. q. ingens surgat  
 hinc illinc simul ci. Gronov || 1393 cinis E corr. Gronov a. n.  
 durus inuat (vel ineat) dolor A(τ) (imminuat ψ) || 1395 nichil E ||  
 1396 quoquit E || 1397 durus serpens A(τ) | tibi om. E || 1398 fa-  
 uet cruentis ω corr. Gronov | f. morbis dolor A || 1399 desine  
 adhuc aliquid mali E corr. Gronov testis est aliquis mali? A ||  
 1400. 1401 inverso ordine A | mecum om. A(τ)

procedat aegidam huc. ALCM. Ei mihi, sensum quoque  
excussit illi nimius impulsu dolor.

removete quaeso tela et infestas precor  
rapite hinc sagittas: igne suffuso genae 1405

scelus minantur; quas petam latebras anus?

dolor iste furor est: Herculem solus domat.

cur deinde latebras aut fugam vaecors petam?

obire forti meruit Alcmena manu:

vel scelere pereat, antequam letum mihi 1410

ignavus aliquis mandat ac turpis manus

de me triumphat. ecce lassatus malis

sopore fessas alligat venas dolor

gravique anhelum pectus impulsu quatit.

favete, superi. si mihi gnatum inclutum 1415

miseræ negastis, vindicem saltem precor

servate terris. abeat excussus dolor

corpusque vires repararet Herculeum suas.

## HYLLVS ALCMENA HERCVLES PHILOCTETES TACITVS

Pro lux acerba, pro capax scelerum dies!

nurus Tonantis occidit, natus iacet, 1420

nepos supersum; scelere materno hic perit,

fraude illa capta est — quis per annorum vices

totoque in aevo poterit aerumnas senex

referre tantas? unus eripuit dies

parentem utrumque; cetera ut sileam mala 1425

1402 huc om. EA add. α | et mihi sensus A || 1403 excussus A(α) | ille ω corr. Bentley | impulsus A impulsans E corr. Delrio || 1406 quas etiam E corr. Gronov qua fuga latebras petam A || 1407. 1408 om. A(α) del. Peiper || 1407 solus Herculem EA corr. ψ || 1408 c. d. lacrimas ψ || 1409 meminit A | Alcmena E || 1410 ut sc. E || 1411 mandat A || 1412 triumphet A || 1413 sopor E || 1414 anhelus p. impulsus A || 1415 inclutae E || 1416 negatis A || 1417 om. E || 1418 H. nefas E | PHIL. TAC. om. ω add. Peiper || 1419 HYL. praef. E | sc. dolor A || 1424 tanta se unus E | eripiet A

parcamque fatis: Herculem amitto patrem.  
 ALCM. Compesce voces, inclutum Alcidae genus  
 miseraeque fato similis Alcmene nepos:  
 longus dolorem forsitan vincet sopor.  
 sed ecce, lassam deserit mentem quies 1430  
 redditque morbo corpus et luctum mihi.  
 HERC. Quid hoc? rigenti cernitur Trachin iugo,  
 en inter astra positus evasi genus  
 mortale tandem. quis mihi caelum parat?  
 te te, pater, iam video, placatam quoque 1435  
 specto novercam. quis sonus nostras ferit  
 caelestis aures? Iuno me generum vocat.  
 video nitentem regiam clari aetheris  
 Phoebique tritam flammea zonam rota.  
 cubile video Noctis; hinc tenebrae volant. 1440  
 quid hoc? quis arcem cludit et ab ipsis, pater,  
 deducit astris? ora Phoebus modo  
 afflabat axis, iam prope a caelo fui —  
 Trachina video; quis mihi terras dedit?  
 Oete modo infra steterat ac totus fuit 1445  
 suppositus orbis; quam bene excideras, dolor!  
 cogis fateri — parce et hanc vocem occupa.  
 hoc, Hylle, dona matris hoc munus parant.  
 utinam liceret stipite ingesto impiam  
 effringere animam quale Amazonium malum 1450  
 circa nivâlis Caucasi domui latus.  
 o cara Megara, tune cum furerem mihi

1431 luctus A | michi E || 1432 mergitur Birt | trachio E ||  
 1433 aut A at (ac, et)  $\psi$  om. E corr. N. Heinsius || 1438. 1439  
 om. E || 1438 uideo intentam A( $\tau$ ) || 1440 tenebrae vocant E  
 tenebras uocat A corr. M. Müller p. 58 (v. 1440 post 1441 collo-  
 caverat Leo) || 1441 quis hoc? A( $\tau$ ) axem cludit  $\omega$  corr. Peiper |  
 et om. E || 1442 deducor A || 1443 afflauat E | tam prope ci.  
 Koetschau | a leto fuit A || 1445 modo nempe infra steterat ac  
 totus mihi A Oete modo inferas te peracto tutus fuit E corr.  
 Gronov || 1446 tam  $\omega$  corr. Peiper || 1448 hoc ille E hec ille A |  
 parat  $\omega$  corr. Leo || 1450 malo E || 1451 nivales E || 1452 clara  $\omega$   
 corr. N. Heinsius p. 285 | megera EA corr.  $\psi$  | tum cum E

- coniunx fuisti? stipitem atque arcus date,  
 dextra inquinetur, laudibus maculam imprimam,  
 summus legatur femina Herculeus labor. 1455
- HYL. Compesce diras, genitor, irarum minas;  
 habet, peractum est, quas petis poenas dedit:  
 sua perempta dextera mater iacet.
- HERC. Cecidit dolose: manibus irati Herculis  
 occidere meruit; perdidit comitem Lichas. 1460  
 saevire in ipsum corpus exanime impetus  
 atque ira cogit. cur minis nostris caret  
 ipsum cadaver? pabulum accipiant ferae.
- HYL. Plus misera laeso doluit: hinc aliquid quoque  
 detrahare velles? occidit dextra sua, 1465  
 tuo dolore: plura quam poscis tulit.  
 sed non cruentae sceleribus nuptae iaces  
 nec fraude matris: Nessus hos struxit dolos  
 ictus sagittis qui tuis vitam expuit.  
 cruore tincta est palla semiferi, pater, 1470  
 Nessusque nunc has exigit poenas sibi.
- HERC. Habet, peractum est, fata se nostra explicant;  
 lux ista summa est: quercus hanc sortem mihi  
 fatidica quondam dederat et Parnassio  
 Cirrhaea quatiens templa mugitu specus: 1475  
 'dextra perempti victor, Alcide, viri  
 olim iacebis; hic tibi emenso freta  
 terrasque et umbras finis extremus datur.'  
 nil querimur ultra: decuit hunc finem dari,

1453 coniunx E || 1454 macula menbris E || 1459 ceci dolores A  
 recte dolor es E corr. Richter symb. p. 12 (relicte dolor es Leo,  
 iacet? ei dolori est Peiper, recte. dolus eius—m. i. H. | o. m.—  
 perdidit comitem, Licha Birt) || 1460 perdidit comitem Licha E  
 poscit hunc comitem Lichas Tachau || 1464 quodque E ||  
 1465 dextera E || 1466 dolori E || 1469 om. E | extulit A ab-  
 stulit vel expulit ψ corr. Debric (cf. Luc. VII 622) || 1471 Her-  
 culis est A(ε) || 1472 habet pater. actum e. E | nostra se A ||  
 1473 summam mihi E ψ || 1475 patiens E | m. nemus ω corr.  
 N. Heinsius p. 286 || 1476 dextera perhemptus u. Alcides E ||  
 1479 nihil E | dare E



- ne quis superstes Herculis victor foret. 1480  
nunc mors legatur clara memoranda incluta,  
me digna prorsus. nobilem hunc faciam diem.  
caedatur omnis silva et Oetaeum nemus  
considat: ingens Herculem accipiat rogas,  
sed ante mortem. tu, genus Poeantium, 1485  
hoc triste nobis, iuvenis, officium appara;  
Herculea totum flamma succendat diem.  
ad te preces nunc, Hylle, supremas fero.  
est clara captas inter, in voltu genus  
regnumque referens, Euryto virgo edita 1490  
Iole: tuis hanc facibus et thalamis para.  
victor cruentus abstuli patriam lares  
nihilque miserae praeter Alciden dedi:  
et ipse rapitur. penset aerumnas suas,  
Iovis nepotem foveat et natum Herculis; 1495  
tibi illa pariat quicquid ex nobis habet.  
tuque ipsa planctus pone funereos, precor,  
o clara genetrix: vivit Alcides tibi.  
virtute nostra paelicem feci tuam  
credi novercam. sive nascente Hercule 1500  
nox illa certa est sive mortalis meus  
pater est — licet sit falsa progenies mei,  
[materna culpa cesset et crimen Iovis]  
merui parentem: contuli caelo decus  
materque me concepit in laudes Iovis. 1505  
quin ipse, quamquam Iuppiter, credi meus  
pater esse gaudet; parce iam lacrimis, parens:  
superba matres inter Argolicas eris.

1480 Herculi E || 1484 concipiat ignes E suscipiat ignem A  
*corr.* Peiper (conripite ut ingens *Leo*) | acc. nemus E || 1485 te E  
1488 ALC. E | ioles suppressas E || 1489 incultum genus A ||  
1490 ante 1489 A(τ) || 1491 flammis para A || 1492 HERC. E | patrio  
a lare A || 1494 ipsa E iste A *corr.* ψ || 1497 funebres A ||  
1498 vivet A. tuus A || 1500 nascentem Herculem E || 1501 non  
illa A nox i. ererat *Birt* || 1502 pr. mihi A || 1503 om. E *del.*  
*Leo* || 1505 natumque me E natura me A *corr.* *Leo* || 1506 quam  
Iuppiter E || 1507 lacr. meis A

quid tale Iuno genuit aetherium gerens  
 sceptrum et Tonanti nupta? mortali tamen 1510  
 caelum tenens invidit, Alciden suum  
 dici esse voluit. perage nunc, Titan, vices  
 solus relictus: ille qui vester comes  
 ubique fueram, Tartara et manes peto.  
 hanc tamen ad imos perferam laudem inclutam, 1515  
 quod nulla pestis fudit Alciden palam  
 omnemque pestem vicit Alcides palam.

## CHORVS .

O decus mundi, radiate Titan,  
 cuius ad primos Hecate vapores  
 lassa nocturnae levat ora bigae. 1520  
 dic sub Aurora positis Sabaeis,  
 dic sub occasu positis Hiberis,  
 quique sub plaustro patiuntur ursae  
 quique ferventi quatiuntur axe,  
 dic sub aeternos properare manes 1525  
 Herculem et regnum canis inquieti,  
 unde non unquam remeabit ille.  
 sume quos nubes radios sequantur,  
 pallidus maestas speculari terras  
 et caput turpes nebulae pererrent. 1530  
 quando, pro Titan, ubi, quo sub axe  
 Herculem in terris alium sequeris?  
 quas manus orbis miser invocabit,  
 si qua sub Lerna numerosa pestis  
 sparget in centum rabiem dracones, 1535

1509 Iuno peperit A || 1512 d. esse vellet Bentley || 1513 re-  
 lictas N. Heinsius p. 286 || 1515 inclitam A || 1516 p. vicit A ||  
 1517 omnemque E || 1520 laxa n. Hebat E || 1523. 1524 inverso or-  
 dine A || 1524 quique feruentem patiuntur axem A || 1525 dic  
 ad a. A || 1527 unde non ω denuo ci. Leo | numquam E | re-  
 meavit ω corr. Leo | inde E ullus A corr. Richter || 1531 ubi  
 quove summo A(ε) || 1533 invocabis A || 1534 sub terra A ||  
 1535 sparget intentam rabiem draconis A

Arcadam si quis populis vetustis  
 fecerit silvas aper inquietas,  
 Thraciae si quis Rhodopes alumnus  
 durior terris Helices nivosae  
 sparget humano stabulum cruore? 1540  
 quis dabit pacem populo timenti,  
 si quid irati superi per orbem  
 iusserint nasci? iacet omnibus par,  
 quem parem tellus genuit Tonanti.  
 planctus immensas resonet per urbes 1545  
 et comas nullo cohibente nodo  
 feminae exertos feriant lacertos,  
 solaque obductis foribus deorum  
 templa securae pateant novercae.

Vadis ad Lethen Stygiumque litus, 1550  
 unde te nullae referent carinae;  
 vadis ad manes miserandus, unde  
 Morte devicta tuleras triumphum,  
 umbra nudatis veniens lacertis  
 languido vultu tenuique collo; 1555  
 teque non solum feret illa puppis

\* \* \*

non tamen vilis eris iuter umbras:  
 Aeacos inter gemitosque Cretas  
 facta discernens, feriens tyrannos.  
 parcite, o dites, inhibete dextras: 1560  
 laudis est purum tenuisse ferrum,  
 cumque regnabas, minus in procellis  
 in tuas urbes licuisse fatis.

1538 populi vetusti A populis vetustas E corr. Gronov ||  
 1540 spargit A pascet Gronov || 1542 per urbes ω corr. Leo ||  
 1543 iusserunt E || 1545 intensus A(τ) || 1547 femina e. feriat A  
 referunt ψ || 1554 venies A || 1555 trepidoque A || 1556 atra Birn |  
 post 1556 lacunam notavit Peiper; cuius tale supplementum proposuit  
 Leo coll. Herc. f. 775 sq.: <quae tulit solum metuitque mergi> ||  
 1557 viles A || 1558 Aeacosque A Aeacumque ψ || 1559 fata ψ |  
 discernes. fieri (vel feri) tyranni A || 1560 o dices E || 1562 dumque  
 regnabas minimum eruentis A || 1563 fati Gron. cf. Leo II 364

Sed locum virtus habet inter astra.

sedis arctoeae spatium tenebis	1565
an graves Titan ubi promit aestus?	
an sub occasu tepido nitebis,	
unde commisso resonare ponto	
audies Calpen? loca quae sereni	
deprimes caeli? quis erit recepto	1570
tutus Alcide locus inter astra?	
horrido tantum procul a leone	
det pater sedes calidoque cancro,	
ne tuo vultu tremefacta leges	
astra conturbent trepidetque Titan.	1575
vere dum flores venient tepenti	
vel comam silvis revocabit aestas	1578
pomaque autumnno fugiente cedent,	1579
vel comam silvis hiemes recident:	1577
tu comes Phoebos, comes ibis astris.	1581
nulla te terris rapiet vetustas:	1580
ante nascetur seges in profundo	1582
vel fretum dulci resonabit unda,	
ante descendet glacialis ursae	
sidus et ponto vetito fruetur,	1585
quam tuas laudes populi quiescant.	
te, pater rerum, miseri precamur:	
nulla nascatur fera, nulla pestis,	
non duces saevos miseranda tellus	
horreat, nulla dominetur aula	1590
qui putet solum decus esse regni	
semper impendens tenuisse ferrum;	

1564—1606 om. E; locum spurium esse suspicatur Leo ||  
 1564 Sin locum Grotius || 1566 gravis A || 1570 recepti A corr. ψ ||  
 1576 veniunt A (R10 Ag.) corr. ψ (Vd.) || 1577 post 1579 traiecit  
 Richter | et comam A corr. Richter | recidunt A corr. ψ ||  
 1581 ante 1580 posuit Richter || 1584 discedet A corr. ψ ||  
 1590 habeat nec ulla A corr. Lipsius || 1591 qui (vel quod) po-  
 test A corr. ψ (putat R10) || 1592 impensum A corr. Richter  
 (intensum vel intentum N. Heinsius p 287)

si quid in terris iterum timetur,  
vindicem terrae petimus relictæ.

Heu quid hoc? mundus sonat. ecce

maeret, 1595

maeret Alciden pater; an deorum  
clamor, an vox est timidæ novercæ

Hercule et viso fugit astra Iuno?

passus an pondus titubavit Atlas?

an magis diri tremuere manes

1600

Herculem et visum canis inferorum

fugit abruptis trepidus catenis?

fallimur: laeto venit ecce voltu

quem tulit Poëans umerisque tela

gestat et notas populis pharetras,

1605

Herculis heres.

### NVNTIVS CHORVS

Effare casus, iuvenis, Herculeos precor  
vultuque quonam tulerit Alcides necem.

NVNT. Quo nemo vitam. CHOR. Laetus adeone ultimos  
invasit ignes? NVNT. Esse iam flammæ nihil 1610

ostendit ille. quid sub hoc mundo Hercules

immune vinci liquit? en domita omnia.

CHOR. Inter vapores quis fuit forti locus?

NVNT. Quod unum in orbe vicerat nondum malum,

et flamma victa est; hæc quoque accessit feris: 1615

inter labores ignis Herculeos abit.

CHOR. Edissere agedum, flamma quo victa est modo?

NVNT. Vt omnis Oeten maesta corripuit manus,

1595 en q. hic  $\psi$  (*Vd.*, hem q. hoc *Ag.*) | maeret om. A( $\tau$ ) ||  
1598 an viso A corr. *Peiper* || 1599 lassus A corr.  $\psi$  || 1604 hu-  
milisque A( $\tau$ ) corr.  $\psi$  || 1607 *inscr.* Nutrix. philoctetes A (*sic*  
*per totam scaenam*) || 1608 voltune E || 1610 tam E || 1611 qui sub  
occasu Hercules A qui sub hoc mundo Herculis E corr. *Leo*  
(qui s. h. m. nihil *Birt*) || 1612 virtute vinci indomita decuit  
omnia A || v. 1613—1616 e *ditlographia* natos esse *Richter sus-*  
*picatur* || 1614 orbem E | venerat A

huic fagus umbras perdit et toto iacet  
 succisa trunco, flectit hic pinum ferox 1620  
 astris minantem et nube de media vocat:  
 ruitura caute movit et silvam tulit  
 secum minorem. ut Chaonis quondam loquax  
 stat vasta late quercus et Phoebum vetat  
 ultraque totum porrigit ramos nemus; 1625  
 gemit illa multo vulnere impresso minax  
 frangitque cuneos, resilit incussus chalybs  
 vulnusque ferrum patitur et rigidum est parum.  
 commota tandem cum cadens latam sui  
 duxit ruinam, protinus radios locus 1630  
 admisit omnis: sedibus pulsae suis  
 volucres pererrant nemore succiso diem  
 quaeruntque lassis garrulae pinnis domus.  
 iamque omnis arbor sonuit et sacrae quoque  
 sensere quercus horridam ferro manum 1635  
 nullique priscum profuit luco decus;  
 aggeritur omnis silva et alternae trabes  
 in astra tollunt Herculi angustum rogam:  
 raptura flammam pinus et robur tenax  
 et brevior ilex. alba sed complet rogam 1640  
 populea silva, frontis Herculeae decus.

1619 hic E hinc A corr. Gronov | tota A(σ) || 1620 flexit  
 hinc A || 1622 cautes m. e. s. trahit A || 1623 ut om. ω add.  
 Richter qualis loq. Leo || 1624 stat lata vasti A | et poenas  
 uocat E || 1625 totos ω corr. Rapheling | ramos manus E ||  
 1626 vulnere EA || 1627 excussus A || 1628 patitur et truncum  
 fugit A patitur frigidus parum E corr. Bothe (ut rigidum pa-  
 rum Gronov) || 1629 tandem est tum (tunc) A tandem tum E  
 corr. Leo | cadens l. s. E cadens lenta mora A || 1631 omnes A  
 post omnes distinxit Bentley || 1632 succiso domus A || 1633 pen-  
 nis A | nemus AE corr. ψ || 1635 horridam (a ex u) E<sup>1</sup> ||  
 1636 ligno A | nemus ω corr. Koetschau, coll. 1641 || 1637 ae-  
 ternae E || 1638 angustum A anguste E corr. ψ || 1639 rapit  
 (rapitque ψ) alta fl. A rapitura fl. E corr. N. Heinsius p. 299 ||  
 1640 ilex silva ω corr. idem | contexit pyram A se complet  
 rogo E sed c. rogos Bothe, rogam Leo || 1641 frondis h. nemus ω  
 corr. N. Heinsius l. n.

at ille, ut ingens nemore sub Nasamonio  
 aegro reclinis pectore inmugit leo,  
 fertur: quis illum credat ad flammam rapi?  
 voltus petentis astra, non ignes erat, 1645  
 ut pressit Oeten ac suis oculis rogam  
 lustravit omnem. fregit impositus trabes.  
 arcus poposcit. 'accipe haec' inquit, 'sate  
 Poeante, dona, hoc munus Alcidae cape.  
 has hydra sensit, his iacent Stymphalides 1650  
 et quicquid aliud eminus vici malum.  
 † victrix felix, iuuenis, has numquam irritas  
 mittes in hostem; sive de media voles  
 auferre volucres nube, descendunt aves  
 et certa praedae tela de caelo fluent, 1655  
 nec fallat unquam dexteram hic arcus tuam:  
 librare tela didicit et certam dare  
 fugam sagittis, ipsa non fallunt iter  
 emissa nervo tela; tu tantum precor  
 accommoda ignes et facem extremam mihi. 1660  
 hic nodus' inquit 'nulla quem cepit manus,  
 mecum per ignes flagret; hoc telum Herculem  
 tantum sequetur. hoc quoque acciperes' ait  
 'si ferre posses. adiuvet domini rogam.'  
 tum rigida secum spolia Nemeaei mali 1665  
 arsura poscit; latuit in spolio rogam.

1642 huc ille *idem* p. 300 | nasamonio E || 1643 agere re-  
 clini E aeger reclini A corr. Leo | admugit A || 1645 erant A ||  
 1647 omnes A || 1648 arcumque poscit A || 1649 dona et *ω* corr.  
 Peiper coll. v. 1448 || 1650 sensit *ex* sentit E<sup>1</sup> || 1652 victrix f. E  
 victure f. A virtute f. *ψ* (*Leoni sententia videtur per sive in-*  
*cohata fuisse, e. g.: sive eris in acie. Inde quod Iachau pro-*  
*fert [Hermes 28, 311] supplementum, vitio laborat metrico*) |  
 iuuenis om. A(τ) | has enim A(τ) || 1653 hostes A | si de E | si  
 vel e Birt || 1655 praeda E praedam (vel praedas) A corr. Gro-  
 nov | ferent A || 1659 tela nervo E || 1660 ignem E || 1661 nodus  
 inclitus A(τ) | capiet A || 1662 per ignem *ψ* | hoc telum sequar  
 (sequax) A || 1663 nam cur sequatur vel sequetur A iactatur *ψ* |  
 hunc A || 1664 regum E || 1665 nemeaei EA corr. *cc*

- ingemuit omnis turba nec lacrimas dolor  
 cuiquam remisit. mater in luctum furens  
 diduxit avidum pectus atque utero tenus  
 exerta vastos ubera in plactus ferit, 1670  
 superosque et ipsum vocibus pulsans Iovem  
 implevit omnem voce feminea locum.  
 'deforme letum, mater, Herculeum facis,  
 compesce lacrimas' inquit, 'introrsus dolor  
 femineus abeat; Iuno cur laetum diem 1675  
 te flente ducat? paelicis gaudet suae  
 spectare lacrimas. comprime infirmum iecur,  
 mater: nefas est ubera atque uterum tibi  
 laniare, qui me genuit.' et dirum fremens,  
 qualis per urbes duxit Argolicas canem, 1680  
 cum victor Erebi Dite contempto redit  
 tremente fato, talis incubuit rogo.  
 quis sic triumphans laetus in curru stetit  
 victor? quis illo gentibus voltu dedit  
 leges tyrannus? quanta pax habitum tulit! 1685  
 haesere lacrimae, cecidit impulsus dolor  
 nobis quoque ipsis, nemo periturum ingemit:  
 iam flere pudor est; ipsa quam sexus iubet  
 maerere, siccis haesit Alcmene genis  
 stetitque nato paene iam similis parens. 1690  
 CHOR. Nullasne in astra misit ad superos preces  
 arsurus aut in vota respexit Iovem?  
 NVNT. Iacuit sui securus et caelum intuens  
 quaesivit oculis, parte an ex aliqua pater  
 despiceret illum. tum manus tendens ait: 1695

1669 deduxit E | avidum ex auido E || 1670 vasto verbera  
 in plactus furit E ruit Gronov || 1672 funerea N. Heinsius  
 p. 301 coll. v. 1497 || 1674<sup>b</sup>. 75<sup>a</sup> (intr.—abeat) om. A(τ) || 1677 con-  
 tine firmum A(τ) || 1679 me om. E || 1680 urbem E || 1681 con-  
 temto redit E || 1684 vultu ω || 1685 obitus A || 1686 expulsus A ||  
 1687 morituro ingemit A puerum ingemit E corr. N. Heinsius  
 p. 302 || 1691 aut sup. A || 1692 arsurus om. E || 1694 arce ω  
 corr. Leo, arce a. e. alta ci. Koetschau



'quacumque parte prospicis natum pater,  
 te te precor, cui nocte commissa dies  
 quievit unus, si meas laudes canit  
 utrumque Phoebi litus et Scythiae genus  
 et omnis ardens ora quam torret dies, 1700  
 si pace tellus plena, si nullae gemunt  
 urbes nec aras impias quisquam inquinat,  
 si scelera desunt, spiritum admitte hunc precor  
 in astra. non me mortis infernae locus  
 nec maesta nigri regna conterrent Iovis, 1705  
 sed ire ad illos umbra, quos vici, deos,  
 pater, erubesco. nube discussa diem  
 pande, ut deorum voltus ardentem Herculem  
 spectet; licet tu sidera et mundum neges,  
 ultro, pater, cogere: si voces dolor 1710  
 abstulerit ulla, pande tum Stygios lacus  
 et redde fatis; approba natum prius:  
 ut dignus astris videar, hic faciet dies.  
 leve est quod actum est; Herculem hic, genitor, dies  
 inveniet aut damnabit.' haec postquam edidit, 1715  
 flammam poposcit. 'hoc age, Alcidae comes 1717  
 non segnis' inquit 'corripe Oetaeam facem.  
 noverca cernat quo feram flammam modo. 1716  
 quid dextra tremuit? num manus pavida impium 1719  
 scelus refugit? redde iam pharetras mihi, 1720

1696 om. E || 1697 te te pater. E iste est pater A corr. Richter |  
 quem n. c. d. | quaesivit unus ω corr. Leo || 1698 canis E ||  
 1699 om. E || 1700 omnis amens ore qui E || 1701 parce E | si  
 mille gemunt A(τ) || 1703 admitti A amitte E corr. Gronov ||  
 1704 nec me A | noctis vel sortis N. Heinsius p. 302 || 1708 pa . . . .  
 ut 5 litterar. spatio relicto E<sup>1</sup> spatium sic: parere ut explevit  
 scholiasta s. XIV, cf. Leo in editione | vulgus vel coetus N. Hein-  
 sius p. 303 || 1709 licet om. E || 1710 V cogere vacuo 12 litt.  
 spatio E || 1711 At it (vacuo 10 litter. spatio) ulla tange (pange  
 Ribb.) tunc E<sup>1</sup>; unde corrector effecit: abstulerit ulla pande  
 tamen (sic ψ) || 1714 Herculem genitor prius A || 1715 invenit an  
 damnavit. hoc postquam (postque ψ) addidit A || 1716 om. E  
 del. Leo, post v. 1718 posuit Gronov || 1718 oetaean E || 1719 pa-  
 vidum et impium E

ignave iners inermis — en nostros manus  
 quae tendat arcus! quid sedet pallor genis?  
 animo faces invade quo Alciden vides  
 voltu iacere. respice arsurum, miser.  
 vocat ecce iam me genitor et pandit polos; 1725  
 venio, pater.' voltusque non idem fuit.  
 tremente pinum dextera ardentem impulit.  
 refugit ignis et reluctantur faces  
 et membra vitant, sed recedentem Hercules  
 insequitur ignem. Caucasum aut Pindum aut Athon 1730  
 ardere credas: nullus erumpit sonus,  
 tantum ingemescit ignis. o durum iecur!  
 Typhon in illo positus immanis rogo  
 gemisset ipse quique convulsam solo  
 imposuit umeris Ossan Enceladus ferox; 1735  
 at ille medias inter exurgens faces,  
 semiustus ac laniatus, intrepidum tuens:  
 'nunc es parens Herculea: sic stare ad rogam  
 te, mater' inquit, 'sic decet fieri Herculem.'  
 inter vapores positus et flammae minas 1740  
 immotus, inconcussus, in neutrum latus  
 correpta torquens membra adhortatur, monet,  
 gerit aliquid ardens. omnibus fortem addidit  
 animum ministris; urere ardentem putes.  
 stupet omne vulgus, vix habent flammae fidem, 1745  
 tam placida frons est, tanta maiestas viro.

1721 est nostros A || 1722 quis A || 1724 iacere: m *scr. sup.*  
 r E<sup>1</sup> | respice — genitor *om.* E || 1725 rogat ecce A | pandit  
 deos E *in mg. versum repetit (om. iam)* E<sup>1</sup> || 1726 venio venio  
 p. vultusque E || 1727 trementem E | impuli A || 1728 luctan-  
 tur E || 1729 vitat E || 1730 athom E || 1731 ardere cernas n. ir-  
 rumpit E || 1732 o durum it E ad durum iecur A || 1733 im-  
 ma . . . nis *spatio 8 litterarum vacuo* E || 1734 concussam E ||  
 1735 encelladus E || 1736 ast ille E | exurens E || 1737 intrepidi-  
 dus ω rubens A ruens E *corr. N. Heinsius p. 304* || 1738 nunc  
 o parens A n. est p. E *corr. ψ* | herculem E || 1739 stare h. E ||  
 1740 vaporem E || 1742 flectens A torrens E *corr. Gronov* | mo-  
 vet E || 1743 forte E || 1744 ardente E || 1745 vulgus ω

nec properat uri; cumque iam forti datum  
 leto satis pensavit, igniferas trabes  
 hinc inde traxit, minima quas flamma occupat,  
 totasque in ignes vertit et quis plurimus 1750  
 exundat ignis repetit intrepidus ferox.  
 tunc ora flammis implet: ast illi graves  
 luxere barbae; cumque iam voltum minax  
 appeteret ignis, lamberent flammae caput,

\*

[non pressit oculos. sed quid hoc? maestam intuor 1755  
 sinu gerentem reliquias magni Herculis  
 crinemque iactans squalidum Alcmene gemit.]

### ALCMENE HYLLVS

Timete, superi, fata: tam parvus cinis  
 Herculeus, huc huc ille decrevit gigans!  
 o quanta, Titan, ad nihil moles abit; 1760  
 anilis, heu me, recipit Alciden sinus,  
 hic tumulus illi est: ecce vix totam Hercules  
 complevit urnam; quam leve est pondus mihi,  
 cui totus aether pondus incubuit leve.  
 ad Tartara olim regnaque, o nate, ultima 1765  
 rediturus ibas — quando ab inferna Styge  
 remeabis iterum? non ut et spoliū trahas  
 rursusque Theseus debeat lucem tibi —  
 sed quando solus? mundus impositus tuas

1747 nec poterat uticumque **E** cf. *Leo I 212* || 1748 pensa-  
 vit ex pensavis **E**<sup>1</sup> || 1749 nimia **EA** corr.  $\psi$  | quis **E** || 1750 ig-  
 nem **A** | qua **A** quas **E** corr. *Gronov* | pluribus **E** || 1751 reci-  
 pit **A** repedit **E** corr.  $\psi$  || 1752 nunc **A** | at **A**( $\tau$ ) atque  $\psi$  ||  
 1753 om. **E** | uultu **A**( $\tau$ ) || 1755 om. **E** del. *Leo cum v. sequenti,*  
*narrationis extrema vel interciderunt vel scripta non sunt a poeta,*  
*cf. Melzer p. 8; ergo v. 1757 quoque delendus erat | hoc om.*  
**A**( $\tau$ ) hanc  $\psi$  || 1756 gementem **E** || 1757 gemuit **E** | cinerem-  
 que (sic  $\psi$ ) luctu squalida **A**. gerit *Bentley* || *inscr.: ALCMENA*  
**PHILOCTETES** **A** || 1758 *ALM. praef.* **E** | superis **E** || 1759 **H.** est  
 huc **A** || 1760 in nihil **A** || 1761 cepit *Alc.* **A** || 1762 ille **Z** | to-  
 ton **E** || 1763 est om. **E** || 1767 et om.  $\psi$  (uti  $\alpha$ ) | solitum tr. **E** ||  
 1768 rursusque **A** || 1769 ignis impositus **A**

compescet umbras teque Tartareus canis 1770  
 inhibere poterit? quando Taenarias fores  
 pulsabis, aut quas mater ad fauces agar  
 qua mors aditur? vadis ad manes iter  
 habiturus unum. quid diem questu tero?  
 quid misera duras vita? quid lucem tenes? 1775  
 quem parere rursus Herculem possum Iovi?  
 quis me parentem natus Alcmenen suam  
 tantus vocabit? o nimis felix nimis,  
 Thebane coniunx, Tartari intrasti loca  
 florente nato teque venientem inferi 1780  
 timuere forsitan, quod pater tantum Herculis,  
 vel falsus, aderas: quas petam terras anus,  
 invisae saevis regibus (si quis tamen  
 rex est relictus saevus)? ei miserae mihi!  
 quicumque caesos ingemit natus patres, 1785  
 a me petet supplicia, me cuncti obruent:  
 si quis minor Busiris aut si quis minor  
 Antaeus orbem fervidae terret plagae,  
 ego praeda ducar; si quis Ismarius gregis  
 Thracis cruenti vindicat, carpent greges 1790  
 mea membra diri; forsitan poenas petet  
 irata Iuno: totus huc verget dolor;  
 secura victo tandem ab Alcide vacat,  
 paelex supersum — a quanta supplicia expetet,

1771 trenareas vel tartareas A(τ) || 1772 pulsabit E | ab  
 quas A | faces E || 1775 lucem hanc tenes A || 1776 quem parere  
 possum H. p. I. E || 1777 quisnam Gronov | Alcmenam A ||  
 1779 tartarea E || 1780 ueniente ψ || 1784 hei A || 1785 ingemunt  
 nati A ingemuit natus E corr. N. Heinsius p. 316 || 1786 pe-  
 tunt A petent ψ petit E corr. idem || 1788 urbes A urbem E  
 corr. idem | perfide terrent A feruidae terrae E corr. Gronov ||  
 1789 hismarios greges A || 1790 om. E, in mg. add. E<sup>1</sup> Trhaces  
 cruenti uindicant partem gregis | uindicans ψ || 1791 uri E  
 duri ψ | petit E || 1792 uretur ω corr. N. Heinsius l. n.  
 (exurget Leo, hanc uret Peiper) || 1794 supersum de qua suppl.  
 exigat (suppl. de qua α) A supersum a qua (sum a qua m.  
 2 in ras.) suppl. expetet E corr. Leo (antiqua s. Peiper)

ne parere possim! fecit hic natus mihi 1795  
 uterum timendum. quae petam Alcmenae loca?  
 quis me locus, quae regio, quae mundi plaga  
 defendet aut quas mater in latebras agar  
 ubique per te nota? sic patriam petam  
 laresque miseros? Argos Eurystheus tenet; 1800  
 marita Thebas regna et Ismenon petam  
 thalamosque nostros, in quibus quondam Iovem  
 dilecta vidi? pro nimis felix, nimis,  
 si fulminantem et ipsa sensissem Iovem!  
 utinam meis visceribus Alcides foret 1805  
 exectus infans! nunc datum est tempus: datum est  
 videre natum laude certantem Iovi,  
 ut et hoc daretur, scire quid fatum mihi  
 eripere posset. quis memor vivit tui,  
 o nate, populus? omne iam ingratum est genus. 1810  
 petam Cleonas? Arcadum populos petam  
 meritisque terras nobiles quaeram tuis?  
 hic dira serpens cecidit, hic ales fera,  
 hic rex cruentus, hic tua fractus manu  
 qui te sepulto possidet caelum leo: 1815  
 si grata terra est, populus Alcmenen tuam  
 defendat omnis. Thracias gentes petam  
 Hebrique populos? haec quoque est meritis tuis  
 defensa tellus: stabula cum regno iacent.  
 hic pax cruento rege prostrato data est: 1820

1795 possem A possim! sic Leo distinxit, puncto post ex-  
 petet sublato || 1796 utero timenda E || 1799 u. certe n. A | si A  
 sed E corr. Leo || 1800 Argos om. E || 1801 orbata Thebas re-  
 gnum et hismenum p. A marita Thebae regnat Ismenon p. E  
 corr. N. Heinsius p. 316 || 1802 notos Bentley || 1803 prius nimis  
 om. E || 1806 exceptus E | datum est miserae mihi A (miserae  
 datum [om. est] A(τ)) || 1807—1810 om. E || 1808 et hoc A corr.  
 Gronov (ut hoc N. Heinsius p. 317) | quod A corr. N. Heinsius  
 l. n. || 1808 uiuet A uiui Σ corr. Koetschau || 1810 nam A  
 corr. ψ || 1811 Arc. an A || 1812 que om. E | terram nobilem A ||  
 1816 Alcmenam A Alcmenae E corr. ψ || 1819 emensa N. Hein-  
 sius p. 318 || 1820 cavendo rege rostrato E

ubi enim negata est? quod tibi infelix anus  
 quaeram sepulchrum? de tuis totus rogis  
 contendat orbis. reliquias magni Herculis  
 quis populus aut quae templa, quae gentes rogant?  
 quis, quis petit, quis poscit Alcmenes onus? 1825  
 quae tibi sepulchra, nate, quis tumulus sat est?  
 hic totus orbis famae erit titulus tibi.  
 quid, anime, trepidas? Herculis cineres tenes;  
 complectere ossa: reliquiae auxilium dabunt,  
 erunt satis praesidia, terrebut tuae 1830  
 reges vel umbrae.

HYL. Debitos nato quidem  
 compesce fletus, mater Alcidae incluti.  
 non est gemendus nec gravi urgendus prece,  
 virtute quisquis abstulit fatis iter:  
 aeterna virtus Herculem fieri vetat. 1835

[fortes vetant maerere, degeneres iubent.]  
 ALCM. Sedabo questus vindice amisso parens?  
 HYL. Terra atque pelagus quaque purpureus dies  
 utrumque clara spectat Oceanum rota

\* \*  
 ALCM. Quot misera in uno condidi natos parens? 1840  
 regno carebam, regna sed poteram dare.  
 una inter omnes terra quas matres gerit

1821 est *om.* A<sup>(v)</sup> || 1822 rogis E || 1823 urbis E || 1824 quae  
 gentes *om.* E | colent A || 1825 quis iam petet quis poscet A ||  
 1827 orbis; fama  $\omega$  *corr.* Richter coll. Luc. VIII 728 | tumulus  
 tibi? A || 1831 PHIL. A | nati E || 1832 mater Alcmenae  $\omega$  *corr.*  
 Lipsii editio 1589 || 1833 urgendus nece  $\omega$  *corr.* Peerlkamp  
 (Müller de r. m. p. 171) || 1836 del. Leo I 210 | uetat m. d. iu-  
 bet A || 1837 sedabo questus? *vulgo, interrogandi signum su-*  
*stulit Leo* | uindicem amisi parens A patent | terra Peiper, ca-  
 rent vel dolent O. Rossbach. *Lacunam fortasse post 1837 sta-*  
*tuendam Leo putat sic fere explendam* <non sola maeres [cf.  
 v. 758], vindice amisso dolent>, at cf. Melzer p. 9 n. 1 || 1838 HYL.  
*om.* A | terrae atque pelagi A | quaeque E || 1839 oceano E de  
 explenda post v. 1839 lacuna cf. Melzer l. n. || 1840 personae  
 notum *om.*  $\omega$  | quod misera tu nunc condidit E | nato A ||  
 1841 ALC. E *om.* A

votis peperci, nil ego a superis peti  
 incolume nato: quid dare Herculeus mihi  
 non poterat ardor? quis deus quicquam mihi 1845  
 negare poterat? vota in hac fuerant manu:  
 quicquid negaret Iuppiter, daret Hercules.  
 quid tale genetrix ulla mortalis tulit?  
 deriguit aliqua mater, ut toto stetit  
 succisa fetu, bisque septenos gregem 1850  
 deplanxit una: gregibus aequari meus  
 quot ille poterat? matribus miseris adhuc  
 exemplar ingens derat: Alcmene dabo.  
 cessate, matres, pertinax si quas dolor  
 adhuc iubet lugere, quas luctus gravis 1855  
 in saxa vertit; cedite his cunctae malis.  
 agedum senile pectus, o miserae manus,  
 pulsate. at una funeri tanto sat est  
 grandaeva anus defecta, quod totus brevi  
 † iam quaeret orbis? expedi in planctus tamen 1860  
 defessa quamquam bracchia: invidiam ut deis  
 lugendo facias, advoca in planctus genus.

## Ite Alcmenae

magnique Iovis plangite natum,  
 cui concepto lux una perit 1865

1843 nichil E || 1844 quod E || 1845 n. p. a. quisquam  
 mihi E (om. quis deus) || 1848 genetrix om. E | una E || 1849 de-  
 fleuit a. m. et  $\omega$  corr. Gronov (qui scripsit diriguit) || 1850 fletu  
 uixque E greges  $\omega$  corr. Leo || 1851 declausit E | aequare E |  
 meis  $\psi$  || 1852 quid ille? poterat m. E || 1853 dabit A || 1858 et  $\omega$   
 corr. Koetschau | ea ci. Peiper || 1859 manus E | quam t. brevis E ||  
 1860 sequetur orbis N. Heinsius p. 319 | iam t. b. | concurret  
 orbis Leo quo t. b. conveniet o. Koetschau, iam peraget o.  
 Richter || 1861 ut invidiam  $\omega$  corr. Gruter || 1862 aduoca ut  
 in E | planctum A || 1863—1939 dimetri  $\omega$ , nisi quod mono-  
 metri v. 1915 (Semelenque p.)  $\omega$ , 1882 (Creta t.) E, 1929 (o n. t.)  
 A, 1931 (umb. t.) E praeterea cf. ad v. 1917. 1928 || 1863 CHO.  
 praef. E (cf. Leo Mus. Rhen. 1897, p. 518) | flete Alcmenen A  
 flete Alcmenae E corr. Leo (Flete Alciden, flete Alcmenae Peiper)

noctesque duas contulit Eos:  
 ipsa quiddam plus luce perit.  
 totae pariter plangite gentes,  
 quarum saevos ille tyrannos  
 iussit Stygias penetrare domos 1870  
 populisque madens ponere ferrum.  
 fletum meritis reddite tantis,  
 totus, totus personet orbis:  
 fleat Alciden caerulea Crete,  
 magno tellus cara Tonanti: 1875  
 centum populi bracchia pulsent;  
 nunc Curetes, nunc Corybantes  
 arma Idaea quassate manu:  
 armis illum lugere decet;  
 nunc, nunc funus plangite verum: 1880  
 iacet Alcides  
 non minor ipso, Creta, Tonante.  
 flete Herculeos, Arcades, obitus,  
 nondum Phoebe nascente genus:  
 iuga Parthenii Pheneique sonent 1885  
 feriatque gravis Maenala planctus  
 magno Alcidae poscit gemitum  
 stratus vestris saetiger agris  
 alesque sequi iussa sagittas  
 totum pinna velante diem. 1890  
 flete Argolicae, flete, Cleonae:  
 hic terrentem moenia quondam  
 vestra leonem  
 fregit nostri dextera nati;

1866 eous E | ipsa quid amplius luce perit E || 1874 ALC.  
*praef.* E (sic Peiper) || 1875 clara tonante A || 1880 p. uestrum E ||  
 1883 CHO. *add.* Peiper || 1884 Phoebo  $\omega$  *corr.* D. Heinsius ||  
 1885 partheni E sparten et A | Nemeaeque  $\omega$  *corr.* Peiper (Te-  
 geaeque de Wilamowitz; Pholoaeque Leo (*coll. v.* 1891)) ||  
 1886 graves E | menela E || 1887 m. poscite Alcidem gemitu A ||  
 1888 oris A || 1890 pinnis velata E pennis velata A *corr.* N.  
*Heinsius p.* 320 || 1891 ALC. *add.* Peiper



date Bistoniae verbera matres	1895
gelidusque sonet planctibus Hebrus:	1895 <sup>b</sup>
flete Alciden,	
quod non stabulis nascitur infans	
nec vestra greges viscera carpunt;	
fleat Antaeo libera tellus	
et rapta fero plaga Geryonae:	1900
mecum miserae plangite gentes.	
audiat ictus utraque Tethys.	
vos quoque, mundi turba citati,	
flete Herculeos, numina, casus:	
vestrum Alcides cervice meus	1905
mundum, superi, caelumque tulit,	
cum stelligeri vector Olympi	
pondere liber spiravit Atlans:	
ubi nunc vestrae, Iuppiter, arces?	
ubi promissi regia mundi?	1910
nempe Alcides mortalis obit,	
nempe sepultus. quotiens telis	
facibusque tuis ille pepercit,	
quotiens ignis spargendus erat!	
in me saltem iaculare facem	
Semelenque puta.	1915
iamne Elysias, o nate, domus,	
iam litus habes	
ad quod populos natura vocat?	
an post raptum Styx atra canem	
praeclusit iter teque in primo	1920
limine Ditis fata morantur?	
quis nunc umbras, nate, tumultus	

1895 Sithoniae A | v. natis E || 1897 nescitur infans EA  
 corr. ψ || 1899 f. aethnaeo E | tellus et | rapta E || 1901 mecum  
 Hesperiae N. Heinsius p. 321 || 1906 mundi E || 1908 stravit E |  
 atlas A || 1909 arcis E || 1910 om. E || 1911 abit E || 1912 to-  
 tiens ci. Richter | stellis E || 1915 Semelemque tuam E || 1917 iam  
 litus habes? | at quos populos? | an post raptum. | natura va-  
 cat? | St. a. c. p. i. E

manesque tenet?

fugit abducta navita cumba  
et Centauris Thessala motis 1925  
ferit attonitos unguia manes  
anguesque suos hydra sub undas  
territa mersit

teque labores, o nate, timent?  
fallor, fallor vaesana furens, 1930  
nec te manes umbraeque timent,  
non Argolico rapta leoni  
fulva pellis contacta iuba  
laevos operit dira lacertos

vallantque ferae tempora dentes: 1935  
donum pharetrae cessere tuae  
telaque mittet iam dextra minor;  
vadis inermis, nate, per umbras,  
ad quas semper mansurus eris.

### VOX HERCVLIS ET IDEM

Quid me tenentem regna siderei poli 1940  
caeloque tandem redditum planctu iubes  
sentire fatum? parce: iam virtus mihi  
in astra et ipsos fecit ad superos iter.

ALCM. Vnde, unde sonus trepidas aures  
ferit? unde meas inhibet lacrimas 1945  
fragor? agnosco victum esse chaos.

A Styge, nate, redis iterum mihi  
fractaque non semel est mors horrida?

1928—1931 *duo trimetri cum monometro* E || 1930 fallor  
*semel* E | v. parens A || 1931 tenent E || 1933 contempta E ||  
1934 saevos E | dura ω corr. Leo || 1935 feri A | gentes E ||  
1936 fecere E || HERCVLES ALCMENA A || 1941 redditum tantum i. E ||  
1942 nam A || 1944 unde sonus trepidas aures ferit? | unde meas  
inhibet lacrimas fragor? | agnosco agnosco victum est chaos A  
(sic Peiper) || 1946 fragor *priorē versu* E cf. Leo I 142

vicisti rursus mortis loca  
 puppis et infernae vada tristia? 1950  
 pervius est Acheron iam languidus  
 et remeare licet soli tibi  
 nec te fata tenent post funera?  
 an tibi praeclusit Pluton iter  
 et pavidus regni metuit sibi? 1955  
 certe ego te vidi flagrantibus  
 impositum silvis, cum plurimus  
 in caelum fureret flammae metus:  
 arsisisti. cur te, cur ultima  
 non tenuere tuas umbras loca? 1960  
 quid timuere tui manes, precor?  
 umbra quoque es Diti nimis horrida?

HERC. Non me gementis stagna Cocyti tenent  
 nec puppis umbras furva transvexit meas;  
 iam parce, mater, questibus: manes semel 1965  
 umbrasque vidi; quicquid in nobis tui  
 mortale fuerat, ignis evictus tulit:  
 paterna caelo, pars data est flammis tua.  
 proinde planctus pone, quos nato paret  
 genitrix inertis; luctus in turpes eat: 1970  
 virtus in astra tendit, in mortem timor.  
 praesens ab astris, mater, Alcides cano:  
 poenas cruentas iam tibi Eurystheus dabit;  
 curru superbum vecta transcendes caput.  
 me iam decet subire caelestem plagam: 1975

1949 noctis loca A || 1950 post 1954 *psuit Peiper* ||  
 1951 om. E || 1954 Pluto niger E || 1955 metuit sui N. Heinsius  
 p. 321 (et v. 1961 sibi) || 1956 fragrantibus A(τ) || 1957 pluribus A ||  
 1958 furerent flammae minis A fl. impetus N. Heinsius p. 321 ||  
 1959 ars. certe, verum u. A || 1962 est ω corr. Gronov | ditis E ||  
 1963 rigentis A || 1964 non A | fulva ω corr. α | meas om. E ||  
 1967 invictus A evictum N. Heinsius p. 322 || 1968 pars—tua  
 om. E || 1969. 1970 om. ψ || 1969 nato pater ω corr. Lipsius ||  
 1970 genitrix E | eas A(τ) || 1974 transcendens A || 1975 discet E

inferna vici rursus Alcides loca.

ALCM. Mane parumper. cessit, ex oculis, abit,  
in astra fertur. fallor an voltus putat  
vidisse natum? misera mens incredula est.  
es numen et te mundus aeternum tenet,  
credo triumphis. regna Thebarum petam  
novumque templis additum numen canam.

1980

### CHORVS

Numquam Stygias fertur ad umbras  
inclita virtus: vivunt fortes

nec Lethaeos saeva per amnes

1985

vos fata trahent, sed cum summas

exiget horas consumpta dies,

iter ad superos gloria pandet.

sed tu, domitor magne ferarum

orbisque simul pacator, ades;

1990

nunc quoque nostras respice terras,

et si qua novo belua voltu

quatiet populos terrore gravi,

tu fulminibus frange trisulcis:

fortius ipso genitore tuo

1995

fulmina mitte.

1976 interna E | uito A vinco  $\psi$  || 1977 precessit E ||  
1978 vultus  $\omega$  || 1980 is numen et te numen a. t. E | aeter-  
nus A || 1981 crede E cedo *Peiper* | CHORVS om. E || 1983 CHO.  
*praef.* E || 1984 uiuite A || 1985 sola per annos amnes (annos  
*del.*) E || 1988 gl. pagens E || 1990 om. E || 1991 aspice E ||  
1993 quatiens oculos E || 1996 mittes A

MARCI · LVCHII | ANNAEI · SENECAE | HERCVLES | EXPLICIT E *Senecae tragoediae explicunt*  $\omega$

# INCERTI OCTAVIA

**Nota.** De Octaviae tempore quod Bücheler in Coniectaneis statuit (Rh. Mus. 27 [1872], 474), ante Tacitum scriptam esse fabulam, certissimis argumentis comprobaverunt Fr. Ladek commentatione 'De Octavia praetexta' in tertio Dissertationum Vindobonensium volumine a 1891 edito p. 1—49 et G. Nordmeyer de Oct. fab. fontibus hist. (Schedae in hon. Useneri 1891 p. 94 sqq.) et 'De Octaviae fabula' in Supplemento XIX Annal. philol. p. 257—317. Cf. Ladekium p. 95: 'id probasse nobis videtur Octaviam paulo post Neronis mortem, primis Flaviorum temporibus (idem statuit Leo I 1, cf. C. Hosium 'Luc. u. Seneca' Annal. philol. 38 [1892] p. 355), conscriptam esse ab homine quodam scholasticorum doctrina imbuto'. Domitiani temporibus fabulam adscribit Nordmeyer p. 310: 'capite II<sup>o</sup> demonstravimus ante Tacitum esse conscriptam tragoediam, cap. III<sup>o</sup> decem minimum annis post annum trium imperatorum [haec erat sententia Meiseri Hist. Dramen d. Römer p. 18, cui etiam Ladek obloquitur p. 94], IV<sup>o</sup> ante Quintilliani librum de causis corruptae eloquentiae. Sic concinentibus ceteris rebus, titulis, re grammatica et metrica ultro eo delati sumus, ut fabulam Domitiani aetati adscribamus. Caveamus autem, ne nimis longe eam ab anno 81, quo Tito fratri Domitianus successit removeamus'. Certum hoc unum, post Senecae obitum, ante Tacitum scriptam esse praetextam; certiora sequi lubricum, velut perquam dubia est A. Gerckii (Seneca-Studien Suppl. Annal. Phil. 22 [1896] p. 195 sqq.) 199 de Plinio coniectura, cf. praeterea Steinberger (Blätter f. d. Gymnasialschulwesen XXX 124, München 1894).

## PERSONAE

I OCTAVIA  
POPPAEA

II NERO  
PRAEFECTVS

III NVTRIX OCTAVIAE  
NVTRIX POPPAEAE  
SENECA

IV MATER NERONIS  
NVNTIVS  
CHORVS ROMANORVM

SCAENA ROMAE ANNO V. C. DCCCXV

---

De Octaviae recensendae subsidiis cf. praef. cap. I.

## OCTAVIA

Iam vaga caelo sidera fulgens  
 Aurora fugat,  
 surgit Titan radiante coma  
 mundoque diem reddit clarum.  
 age, tot tantis onerata malis, 5  
 repete assuetos iam tibi questus  
 atque aequoreas vince Alcyonas,  
 vince et volucres Pandionias:  
 gravior namque his fortuna tua est.  
 semper, genetrix, deflenda mihi, 10  
 prima meorum causa malorum,  
 tristes questus natae exaudi,  
 si quis remanet sensus in umbris.  
 utinam ante manu grandaeva sua  
 mea rupisset stamina Clotho, 15  
 tua quam maerens vulnera vidi  
 oraque foedo sparsa cruore!  
 o lux semper funesta mihi,  
 tempore ab illo  
 lux es tenebris invisae magis: 20  
 tulimus saevae iussa novercae,  
 hostilem animum vultusque truces.  
 illa illa meis tristis Erinys

*'Octaviam Senecae ascribunt codd. intercedit inter Agamemnonem et Herculeum Octaeum praeterquam quod in Σ novissimo loco post H. O. collocata est.' Leo || 1—33 dimetri, quatuor monometris interpositis (6 iam t. q., 20 invisae m., 27 ultra O., 31 iurisque s.) A || 20 lux A nox ψ cf. praef. cap. I s. f. | est A corr. Bothe*

thalamis Stygios praetulit ignes	
teque extinxit, miserande pater,	25
modo cui totus paruit orbis	
cuique Britanni	28 <sup>a</sup>
ultra Oceanum terga dedere,	27 28 <sup>b</sup>
ducibus nostris ante ignoti	
iurisque sui.	30
coniugis, heu me, pater, insidiis	
oppressae iaces servitque domus	
cum prole tua capta tyranno.	

## NVTRIX

Fulgore primo captus et fragili bono	
fallacis aulae quisquis attonitus stupet,	35
subito† latentis ecce Fortunae impetu	
modo praepotentem cernat eversam domum	
stirpemque Claudii, cuius imperio fuit	
subiectus orbis, paruit liber diu	
Oceanus et recepit invitus rates.	40
en qui Britannis primus imposuit iugum,	
ignota tantis classibus texit freta	
interque gentes barbaras tutus fuit	
et saeva maria, coniugis scelere occidit;	
mox illa gnati: cuius extinctus iacet	45
frater venenis. maeret infelix soror	
eademque coniunx nec graves luctus valet	
ira coacta tegere crudelis viri;	
quem sancta refugit semper, atque odio pari	

27 sq. ultra O. | cuique B. t. d. A corr. Bücheler (CIL. VI 920 Sen. apoc. 12, v. 13) || 34 inscriptum NVTRIX. OCTAVIA vel NVTRIX vel CHORVS ψ | facili bono A corr. ψ (facie b. Bücheler, facie nova Leo; cf. Ladck p. 96) || 36 sub uno A corr. ψ cf. praef. l. n. | latentis A s. involantis ci. Leo, s. furentis Richter, uno patentis (vel cadentis) Peiper || 38 Claudii A || 41 e. q. ora tanaïs A corr. Scaliger Castig. in Tib. IV 1, 149 | iugo A corr. ψ (iuga Scaliger) || 49 quem (om. ψ) secreta A corr. Leo (spreta Peiper)



ardens maritus mutua flagrat face. 50  
 animum dolentis nostra solatur fides  
 pietasque frustra: vincit immitis dolor  
 consilia nostra nec regi mentis potest  
 generosus ardor, sed malis vires capit.  
 heu quam nefandum prospicit noster timor 55  
 scelus, quod utinam numen avertat deum.

## OCTAVIA NVTRIX

O mea nullis aequanda malis  
 fortuna, licet  
 repetam luctus, Electra tuos.  
 tibi maerenti caesum licuit 60  
 flere parentem,  
 scelus ulcisci vindice fratre,  
 tua quem pietas hosti rapuit  
 textitque fides:  
 me crudeli sorte parentes 65  
 raptos prohibet lugere timor  
 fratrisque necem deflere vetat,  
 in quo fuerat spes una mihi  
 totque malorum breve solamen.  
 nunc in luctus servata meos 70  
 magni resto nominis umbra.  
 NVTR. Vox en nostras perculit aures  
 tristis alumnae; cesset thalamis  
 inferre gradus tarda senectus?  
 OCT. Excipe nostras lacrimas, nutrix, 75  
 testis nostri fida doloris.  
 NVTR. Quis te tantis solvet curis,  
 miseranda, dies?  
 OCT. Qui me Stygias mittet ad umbras.

50 ardens (amens  $\psi$ ) mariti mutua flagrat face A ardet  
 maritus, m. flagrant face Gronov, ardent mariti, m. flagrant f.  
 Peiper, ardens maritus impia fl. f. Leo; cf. Ladek p. 98 sq. ||  
 57—99 dimetri A (hisce monometris insertis: 58 fort. licet,  
 61 flere p., 64 textitque f., 75 excipe n., 76 fida d.)

NVTR. Omina quaeso sint ista procul.	80
OCT. Non vota meos tua nunc casus, sed fata regunt.	
NVTR. Dabit afflictæ meliora deus tempora mitis; tu modo blando vince obsequio placata virum	85
OCT. Vincam saevos ante leones tigresque truces, fera quam saevi corda tyranni. odit genitos sanguine claro, spernit superos hominesque simul,	90
nec fortunam capit ipse suam quam dedit illi per scelus ingens infanda parens. licet ingratum dirae pudeat munere matris hoc imperium cepisse, licet	95
tantum munus morte rependat, feret hunc titulum post fata tamen femina longo semper in aevo.	
NVTR. Animi retine verba furentis, temere emissam comprime vocem.	99 <sup>b</sup>

OCT. Toleranda quamvis patiar, haud umquam queant 100  
nisi morte tristi nostra finiri mala.  
genetrice caesa, per scelus rapto patre,  
orbata fratre, miseriis luctu obruta,  
maerore pressa, coniugi invisâ ac meae  
subiecta famulae luce non grata fruor, 105  
trepidante semper corde non mortis metu,  
sed sceleris — absit crimen a fatiis meis,  
mori iuvabit; poena nam gravior nece est

82 sed vota *vel* sed mea vota  $\psi$  || 86 v. fulvos  $\psi$  ||  
90 superbos humilesque A *corr. Delrio* || 100 *inscribitur OTTAVIA.*  
NVTRIX  $\psi$  | quaevs *ci. Lipsius*, t. quaevs paterer at numquam  
queunt *Gronov*; at *cf. Leo p. 385* || 108 poena nunc  $\psi$  *cf. praef.*  
*l. n. p. iam Peiper*

videre tumidos et truces miserae mihi  
 vultus tyranni iungere atque hosti oscula, 110  
 timere nutus cuius obsequium meus  
 haud ferre posset fata post fratris dolor  
 scelere interempti, cuius imperium tenet  
 et sorte gaudet auctor infandae necis.  
 quam saepe tristis umbra germani meis 115  
 offertur oculis, membra cum solvit quies  
 et fessa fletu lumina oppressit sopor:  
 modo facibus atris armat infirmas manus  
 oculosque et ora fratris infestus petit,  
 modo trepidus idem refugit in thalamos meos 120  
 persequitur hostis atque inhaerenti mihi  
 violentus ense per latus nostrum rapit.  
 tunc tremor et ingens excutit somnos pavor  
 renovatque luctus et metus miserae mihi.  
 adice his superbam paelicem, nostrae domus 125  
 spoliis nitentem, cuius in munus suam  
 Stygiae parentem natus imposuit rati,  
 quam dira post naufragia superato mari  
 ferro interemit saevior pelagi fretis:  
 quae spes salutis post nefas tantum mihi? 130  
 inimica victrix imminet thalamis meis  
 odioque nostri flagrat et pretium stupri  
 iustae maritum coniugis pascit caput.  
 emergere umbris et fer auxilium tuae  
 natae invocanti, genitor, aut Stygios sinus 135  
 tellure rupta pande, quo praeceps ferar.  
 NVTR. Frustra parentis invocas manes tui,  
 miseranda, frustra, nulla cui prolis suae  
 manet inter umbras cura: qui nato suo  
 praeferre potuit sanguine alieno satum 140  
 genitamque fratris coniugem pactus sibi  
 toris nefandis flebili iunxit face.

114 morte A corr. Lipsius || 133 captat A corr. Gronov ||  
 134 undis A corr. N. Heinsius p. 501 emerge tenebris Withof ||  
 141 captus A corr. Peiper g. fratre coniuge incestus Bentley

hinc orta series facinorum: caedes, doli,  
 regni cupido, sanguinis clari sitis;  
 mactata soceri concidit thalamis gener 145  
 victima, tuis ne fieret hymenaeis potens.  
 pro facinus ingens! feminae est munus datus  
 Silanus et cruore foedavit suo  
 patrios penates, -criminis ficti reus.  
 intravit hostis, ei mihi, captam domum, 150  
 dolis novercae principis factus gener  
 idemque natus, iuvenis infandi ingeni,  
 scelerum capacis, dira cui genetrix facem  
 accendit et te iunxit invitam metu.  
 tantoque victrix facta successu ferox 155  
 ausa imminere est orbis imperio sacri.  
 quis tot referre facinorum formas potest  
 et spes nefandas feminae et blandos dolos  
 regnum petentis per gradus scelerum omnium?  
 tunc sancta Pietas extulit trepidos gradus 160  
 vacuumque Erinys saeva funesto pede  
 intravit aulam, polluit Stygia face  
 sacros penates, iura naturae furens  
 fasque omne rupit: miscuit coniunx viro  
 venena saeva, cecidit atque eadem sui 165  
 mox scelere nati; tu quoque extinctus iaces,  
 deflende nobis semper infelix puer,  
 modo sidus orbis, columen augustae domus,  
 Britannice, heu me, nunc levis tantum cinis  
 et tristis umbra; saeva cui lacrimas dedit 170  
 etiam noverca, cum rogis artus tuos  
 dedit cremandos membraque et vultus deo  
 similes volanti funebris flamma abstulit.

144 diri sitis A corr. Bücheler (dira et s. [vel cari s.]  
 N. Heinsius) || 149 facti A corr. Lipsius || 150 hei A heu ψ ||  
 152 nefandi A corr. ψ cf. praef. l. n. || 153 scelerumque capax A  
 corr. Peiper || 159 gradum A corr. ψ || 172 dedi Bücheler || 173 fer-  
 nens flamma A corr. Bücheler | post 173 lacuna XXX vel XXV  
 versuum significatur ψ cf. Leo ad h. l. et I 45. Immunes la-

- OCT. Extinguat et me, ne manu nostra cadat!  
 NVTR. Natura vires non dedit tantas tibi. 175
- OCT. Dolor ira maeror miseriae luctus dabunt.  
 NVTR. Vince obsequendo potius inमितem virum.  
 OCT. Vt fratrem ademptum scelere restituat mihi?  
 NVTR. Incolumis ut sis ipsa, labentem ut domum  
 genitoris olim subole restituas tua. 180
- OCT. Expectat aliam principis subolem domus;  
 me dira miseri fata germani trahunt.  
 NVTR. Confirmet animum civium tantus favor.  
 OCT. Solatur iste nostra, non relevat mala.  
 NVTR. Vis magna populi est. OCT. Principis maior  
 tamen. 185
- NVTR. Respiciet ipse coniugem. OCT. Paelex vetat.  
 NVTR. Invisa cunctis nempe. OCT. Sed cara est viro.  
 NVTR. Nondum uxor est. OCT. Iam fiet, et genetrix  
 simul.
- NVTR. Iuvenilis ardor impetu primo furit,  
 languescit idem facile nec durat diu 190  
 in Venere turpi, ceu levis flammae vapor:  
 amor perennis coniugis castae manet.  
 violare prima quae toros ausa est tuos  
 animumque domini famula possedit diu,  
 iam metuit eadem — OCT. Nempe praelatam sibi. 195  
 NVTR. Subiecta et humilis, atque monumenta extruit  
 quibus timorem fassa testatur suum.  
 et hanc levis fallaxque destituet deus  
 volucer Cupido: sit licet forma eminens,  
 opibus superba, gaudium capiet breve. 200

Passa est similes ipsa dolores  
 regina deum,

*cunae nostri codices praeter Urbinatem omnes* || 175 non vires A  
 corr. ψ || 179 labantem ψ || 180 sobole (181 sobolem) A || 181 ex-  
 pectes rel expectas A corr. ψ cf. praef. l. n. || 195 metuet A  
 corr. ψ | oct. om. A add. Bothe || 196 NVTR. om. A add. Ritter |  
 monumenta ψ || 198 destituit A corr. ψ cf. praef. l. n.

cum se formas vertit in omnes  
 dominus caeli divumque pater,  
 et modo pennas sumpsit oloris 205  
 modo Sidonii cornua tauri,  
 aureus idem fluxit in imbri;  
 fulgent caelo sidera Ledaë,  
 patrio residet Bacchus Olympo,  
 deus Alcides possidet Heben 210  
 nec Iunonis iam timet iras,  
 cuius gener est qui fuit hostis.  
 vicit sapiens tamen obsequium  
 coniugis altae pressusque dolor:  
 sola Tonantem tenet aetherio' 215  
 secura toro maxima Iuno,  
 nec mortali captus forma  
 deserit altam Iuppiter aulam.  
 tu quoque, terris altera Iuno,  
 soror Augusti coniunxque, graves 220  
 vince dolores.

OCT. Iungentur ante saeva sideribus freta  
 et ignis undae, Tartaro tristi polus,  
 lux alma tenebris, roscidae nocti dies,  
 quam cum scelesti coniugis mente impia 225  
 mens nostra, semper fratris extincti memor.  
 utinam nefandi principis dirum caput  
 obruere flammis caelitem rector paret,  
 qui saepe terras fulmine infesto quatit  
 mentesque nostras ignibus terret sacris 230  
 novisque monstris; vidimus caelo iubar  
 ardens cometam pandere infestam facem,  
 qua plaustra tardus noctis aeterna vice  
 regit Bootes, frigore Arctoo rigens:

207 fulsit  $\psi$  || 213 tandem *Bentley* || 215 ethereo **A** ||  
 233 aeternae **A** corr.  $\alpha$  (alterna *N. Heinsius* p. 503, *Bentley*  
*coll. v. 388*) || 234 boetes **A** corr.  $\psi$  frigido **A** corr. *Is. Pontanus*;  
*cf. N. Heinsius* p. 503, *Bentley*

en ipse diro spiritu saevi ducis	235
polluitur aether, gèntibus clades novas minantur astra, quas regit dux impius. non tam ferum Typhona neglecto Iove irata Tellus edidit quondam parens:	
hic gravior illo pestis, hic hostis deum	240
hominumque templis expulit superos suis civesque patria, spiritum fratri abstulit, hausit cruorem matris — et lucem videt fruiturque vita noxiam atque animam trahit!	
pro summe genitor, tela cur frustra iacis	245
invicta totiens temere regali manu? in tam nocentem dextra cur cessat tua?	
utinam suorum facinorum poenas luat	248
orbis tyrannus, quem premit turpi ingo	250
morumque vitiis nomen Augustum inquinat!	
NVTR. Indignus ille, fateor, est thalamis tuis,	252
Nero insitivus, Domitio genitus patre,	249
sed cede fatis atque fortunae tuae,	253
alumna, quaeso neve violentam move iram mariti. forsitan vindex deus	255
existet aliquis, lactus et veniet dies.	
OCT. Gravi deorum nostra iam pridem domus urgetur ira, prima quam pressit Venus furore miserae dura genetricis meae, quae nupta demens nupsit incesta face,	260
oblita nostri, coniugis, legum immemor. illi soluta crine, succincta anguibus ultrix Erinys venit ad Stygios toros raptasque thalamis sanguine extinxit faces;	
incendit ira principis pectus truci	265

237 quae A corr.  $\psi$  cf. *prf. l. n.* || 238 typhona vel typhoea A || 240 haec gravior A corr.  $\psi$  || 249 nisi diu vel insidiuo A cf. *prf. l. n. corr. Lipsius* (genere insitivo Scaliger, iste insitivus Gronov) | *versum post 252 revocatum nutrici dedit Richter* || 254 violenta A corr.  $\psi$  cf. *prf. l. n.* (violenti  $\psi$  et sic Leo) || 259 dira  $\psi$  || 261 oblita iusti (vel veri)  $\psi$  | coniugii  $\psi$  || 262 illo A corr. Bothe

caedem in nefandam: cecidit infelix parens,  
 heu, nostra ferro meque perpetuo obruit  
 extincta luctu; coniugem traxit suum  
 natumque ad umbras, prodidit lapsam domum.  
 NVTR. Renovare luctus parce cum fletu pios, 270  
 manes parentis neve sollicita tuae,  
 graves furoris quae sui poenas dedit.

### CHORVS ROMANORVM

Quae fama modo venit ad aures?  
 utinam falso credita perdat  
 frustra totiens iactata fidem, 275  
 nec nova coniunx nostri thalamos  
 principis intret teneatque suos  
 nupta penates Claudia proles;  
 edat partu pignora pacis  
 qua tranquillius gaudeat orbis 280  
 servetque decus Roma aeternum.  
 fratris thalamos sortita tenet  
 maxima Iuno;  
 soror Augusti sociata toris  
 cur a patria pellitur aula? 285  
 sancta quid illi prodest pietas  
 divusque pater, 286<sup>b</sup>  
 quid virginitas castusque pudor?  
 nos quoque nostri sumus immemores  
 post fata ducis, cuius stirpem  
 prodimus aegro suadente metu. 290  
 vera priorum virtus quondam  
 Romana fuit verumque genus  
 Martis in illis sanguisque viris.  
 illi reges hac expulerunt

273 *meris carmen dimetris decurrit* A || 280 quo (sc. partu)  
 N. Heinsius p. 504 || 290 seuo A euo  $\psi$  corr. Richter (acri Gronov  
 aevo suadente metum de Wilamowitz) || 291 virt. q. vera p. vel  
 vera q. p. virt.  $\psi$  || 294 expulerant A corr.  $\psi$



urbe superbos	295
ultique tuos sunt bene manes, [virgo, dextra caesa parentis ne servitium paterere grave et improba ferret praemia victrix dira libido.	300
te quoque bellum triste secutum est,] mactata tua miseranda manu, nata Lucreti, stuprum saevi passa tyranni. dedit infandi sceleris poenas cum Tarquinio Tullia coniunx,	305
quae per caesi membra parentis egit saevos impia currus laceroque seni violenta rogos nata negavit.	
haec quoque nati videre nefas	310
saecula magnum, cum Tyrrhenum rate ferali princeps captam fraude parentem misit in aequor.	313 <sup>b</sup>
properant placidos linquere portus iussi nautae,	315
resonant remis pulsata freta: fertur in altum provecta ratis, quae resoluta robore labens pressa dehiscit sorbetque mare. tollitur ingens clamor ad astra	320
cum femineo mixtus planctu. mors ante oculos dira vagatur; quaerit leti sibi quisque fugam: alii lacerae puppis tabulis haerent nudi fluctusque secant,	325

297—301 *delevit Richter, ante v. 304 hoc ordine translato:*  
301 297—300; *tueri studet Baehrens* || 305 *tarquinio*  $\psi$  || 308 *lacerosque* **A** *corr.*  $\psi$  || 314 *placitos* *N. Heinsius p. 504* || 317 *pro-*  
*fecta* **A** *corr.*  $\alpha$  || 325 *udi* *N. Heinsius pp. 104. 504*

repetunt alii litora nantes;  
 multos mergunt fata profundo.  
 scindit vestes Augusta suas  
 laceratque comas  
 rigat et maestis fletibus ora. 330  
 postquam spes est nulla salutis,  
 ardens ira, iam victa malis:  
 'haec' exclamat 'mihi pro tanto  
 munere reddis praemia, nate?  
 hac sum, fateor, digna carina, 335  
 quae te genui, quae tibi lucem  
 atque imperium nomenque dedi  
 Caesaris amens.  
 exere vultus Acheronte tuos  
 poenisque meis pascere, coniunx: 340  
 ego causa tuae, miserande, necis  
 natoque tuo funeris auctor  
 en, ut merui, ferar ad manes  
 inhumata tuos,  
 obruta saevis aequoris undis'. 345  
 feriunt fluctus ora loquentis,  
 ruit in pelagus  
 rursumque salo pressa resurgit,  
 pellit palmis cogente metu  
 freta, set cedit fessa labori. 350  
 mansit tacitis in pectoribus  
 sprete tristi iam morte fides:  
 multi dominae ferre auxilium  
 pelago fractis viribus audent,  
 bracchia quamvis lenta trahentem 355  
 voce hortantur manibusque levant.  
 quid tibi saevi' 356<sup>b</sup>  
 fugisse maris profuit undas?  
 ferro es nati moritura tui,

343 feror *N. Heinsius* p. 504 || 350 fata et A corr. *Bücheler* ||  
 353 famuli dominae *Bachrens* || 354 ardent  $\psi$  cf. *prf. l. n.* | br.  
 quam vix *N. Heinsius* p. 505

cuius facinus vix posteritas,  
 tarde semper saecula credent. 360  
 furit ereptam pelagoque dolet  
 vivere matrem  
 impius, ingens geminatque nefas:  
 ruit in miserae fata parentis  
 patiturque moram sceleris nullam. 365  
 missus peragit iussa satellites:  
 reserat dominae pectora ferro.  
 caedis moriens illa ministrum  
 rogat infelix,  
 utero dirum condat ut ensem: 370  
 'hic est, hic est fodiendus' ait  
 'ferro, monstrum qui tale tulit.'  
 post hanc vocem  
 cum supremo mixtam gemitu  
 animam tandem 375  
 per fera tristem vulnera reddit.

## SENECA

Quid me, potens Fortuna, fallaci mihi  
 blandita vultu, sorte contentum mea  
 alte extulisti, gravius ut ruerem edita  
 receptus arce totque prospicerem metus? 380  
 melius latebam procul ab invidiae malis  
 remotus inter Corsici rupes maris,  
 ubi liber animus et sui iuris mihi  
 semper vacabat studia recolenti mea.  
 o quam iuvabat, quo nihil maius parens 385  
 Natura genuit, operis immensi artifex,  
 caelum intueri, [solis et currus sacros  
 mundique motus] solis alternas vices

374 *hemistichia commutavit Leo nescio qua auctoritate nisus* ||  
 377 *impotens N. Heinsius p. 506* | *fallaci nimis Gruter, f. modo*  
*Peiper* || 379 *gravis A corr. v. cf. p. f. l. n.* || 387<sup>b</sup> 388<sup>a</sup> *del. Delrio*  
 (388 *del. Ritter*) || 388<sup>b</sup> *noctis a. v. Bentley salis et Bothe*

orbemque Phoebes, astra quem cingunt vaga, lateque fulgens aetheris magni decus;	390
qui si senescit, tantus in caecum chaos casurus iterum: tunc adest mundo dies supremus ille, qui premat genus impium caeli ruina, rursus ut stirpem novam generet renascens melior, ut quondam tulit	395
iuvenis, tenente regna Saturno poli. tunc illa virgo, numinis magni dea, Iustitia, caelo missa cum sancta Fide terris regebat mitis humanum genus.	
non bella norant, non tubae fremitus truces,	400
non arma gentes, cingere assuerant suas muris nec urbes: pervium cunctis iter, communis usus omnium rerum fuit; et ipsa Tellus laeta fecundos sinus	
pandebat ultro, tam piis felix parens	405
et tuta alumnis. alia sed suboles minus conspecta mitis, tertium sollers genus novas ad artes extitit, sanctum tamen; mox inquietum, quod sequi cursu feras auderet acres, fluctibus tectos gravi	410
extrahere pisces rete vel calamo levi decipere volucres crate vel * *	
tenere laqueo, premere subiectos iugo tauros feroces, vomere immunem prius sulcare terram, laesa quae fruges suas	415

391 qui sese nescit A corr. Scaliger | totus ci. Richter ||  
392 iterum est Leo | nunc A corr. Richter | adsit  $\psi$  cf. prf. l. n.  
ades Grote || 393 premas Leo || 395 generes Bentley || 399 terra A  
corr. Bothe (terris vel terrae) || 407 secuta ci. Bücheler, concepta  
Baehrens, suscepta Peiper, experta Leo || 410 graues A corr.  
Gronov || 412 post crate ex superiore versu falso repetuntur  
verba vel calamo levi (addito aut in plerisque ante levi) A  
Supplementa proponuntur talia: d. v. crate, cervorum greges  
N. Heinsius p. 506 et 589, d. v. crate vel posito vagas Peiper,  
d. v. turbidos forti canes Leo I 46 || 414 vulnere A corr. ed.  
Basil. a. 1541.

interius alte condidit sacro sinu.  
 sed in parentis viscera intravit suae  
 deterior aetas: eruit ferrum grave  
 aurumque, saevas mox et armavit manus;  
 partita fines regna constituit, novas 420  
 extruxit urbes, tecta defendit sua,  
 aliena telis aut petit praedae imminens.  
 neglecta terras fugit et mores feros  
 hominum et cruenta caede pollutas manus  
 Astraea virgo, siderum magnum decus. 425  
 cupido belli crevit atque auri fames  
 totum per orbem, maximum exortum est malum  
 luxuria, pestis blanda, cui vires dedit  
 roburque longum tempus atque error gravis.  
 collecta vitia per tot aetates diu 430  
 in nos redundant: saeculo premimur gravi,  
 quo scelera regnant, saevit impietas furens,  
 turpi libido Venere dominatur potens,  
 luxuria victrix orbis immensas opes  
 iam pridem avaris manibus, ut perdat, rapit. 435  
 sed ecce, gressu fertur attonito Nero  
 trucique vultu. quid ferat mente horreo.

## NERO PRAEFECTVS SENECA

Perage imperata: mitte, qui Plauti mihi  
 Sullaeque caesi referat abscisum caput. 438<sup>b</sup>  
 PRAEF. Iussa haud morabor: castra confestim petam.  
 SEN. Nihil in propinquos temere constitui decet. 440  
 NER. Iustum esse facile est cui vacat pectus metu.  
 SEN. Magnum timoris remedium clementia est.

416 interior alte A corr.  $\psi$  cf. *prf. l. n.* || 421 suis A corr.  
*Bücheler* || 424 hominum cruenta A et *add.  $\psi$*  || 428 et 434.  
 435 sic afferuntur a *Vincentio Bellov. spec. hist. IX c. 113:*  
 'idem (Seneca) in Octavia: luxuria blanda pestis. victrix orbis  
 immensas opes avaris manibus ut perdat rapit.' || 438<sup>b</sup> Sillae-  
 que A | abscisum  $\psi$  || 441 iusto  $\psi$

- NER. Extinguere hostem maxima est virtus ducis.  
 SEN. Servare cives maior est patriae patri.  
 NER. Praecipere mitem convenit pueris senem. 445  
 SEN. Regenda magis est fervida adolescentia.  
 NER. Aetate in hac sat esse consilii reor.  
 SEN. Vt facta superi comprobent semper tua.  
 NER. Stulte verebor, ipse cum faciam, deos.  
 SEN. Hoc plus verere quod licet tantum tibi. 450  
 NER. Fortuna nostra cuncta permittit mihi.  
 SEN. Crede obsequenti parcus: levis est dea.  
 NER. Inertis est nescire quid liceat sibi.  
 SEN. Id facere laus est quod decet, non quod licet.  
 NER. Calcat iacentem vulgus. SEN. Invisum opprimit. 455  
 NER. Ferrum tuctur principem. SEN. Melius fides.  
 NER. Decet timeri Caesarem. SEN. At plus diligi.  
 NER. Metuant necesse est — SEN. Quicquid exprimitur  
 grave est.  
 NER. Iussisque nostris pareant. SEN. Iusta impera.  
 NER. Statuam ipse. SEN. Quae consensus efficiat rata. 460  
 NER. Respectus ensis faciet. SEN. Hoc absit nefas.  
 NER. An patiar ultra sanguinem nostrum peti,  
 inultus et contemptus ut subito opprimar?  
 exilia non fregere summos procul  
 Plautum atque Sullam, pertinax quorum furor 465  
 armat ministros sceleris in caedem meam,  
 absentium cum maneat etiam ingens favor  
 in urbe nostra, qui fovet spes exulum.  
 tollantur hostes ense suspecti mihi,  
 invisa coniunx pereat et carum sibi 470  
 fratrem sequatur. quicquid excelsum est cadat.

447 satis **A** corr. *L. Müller de re metr. p. 153* || 448 Ita (vel Di) facta *N. Heinsius p. 507* || 449 s. v. esse **A** corr. **ψ** || 457 del. *Leo I 58 sq., defendit Ladek p. 102, citat Ieremias de Montagnone sic: Decet timeri cesarem. At plus diligi. Peiper L. V. 24. 26 cf. 21* || 461 despectus **A** corr. *Bücheler (dispectus Ritter, suspectus Peiper, despectum ut ensis feriat? de Wilamowitz)* || 462 ultro **ψ** || 463 inuictus **A** corr. *Rapheling* || 465 Sillam **A** || 467 absentium **A** corr. **ψ** || 471 cadet *Ier. de Montagnone*

SEN. Pulcrum eminere est inter illustres viros,  
 consulere patriae, parcere afflictis, fera  
 caede abstinere tempus atque irae dare,  
 orbi quietem, saeculo pacem suo. 475  
 haec summa virtus, petitur hac caelum via.  
 sic ille patriae primus Augustus parens  
 complexus astra est colitur et templis deus.  
 illum tamen Fortuna iactavit diu  
 terra marique per graves belli vices, 480  
 hostes parentis donec oppressit. sui;  
 tibi numen incruenta summisit suum  
 et dedit habenas imperi facili manu  
 nutuque terras maria subiecit tuo.  
 invidia tristis victa consensu pio 485  
 cessit; senatus, equitis accensus favor;  
 plebisque votis atque iudicio patrum  
 tu pacis auctor, generis humani arbiter  
 electus orbem iam sacra specie regis  
 patriae parens: quod nomen ut serves petit 490  
 suosque cives Roma commendat tibi.

NER. Munus deorum est, ipsa quod servit mihi  
 Roma et senatus quodque ab invitis preces  
 humilesque voces exprimit nostri metus.  
 servare cives principi et patriae graves, 495  
 claro tumentes genere quae dementia est,  
 cum liceat una voce suspectos sibi  
 mori iubere? Brutus in caedem ducis,  
 a quo salutem tulerat, armavit manus:  
 invictus acie, gentium domitor, Iovi 500  
 aequatus altos ipse per honorum gradus  
 Caesar nefando civium scelere occidit.

484 nutuique *vel* nutuque **A** || 487 notis (uotum  $\psi$ ) atque  
 iudicium patrum est **A** *corr.* Lipsius || 489 orbem specie sacra **A**  
 o. sapientia sacra  $\psi$  *cf. prf. l. n. o.* tu sacra specie  $\alpha$ , *corr.*  
*Bothe* (spiritu sacro *Gruter*, tu sacro auspicio *N. Heinsius*  
*p. 468*) || 495 viros **A** *corr.*  $\psi$  || 500 domitor gentium **A** *corr.*  $\psi$   
*cf. prf. l. n.* || 501 altos saepe **A** *corr.* *Bücheler*

quantum cruoris Roma tum vidit sui,  
 lacerata totiens! ille qui meruit pia  
 virtute caelum, divus Augustus, viros 505  
 quot interemit nobiles, iuvenes senes  
 sparsos per orbem, cum suos mortis metu  
 fugerent penates et trium ferrum ducum,  
 tabula notante deditos tristi neci!  
 exposita rostris capita caesorum patres 510  
 videre maesti, flere nec licuit suos,  
 non gemere dira tabe polluto foro,  
 stillante sanie per putres vultus gravi.  
 nec finis hic cruoris aut caedis stetit:  
 pavere volucres et feras saevas diu 515  
 tristes Philippi, †hausit et Siculum mare  
 classes virosque †saepe cedentes suos.  
 concussus orbis viribus magnis ducum:  
 superatus acie puppibus Nilum petit  
 fugae paratis, ipse periturus brevi: 520  
 hausit cruorem incesta Romani ducis  
 Aegyptus iterum; nunc leves umbras tegit.  
 illic sepultum est impie gestum diu  
 civile bellum. condidit tandem suos  
 iam fessus enses victor hebetatos feris 525  
 vulneribus, et continuit imperium metus.  
 armis fideque militis tutus fuit,  
 pietate nati factus eximia deus,  
 post fata consecratus et templis datus.  
 nos quocque manebunt astra, si saevo prior 530  
 ense occuparo quicquid infestum est mihi

503 Roma non A R. tunc  $\psi$  cf. *prf. l. n. corr. Leo* || 507 sparsos vel sparsosque A sparsit vel sparsitque  $\psi$  || 516 mersit Gronov traxit Leo || 517 saepe (*om.  $\psi$* ) cedentes suos A s. caedentes suos G. Fabricius, Ladek p. 105 s. cedentes. suis | concussus Rutgers V. L. 64 sq. (*coll. Lucan. I 5: certatum totis concussi viribus orbis*) sparsit Actiacos sinus | conc. Bücheler miscuit gentes suis | conc. Leo || 518 conc. o. viribus. tandem aemulus superatus Leo



dignaque nostram subole fundaro domum.

SEN. Implebit aulam stirpe caelesti tuam

generata divo Claudiae gentis decus,

sortita fratris more Iunonis toros.

535

NER. Incesta genetrix detrahit generi fidem,

animusque numquam coniugis iunctus mihi.

SEN. Teneris in annis haud satis clara est fides,

pudore victus cum tegit flammam amor.

NER. Hoc equidem et ipse credidi frustra diu,

540

manifesta quamvis pectore insociabili

vultuque signa proderent odium mei,

tandem quod ardens statuit ulcisci dolor.

dignamque thalamis coniugem inveni meis

genere atque forma, victa cui cedat Venus

545

Iovisque coniunx et ferox armis dea.

SEN. Probitas fidesque coniugis, mores pudor

placeant marito: sola perpetuo manent

subiecta nulli mentis atque animi bona;

florem decoris singuli carpunt dies.

550

NER. Omnes in unam contulit laudes deus

talemque nasci fata voluerunt mihi.

SEN. Recedet a te (temere ne credas) amor.

NER. Quem summovere fulminis dominus nequit,

caeli tyrannum, saeva qui penetrat freta

555

Ditisque regna, detrahit superos polo?

SEN. Volucrum esse Amorem fingit inमितem deum

mortalis error, armat et telis manus

arcuque sacras, instruit saeva face

genitumque credit Venere, Vulcano satum:

560

vis magna mentis blandus atque animi calor

Amor est; iuventa gignitur, luxu otio

nutritur inter laeta Fortunae hona.

532 sobole A (sic ubique) || 533 implevit A corr. ψ ||  
 538 clara est A corr. Th. Mommsen cl. est fides A corr. Leo ||  
 539 flammam, amor. Leo || 541 insociabili A corr. ψ || 543 urgens ψ ||  
 545 cedet A corr. ψ || 553 recedat A corr. Bothe || 559 arcus-  
 que sacros A corr. Bücheler (arcuque sacro et i. N. Heinsius)

- quem si fovere atque alere desistas, cadit  
brevique vires perdit extinctus suas. 565
- NER. Hanc esse vitae maximam causam reor,  
per quam voluptas oritur; interitu caret,  
cum procreetur semper humanum genus  
Amore grato, qui truces mulcet feras.  
hic mihi iugales praeferat taedas deus 570  
iungatque nostris igne Poppaeam toris.
- SEN. Vix sustinere possit hos thalamos dolor  
videre populi, sancta nec pietas sinat.
- NER. Prohibebor unus facere quod cunctis licet?
- SEN. Maiora populus semper a summo exigit. 575
- NER. Libet experiri, viribus fractus meis  
an cedat animis tenere conceptus favor.
- SEN. Obsequere potius civibus placidus tuis.
- NER. Male imperatur, cum regit vulgus duces.
- SEN. Nihil impetrare cum valet, iuste dolet. 580
- NER. Expressere ius est, ferre quod nequeunt preces?
- SEN. Negare durum est. NER. Principem cogi nefas.
- SEN. Remittat ipse. NER. Fama sed victum feret.
- SEN. Levis atque vana. NER. Sit licet, multos notat.
- SEN. Excelsa metuit. NER. Non minus carpit tamen. 585
- SEN. Facile opprimetur. merita te divi patris  
aetasque frangat coniugis, probitas pudor.
- NER. Desiste tandem, iam gravis nimium mihi,  
instare: liceat facere quod Seneca improbat.  
et ipse populi vota iam pridem moror, 590  
cum portet utero pignus et partem mei.  
quin destinamus proximum thalamis diem?

566—569 Senecae continuantur A Neroni tribuuntur ψ ||  
572 posset A corr. ψ || 573 fidesque pop. N. Heinsius p. 508 |.  
sinet ψ || 574 prohibeor ψ || 576 fractus vel fractis A cf. prf. l. n. ||  
577 conc. furor α || 583 permittat ψ cf. prf. l. n. || 587 fran-  
gant ψ || 590 en ψ | iam pridem et ipse vota Poppaeae moror  
Bücheler et ipse propria Peiper

## AGRIPPINA

Tellure rupta Tartaro gressum extuli,  
 Stygiam cruenta praeferens dextra facem  
 thalamis scelestis: nubat his flammis meo 595  
 Poppaea nato iuncta, quas vindex manus  
 dolorque matris vertet ad tristes rogos.  
 manet inter umbras impiae caedis mihi  
 semper memoria, manibus nostris gravis  
 adhuc inultis: reddita est meritis meis 600  
 funesta merces puppis et pretium imperi  
 nox illa qua naufragia deflevi mea;  
 comitum necem natiq̄ue crudelis nefas  
 deflere votum fuerat — haud tempus datum est  
 lacrimis, sed ingens scelere geminavit nefas. 605  
 perempta ferro, foeda vulneribus sacros  
 intra penates spiritum effudi gravem  
 erepta pelago, sanguine extinxi meo  
 nec odia nati: saevit in nomen ferus  
 matris tyrannus, obrui meritum cupit, 610  
 simulacra, titulos destruit matris metu  
 totum per orbem quem dedit poenam in meam  
 puero regendum noster infelix amor.  
 extinctus umbras agitat infestus meas  
 flammisque vultus noxios coniunx petit, 615  
 instat, minatur, imputat fatum mihi  
 tumulumque nati, poscit auctorem necis.  
 iam parce: dabitur, tempus haud longum peto.  
 ultrix Erinys impio dignum parat  
 letum tyranno, verbera et turpem fugam 620  
 poenasque quis et Tantali vincat sitim,

593 *inscr. om.* ψ Agrippina mater Neronis A || 600 reddita et  
 meritis A *corr.* Bücheler || 602 uox A *corr.* ψ *cf. prf. l. n.* ||  
 608. 609 *priora hemistichia commutavit Bothe* (nec odia nati,  
 s. e. m. | erepta pelago, s. i. n. f.) || 611 mortis metu A *corr.*  
 Bücheler || 615 *que om.* A *add.* ψ || 617 t. nasci *vel* nati A  
 t. ulcisci ψ t. poenam Peiper

dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem  
 Ixionisque membra rapientem rotam.  
 licet extruat marmoribus atque auro tegat  
 superbus aulam, limen armatae ducis 625  
 servent cohortes, mittat immensas opes  
 exhaustus orbis, supplices dextram petant  
 Parthi cruentam, regna divitias ferant:  
 veniet dies tempusque quo reddat suis  
 animam nocentem sceleribus, ingulum hostibus 630  
 desertus ac destructus et cunctis egens.  
 heu, quo labor, quo vota ceciderunt mea?  
 quo te furor provexit attonitum tuus  
 et fata, nate, cedat ut tantis malis  
 genetricis ira quae tuo scelere occidit? 635  
 utinam antequam te parvulum in lucem edidi  
 aluique, saevae nostra lacerassent ferae  
 viscera: sine ullo scelere, sine sensu innocens  
 meus occidisses; iunctus atque haerens mihi  
 semper quietam cerneres sedem inferum, 640  
 proavos patremque, nominis magni viros,  
 quos nunc pudor luctusque perpetuus manet  
 ex te, nefande, meque quae talem tuli.  
 quid tegere cesso Tartaro vultus meos,  
 noverca coniunx mater infelix meis? 645

## OCTAVIA CHORVS

Parcite lacrimis urbis festo  
 laetoque die, ne tantus amor  
 nostrique favor principis acres  
 suscitet iras vobisque ego sim  
 causa malorum. non hoc primum 650  
 pectora vulnus mea senserunt:  
 graviora tuli; dabit hic nostris

625 armatae licet *Bentley* || 631 des. et destr. ac c. e. A  
 corr.  $\psi$  || 639 mecum  $\psi$  || 646 *inscr. om.*  $\psi$

finem curis vel morte dies:  
 non ego saevi cernere cogar  
 coniugis ora, 655  
 non invisos intrare mihi  
 thalamos famulae;  
 soror Augusti, non uxor ero.  
 absint tantum tristes poenae  
 letique metus. 660  
 scelerum diri, miseranda, viri  
 potes hoc demens sperare memor?  
 hos ad thalamos servata diu  
 victima tandem funesta cades.  
 sed quid patrios saepe penates 665  
 respicis ndis confusa genis?  
 propera tectis efferre gradus,  
 linque cruentam principis aulam.  
 CHOR. En illuxit suspecta diu,  
 fama totiens iactata dies: 670  
 cessit thalamis Claudia diri  
 pulsa Neronis,  
 quos iam victrix Poppaea tenet,  
 cessat pietas dum nostra gravi  
 compressa metu segnisque dolor. 675  
 ubi Romani vis est populi,  
 fregit claros quae saepe duces,  
 dedit invictae leges patriae,  
 fasces dignis civibus olim,  
 iussit bellum pacemque, feras 680  
 gentes domuit,  
 captos reges carcere clausit?  
 gravis en oculis undique nostris  
 iam Poppaeae fulget imago,

653 vel mortem  $\psi$  mortemve Peiper || 654 saevae A corr.  $\alpha$  |  
 cogor A corr.  $\psi$  || 661—668 choro tribuuntur  $\psi$  || 661 socerum A  
 soror vel soror o  $\psi$  corr.  $\psi$  cf. *prf. l. n.* Peipero socerum e cho.  
 nota male interposita natum videtur || 662 hoc vel haec A || post  
 v. 668 lacunam statuit Peiper || 672<sup>a</sup> monom., 672<sup>b</sup>—681 dimetri A

iuncta Neroni! 685<sup>a</sup>  
 affligat humo violenta manus 685<sup>b</sup>  
 similes nimium vultus dominae  
 ipsamque toris detrahat altis,  
 petat infestis mox et flammis  
 telisque feris principis aulam.

## NVTRIX POPPAEA

Quo trepida gressum coniugis thalamis tui 690  
 effers, alumna, quidve secretum petis  
 turbata vultu? cur genae fletu madent?  
 certe petitus precibus et votis dies  
 nostris refulsit: Caesari iuncta es tuo  
 taeda iugali, quem tuus cepit decor 695  
 et culpa †Senecae, tradidit vinctum tibi  
 genetrix Amoris, maximum numen, Venus.  
 o qualis altos quanta pressisti toros  
 residens in aula! vidit attonitus tuam  
 formam senatus, tura cum superis dares 700  
 sacrasque grato spargeris aras mero,  
 velata summum flammeo tenui caput;  
 et ipse lateri iunctus atque haerens tuo  
 sublimis inter civium laeta omina  
 incessit habitu atque ore laetitiam gerens 705  
 princeps superbo: talis emersam freto  
 spumante Peleus coniugem accepit Thetin,  
 quorum toros celebrasse caelestes ferunt,  
 pelagique numen omne consensu pari.  
 quae subita vultus causa mutavit tuos? 710  
 quid pallor iste, quid ferant lacrimae doce.

686 affligat A corr. ψ cf. prf. l. n. et v. 796 || 688 petat infelix A corr. Grotius || 690 inscr. NVTRIX POPPAEAE Leo || 691 quodve A corr. ψ cf. prf. l. n. || 692 madent A manant ψ cf. prf. l. n. || 696 et culpa Senecae (senecte ψ) A culpaque nati Peiper (olim: culpata Senecae), contempta Senecae Leo et cultus, ecce Baehrens; et culpa nuptae Gronov et culpa sanctae, (i. e. Octaviae, cum irrisione dictum) Richter | victum ψ || 701 que om. A add. ψ || 707 thetim A

POP. Confusa tristi proximae noctis metu  
 visuque, nutrix, mente turbata feror,  
 defecta sensu. laeta nam postquam dies  
 sideribus atris cessit et nocti polus, 715  
 inter Neronis iuncta complexus mei  
 somno resolvor; nec diu placida frui  
 quiete licuit. visa nam thalamos meos  
 celebrare turba est maesta: resolutis comis 720  
 matres Latinae flebiles planctus dabant;  
 inter tubarum saepe terribilem sonum  
 sparsam cruore coniugis genetrix mei  
 vultu minaci saeva quatiebat facem.  
 quam dum sequor coacta praesenti metu,  
 diducta subito patuit ingenti mihi 725  
 tellus hiatu; lata quo praeceps toros  
 cerno iugales pariter et miror meos,  
 in quis residui fessa. venientem intuo  
 comitante turba coniugem quondam meum  
 uatumque; properat petere complexus meos 730  
 Crispinus, intermissa libare oscula:  
 irrupit intra tecta cum trepidus mea  
 enseque iugulo condidit saevum Nero.  
 tandem quietem magnus excussit timor;  
 quatit ossa et artus horridus nostros tremor 735  
 pulsatque pectus; continet vocem timor,  
 quam nunc fides pietasque produxit tua.  
 heu quid minantur inferum manes mihi  
 aut quem cruorem coniugis vidi mei?  
 NVTR. Quaecumque mentis agitat intentus vigor, 740  
 ea per quietem sacer et arcanus refert

721 i. t. saepta terribili sono *N. Heinsius p. 509* ||  
 728 resedi *A corr. ψ* || 731 pristinus *A corr. α* || 732 irrum-  
 pit *A (nostri codd. omnes, Leo nihil adnotat) corr. ψ* ||  
 735 ora *A corr. Bücheler* || 736 vocem diu *ci. Leo* || 740 in-  
 festus *A corr. Gronov* (agitatur intra aestus vigil *ci. de Wila-*  
*mowitz, introrsus Peiper coll. Med. 47* || 741 pariter arcanus  
*N. Heinsius p. 512*

- veloxque sensus. coniugem thalamos toros  
 vidisse te miraris amplexu novi  
 haerens mariti? sed movent laeto die  
 pulsata palmis pectora et fusae comae? 745  
 Octaviae discidia planxerunt sacros  
 inter penates fratris et patrium larem.  
 fax illa, quam secuta es, Augustae manu  
 praelata clarum nomen invidia tibi  
 partum ominatur. inferum sedes toros 750  
 stabiles futuros spondet aeternae domus.  
 iugulo quod ensem condidit princeps tuus:  
 bella haud movebit, pace sed ferrum teget.  
 recollige animum, recipe laetitiam, precor,  
 timore pulso redde te thalamis tuis. 755  
 POP. Delubra et aras petere constitui sacras,  
 caesis litare victimis numen deum,  
 ut expientur noctis et somni minae  
 terrorque in hostes redeat attonitus meos.  
 tu vota pro me suscipe et precibus piis 760  
 superos adora, maneat ut praesens status.

## CHORVS

- Si vera loquax fama Tonantis  
 furta et gratos narrat amores  
 (quem modo Ladae pressisse sinum  
 tectum plumis pennisque ferunt, 765  
 modo per fluctus raptam Europen  
 taurum tergo portasse trucem),  
 quae regit et nunc deseret astra,  
 petet amplexus, Poppaea, tuos,  
 quos et Ladae praeferre potest 770  
 et tibi, quondam cui miranti

742 rogos A corr.  $\psi$  || 746 dissidia  $\psi$  || 760 et vota A corr.  
 Gronov || 761 praesens metus A corr. Bücheler (Peiper: suadet  
 ut p. metus) || 762 loquax A loquar  $\psi$  || 764 que A corr.  $\psi$  ||  
 765 ferum A corr.  $\psi$  || 766 europam  $\psi$



fulvo, Danae, fluxit in auro.  
 formam Sparte iactet alumnae  
 licet et Phrygius praemia pastor:  
 vincet vultus haec Tyndaridos 775  
 qui moverunt horrida bella  
 Phrygiaeque solo regna dedere.  
 Sed quis gressu ruit attonito  
 aut quid portat pectore anhelō?

## NVNTIVS CHORVS

Quicumque tectis excubat miles ducis, 780  
 defendat aulam cui furor populi imminet.  
 trepidi cohortes ecce praefecti trahunt  
 praesidia ad urbis, victa nec cedit metu  
 concepta rabies temere, sed vires capit.  
 CHOR. Quis iste mentes agitat attonitus furor? 785  
 NVNT. Octaviae favore percussa agmina  
 et efferata per nefas ingens ruunt.  
 CHOR. Quid ausa facere quove consilio doce.  
 NVNT. Reddere penates Claudiae divi parant  
 torosque fratris, debitam partem imperi. 790  
 CHOR. Quos iam tenet Poppaea concordī fide?  
 NVNT. Hic urit animos pertinax nimium favor  
 et in furorem temere praecipites agit:  
 quaecumque claro marmore effigies stetit  
 aut aere fulgens, ora Poppaeae gerens, 795  
 afflicta vulgi manibus et saevo iacet  
 eversa ferro; membra per partes trahunt  
 deducta laqueis, obruunt turpi diu  
 calcata caeno. verba conveniunt feris

772 daphne vel dampne (danne, dane ψ) A, corr. α ||  
 fulsit ψ || 775 vincit Baehrens || 779 pectore portat A corr.  
 L. Müller (pectore quid portat B. Schmidt d. em. tr. 66) ||  
 inscr. om. ψ || 780 miles exultat A corr. Bothe (m. excubat  
 Rapheling) || 785 attonitas ψ || 786 furore A corr. Granov ||  
 792 furor A corr. ψ || 795 aut ara A corr. Lipsius || 798 di-  
 ducta A corr. ψ

immixta factis quae timor reticet meus. 800  
 sepire flammis principis sedem parant,  
 populi nisi irae coniugem reddat novam,  
 reddat penates Claudiae victus suos.  
 ut noscat ipse civium motus, mea  
 voce haud morabor iussa praefecti exequi. 805

CHOR. Quid fera frustra bella movetis?  
 invicta gerit tela Cupido:  
 flammis vestros obruet ignes  
 quis extinxit fulmina saepe  
 captumque Iovem caelo traxit. 810  
 laeso tristes dabit poenas  
 sanguine vestro.  
 non est patiens fervidus irae  
 facilisque regi: 813<sup>b</sup>  
 ille ferocem iussit Achillem  
 pulsare lyram, 815  
 fregit Danaos, fregit Atridem,  
 regna evertit Priami, claras  
 diruit urbes; 817<sup>b</sup>  
 et nunc animus quid ferat horret  
 vis immitis violenta dei.

## NERO

O lenta nimium militis nostri manus 820  
 et ira patiens post nefas tantum mea,  
 quod non cruor civilis accensas faces  
 extinguit in nos, caede nec populi madet  
 funerea Roma quae viros tales tulit. 824

800 recipit A *corr.* Delrio (repetit Peiper coll. Oed. 764) ||  
 802 dedat Grotius, cedat Baehrens || 803 iunctus (uinctus) an  
 uictus in A fuerit incertum || 806—819 dimetri praeter 812<sup>a</sup> (s.  
 vestro), 817<sup>b</sup> (dir. urbes) A || 809 quibus ψ || 811 laesi A *corr.*  
 Bothe || 820 *inscr.* NERO. PRAEFECTVS ψ || 821 tantum nefas A  
*corr.* ψ || 824 funera A *corr.* ψ funesta ψ *cf. prf. l. n.* | tale quae  
 virus tulit N. Heinsius p. 513

at illa, cui me civium subicit furor,	827
suspecta coniunx et soror semper mihi,	
tandem dolori spiritum reddat meo	
iramque nostram sanguine extinguat suo.	830
admissa sed iam morte puniri parum est:	825
graviora meruit impium plebis scelus:	826
mox tecta flammis concidant urbis meis,	831
ignes ruinae noxium populum premant	
turpisque egestas, saeva cum luctu fames.	
exultat ingens saeculi nostri bonis	
corrupta turba nec capit clementiam	835
ingrata nostram ferre nec pacem potest,	
sed inquieta rapitur hinc audacia,	
hinc temeritate fertur in praeceps sua:	
malis domanda est et gravi semper iugo	
premenda, ne quid simile temptare audeat	840
contraque sanctos coniugis vultus meae	
attollere oculos; fracta per poenas metu	
parere discet principis nutu sui.	
sed adesse cerno rara quem pietas virum	
fidesque castris nota praeposuit meis.	845

## PRAEFECTVS NERO

Populi furorem caede paucorum, diu	
qui restiterunt temere, compressum affero.	
NER. Et hoc sat est? sic miles audisti ducem?	
compressit! haec vindicta debetur mihi?	
PRAEF. Cecidere motus impio ferro duces.	850
NER. Quid illa turba, petere quae flammis meos	
ausa est penates, principi legem dare,	

825. 826 post 830 revocavit Richter || 827 et illa A corr.  
 Bothe | favor Bentley || 833 turpique e. s. cumuletur fame  
 N. Heinsius p. 514 || 843 nutu vel nutui A cf. 484 || inscr. NERO  
 om. ψ || 849 compescit A corr. Peiper (compressus? Bücheler) ||  
 850 metus A corr. α | impii Delrio

abstrahere nostris coniugem caram toris,  
violare quantum licuit incesta manu  
et voce dira? debita poena vacat?

855

PRAEF. Poenam dolor constituet in cives tuos?

NER. Constituet, aetas nulla quam famae eximat.

PRAEF. Tua temperet nos ira, non noster timor.

NER. Iram expiabit prima quae meruit meam.

PRAEF. Quam poscat ede, nostra ne parcat manus. 860

NER. Caedem sororis poscit et dirum caput.

PRAEF. Horrore vinctum trepidus astrinxit rigor.

NER. Parere dubitas? PRAEF. Cur meam damnas fidem?

NER. Quod parcis hosti. PRAEF. Femina hoc nomen capit?

NER. Si scelera cepit. PRAEF. Estne qui sontem arguat? 865

NER. Populi furor. PRAEF. Quis regere dementes valet?

NER. Qui concitare potuit. PRAEF. Haud quemquam reor.

NER. Mulier, dedit natura cui pronum malo  
animum, ad nocendum pectus instruxit dolis.

PRAEF. Sed vim negavit. NER. Vt ne inexpugnabilis 870

esset, sed aegras frangeret vires timor

vel poena; quae iam sera damnatam premet

diu nocentem. tolle consilium ac preces

et imperata perage: devectam rate

procul in remotum litus interim iube,

tandem ut residat pectoris nostri timor.

875

## CHORVS OCTAVIA

O funestus multis populi  
dirusque favor,

853 *caram* A *cf. prf. l. n. tantam*  $\psi$  *sic Leo in editione, olim ci. sanctam Hermes X 441* || 858 *qua t.* A *corr. Bücheler* || 859 *expectabit* A *explicabit*  $\psi$  *corr.  $\alpha$  (spectabit iram Peiper)* || 862 *victum* A *corr.  $\psi$  | astringit  $\psi$*  || 864 *quid vel cur*  $\psi$  || 867 *quis* A *corr.  $\psi$*  || 870 *totus Neroni tribuitur* A *corr. Peiper* || 872 *tam* A *corr. N. Heinsius p. 514 | promit* A *corr. Bothe* || 876 *resideat*  $\psi$  | *tumor*  $\psi$  || 877—983 *dimetris interpositi monometri tres* (913 *tristis* Er., 957 *victima n.*, 982 *numen s.*) A || *inscr. CHORVS (öm. OCTAVIA)  $\psi$*

qui cum flatu vela secundo  
 ratis implevit vexitque procul, 880  
 languidus idem 880<sup>b</sup>  
 deserit alto saevoque mari.  
 flevit Gracchos miseranda parens,  
